BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
42
NAPOLI

Digitized by Google



XXV.
A.
42.

Digitized by Google

Digitized by Google

XX V
A
42

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

XXV
a
29

Digitized by Google

PHILOSOPHICVS TRIPARTITVS, RATIONALIS, NATVRALIS, *ET* TRANSNATVRALIS,

COMPILATVS ET EDITVS

Ab Adm. Rever. & Eximio P. DOMINICO
AVRNHAMMER Ord. Præd. SS. Theol.
Doctore, Priore Conſtantienſi &
Vicario Nationali. P. Provin-
cialis per Helvetiam.

DVACI, Typis BALTAZARIS BELLERI,
ſub Circino aureo, Anno 1660.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO
LECTORI
PHILOSOPHIÆ
THOMISTICÆ.

QUANTA *ſit hominum in ſcientijs perſcrutandis propenſio & innata quædam addiſcendi cupiditas, ille omnium Philoſophorum Phœnix Ariſtoteles, luculentiſſimo hoc teſtimonio,* omnis homo naturaliter ſcire deſiderat, *commonſtravit; quæ pronitas ſciendique ardor tantus in noſtris Prothoplaſtis Parentibus exſtitit, ut eos ad deguſtandos arboris ſcientiæ boni & mali fructus, cum ſummo totius generis humani detrimento impulerit, quam ob cauſam ipſos è voluptuoſo Paradiſi horto, in hoc univerſarum calamitatum exilium æquiſſima* DEI *juſtitia proſcripſit. Ne tamen errabundo veſtigio in ſpiſſa ignorantiæ caligine*

Digitized by Google

diu oberrarent, à verò DEI amoris ſcopo exorbitantes, Creator cujus miſericordiarum non eſt numerus, *ipſum Adam infuſo ſcientiarum lumine illuſtratum, adamantinis charitatis vinculis conſtrictum, ad omnia ſcibilium genera reduxit. Quibus labore noſtro induſtriâque acquirendis cum Logica, ſive rationalis Philoſophia viam, januamque aperiat, Phyſica verò per res naturales ſecundet, & denique Metaphyſica intellectum noſtrum in rebus ſublimioribus inveſtigandis per cauſas altiores inſtruat, ideo propoſitum mihi fuit ad communem utilitatem tam Eruditiorum pro refricandis ſpecibus aliquando conceptis, quam indoctiorum pro ſua inſtructione, hanc* Tripartitam Philoſophiam *è tergermino ſurculo* Rationis *ſcil.* Naturæ & Sapientiæ *profluentem, in lucem edere. In quo quidem opere ſtruendo, amputatis ſuperfluis, rejectis vanis, ſoli veritati ſub brevitate ſtudens nihil niſi quod Angelici mei Præceptoris D. Thomæ menti, ejuſque doctrinæ florentiſſimæ conſonum videbatur acceptavi, hic enim ſolem in pectore portat, ut denſiſſimas quaſque irradiet tenebras, diſcutiatque nebulas ſplendor ortus ex micante ejuſdem Angelici ſolis veritatis radio. Cum enim ſine Magiſtro diſcere ut prorſus dificilimum, prolixum & periculoſum, è contra ſub Magiſtro eſſe tutiſſimum & prudentiſſimum, neceſſe eſt, ut ſapientiæ ſtudioſus, ne præcipitium labatur, illum toto mentis ardore ſequatur Magiſtrum, qui cunctis nobilitatis titulis, inſignitur.* Primus namque diſcendi ardor *(inquit ſacer Mediolanenſium Archi-*

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus Ambroſius) eſt nobilitas Magiſtri. *Quid autem nobilius Doctore Angelico! quid ſplendidius eô, quem divinus ſplendor elegit? Quiſquis ergo vel in ſacra Theologia, vel in alijs ſcientijs eidem Famulantibus Magiſtrum quaris omnimoda nobilitate illuſtrem, hunc ſectetur Magiſtrum, parentum regali proſapia illuſtriſſimum, claritate adhuc nativa divinos radios emittentem, vita ſanctitate ac religione Eximium, Doctorum ſanctiſſimum & ſanctorum doctiſſimum*, cujus doctrina præ *cœteris* (*exceptâ canonicâ*) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut nunquam, qui eam tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Innocen. 6. *Suſpectus ergo redditur, quiſquis hanc doctrinam, hunc Magiſtrum impugnaverit. Sed & aliud audias* Clement. VIII. *præclariſſimum teſtimonium*, Doctrinæ, *inquit*, ejus teſtis eſt ingens librorum numerus, quos *le* breviſſimo tempore in omni ferè diſciplinam genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuite ſine ullo prorſus errore, conſcripſit: *Perpende verba illa*, ſine ullo prorſus errore, *indicant enim hæc Angelici Præceptoris doctrina nec minimi erronotam tribui poſſe. Sed fortaſſis non ſufficiunt tibi hæc & plura alia Summorum Eccleſia Antiſtitum præclariſſima teſtimonia, accipe ergo aliud omni exceptione majus, nempè Divinum, ipſius Chriſti veri Dei & hominis ore prolatum ſub hac verborum*

borum formula, bene ſcripſiſti de me Thoma, *ſi ergo Deus pro hac doctrina eſt, quis contra illam? Si Deus eam approbat, quis reprobet? Si Deus eam commendat, quis non commendet? cum ſatis probata ſit, quam Deus commendat. Quare quiſquis affirmare auſus fuerit, D. Thomam non bene ſcripſiſſe, is non ipſi, ſed divinæ veritati iniurius eſt. Hanc ergo doctrinam toties commendatam in hoc Philoſophico opere ſequi & immitari conatus ſum, quod num præſtiterim, Doctiorum judicio, atque etiam ipſius ſanctæ Matris Eccleſiæ correctioni ſubmitto. Tu interim, amice lector, hunc laborem meum boni conſule, eo fruere & vale.*

SVMMV-

Digitized by Google

SVMMVLARVM

HOC EST,

Introductionum ad Philoſophiam Rationalem, ſive Logicam,

LIBER PRIMVS.

De his quę ad primam Intellectus operationem ſpectant.

TRES tantùm eſſe intellectus operationes, communis Scholarum ſententia tenet. Prima dicitur ſimplicium appræhenſio, quæ fit, quando intellectus intelligit rem abſolutè, & ſecundùm ſe, nihil de ea affirmando, vel negando. Secunda dicitur compoſitio, aut diviſio, quando intellectus, poſtquam rem apprehendit, cum quodam judicio affirmat aliquid, vel negat de

Digitized by Google

eâ; ut cum affirmat de homine quod ſit rationalis, vel negat, quod ſit irrationalis. Tertia dicitur diſcurſus, quando intellectus unum ex alio, vel propter aliud cognoſcit, ut dum cognoſcit hominem eſſe reſibilem, quia eſt admirativus. Cum ergo proprium ſit Logicæ dirigere mentis operationes, ideo haſce Summulas, ſeu ad ipſam Logicam præambulares introductiones, in tres Libros, juxta triplicem intellectus operationem dividimus, & in primo de Signis, Terminis, Modo Sciendi &c. quæ ad primam; in ſecundo de Propoſitione, ejusque, proprietatibus &c. quæ ad ſecundam: In tertio denique de Diſcurſu, & Argumentatione &c. quæ ad tertiam intellectus operationem ſpectant, agemus.

De

§. 1.

De naturâ Signi ejusque ſpeciebus.

RESOLVTIO PRIMA.

Signi in communi definitio traditur.

2 Signum definitur eſſe id, *quod potentiæ cognoſcitivæ aliud à ſe repræſentat. Signum*, nāque *importat aliquid manifeſtum quoad nos, quò manuducimur in cognitionem alicujus occulti:* S. Tho. [a] quâ ratione visô fumô ducimur in cognitionem ignis latentis. Nomine potentiæ cognoſcitivæ, non intelligimus potentias ſenſitivas brutorum, neque potentias, aut ſenſus externos, ſed ſolam diſcurſivam, *quia Signum propriè loquendo non poteſt dici aliquid, niſi ex quo deveniatur in cognitionem alterius quaſi diſcurrendo.* [b] Filius in divinis tametſi ſit imago Patris, non tamen eſt ſignum ejus, utpote non repræſentans ipſum cum deficientia.

[a] *In 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 1. ad 5.*
[b] *De Verit. q. 9. a. 4. ad 4.*

by Google

RESOLVTIO II.

De Signo formali.

3 Signum formale eſt id, *quod ſeipſo & non mediante alio aliquid aliud repræſentat.* Nomine ſigni formalis intelligimus ſpeciem expreſſam & Verbum mentis, quibus rationem Signi verè competere aſſerimus cum D. Thom. [a] qui ait, *Verbum interius per prius habet rationem ſignificationis, quam Verbum exterius.* Idque ſuadet ratio, dum omnes conditiones ad ſignum requiſitas in ſigno formali ſalvat. *Imprimis* namque eſt notius ſuô ſignatô, non quidem objectivè, ſed formaliter, quatenus objectum reddit notum, quod prius latens erat, & non repræſentatum intellectui. *Secundò* eſt inferius, & imperfectius ſignatô; negari enim non poteſt, quin ea cognitio ſit perfectior, in qua objectum per ſeipſum præſens eſt intellectui, ut conſtat de viſione beatificâ: Vnde & ſignum formale nunquam pervenit ad hanc identitatem cum repræſentato, ut repræſentet ſe, ſed aliud à ſe, ſemperque vicarium quid eſt, &

[a] *q.* 4. *de Verit. a.* 1. *ad.* 7. *ad* 1.

Digitized by Google

& vices gerens reſpectu objecti. *Tertiò*, eſt diſſimile ſignato non quidem in repræſentando, ſed tamen in eſſendo.

4 Nec obſtat S. D.[a] dum ait, *primò & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur, effectus autem intelligibiles non habent rationem ſigni, niſi ſecundùm quod ſunt manifeſtati per aliqua ſigna.* Non, inquam, obſtat, quia ibidem S. Doctor ſolùm loquitur de ſigno prout deſervit cognitioni noſtræ, quæ à ſenſibus incipit.

RESOLVTIO III.

De Signo Inſtrumentali.

5 SIgnum Inſtrumentale definit Magnus P. S. Auguſtinus,[b] dicens eſſe id, *quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Sic veſtigium leonis repræſentat leonem, quod prius oportet cognoſcere, antequam quis deveniat in notitiam leonis. Hinc apparet duplicem cognitionem eſſe neceſſariam in ſigno inſtrumentali, unam videlicet ſigni, & alteram ſignati, in quo potiſſimùm differt à ſigno formali, quod unam ſolùm requirit.

[a] 3. *p. q.* 60. *a.* 4. [b] *L.* 2. *de doct. Chri. c.* 2.

Digitized by Google

RESOLVTIO IV.

De Signo Naturali.

6 SIgnum Naturale eſt, *quod ex natura ſua, ſecluſâ quavis impoſitione aliquid aliud repræſentat*: ſic imago Imperatoris eſt ſignum naturale ejus, non obſtante quod ab arte antecedenter & remotè habeat ipſum repræſentare. Differt hoc ſignum à ſigno ad placitum *primò*, quod ejus ſignificatio ubique terrarum ſit communis, hujus verò non item. *Secundò*, quod ejus ſignificatio ſit ſemper fixa & firma: & *Tertiò* quod ſit realis, quorum neutrum ſibi vendicat ſignum ad placitum.

RESOLVTIO V.

De Signo ad placitum.

7 SIgnum ad placitum eſt, *quod ex impoſitione hominum* (*authenticâ tamen*) *aliud reſentat*: quomodo hedera ante tabernam eſt ſignum vini venalis, & omnes voces ſunt ſigna rerum quas ſignificant.

8 Hoc iterum variè ſubdividitur. *Primò* in Proprium, & Metaphoricum. Illud eſt, quod ſignifi-

Digitized by Google

ſignificat rem propriè & ſine metaphora, ſicut hæc Vox *Leo* propriè ſignificat animal illud rugiens ſylveſtre. Hoc verò, quod ſignificat aliquid metaphoricè & per tranſlationem, ſicut eadem Vox *Leo* metaphoricè ſignificat Chriſtum.

9 *Secundò* in Speculativum & Practicum; illud eſt, quod rem tantum ſignificat, non verò cauſat: hoc verò, quod rem, quam ſignificat etiam cauſat, qualia ſigna ſunt, Sacramenta novæ legis, quæ gratiam, quam ſignificant, etiam cauſant.

10 *Tertiò*, dividitur celebri illa diviſione, in ſignum *Demonſtrativum, Prognoſticum, & Rememorativum.* Illud eſt rei præſentis; ſecundum, rei futuræ; tertium, rei præteritæ: quæ diviſio commodiſſimè adaptatur Sacramentis novæ legis, ſunt enim demonſtrativa reſpectu gratiæ, prognoſtica reſpectu gloriæ, & rememorativa reſpectu paſſionis Chriſti præteritæ & tranſactæ.

Digitized by Google

RESOLVTIO VI.

De ſigno ex conſuetudine.

11 Dicitur ſignum ex conſuetudine, *quod aliud à ſe repræſentat, ex quodam uſu & communi hominum acceptatione*: ſic mappa ſuper menſam poſita ſignificat futuram refectionem. Non conſtituit peculiarem ſigni ſpeciem condiſtinctam ab enumeratis, ſed reducitur ad ſignum naturale, ſi conſuetudo ortum habeat ex ipſa rei natura, ut cum canis præcedit ſuum dominum, qui ex natura ſua eſt animal ſociabile: Vel reducitur ad ſignum ad placitum, ſi conſuetudo inducta eſt voluntariè, uti eſt mappa ſuper menſam poſita.

§. 2.

De natura Termini, ejuſq; ſpeciebus.

RESOLVTIO VII.

Definitur Terminus Logicus.

12 Terminus Logicus eſt duplex, alius Enunciativus, & alius Syllogiſticus.

Illum

Illum definies, quod ſit *ſignum logicum ſimplicis propoſitionis conſtitutivum*, in quo vel maximè differt à propoſitione cathegorica, quæ non niſi hypotheticam conſtituere poteſt. Ejus natura non conſiſtit in eo, quod actu componat propoſitionem, ſed ſatis explicatur, quod poſſit eam componere, quia definitiones non dicunt actum, ſed potentiam. Terminum Syllogiſticum definit Ariſtoteles, [a] *in quem reſolvitur propoſitio tanquam in prædicatum & ſubjectum.*

RESOLVTIO VIII.

Subdividitur in mentalem, vocalem & ſcriptum.

13 QVemadmodum apud homines reperitur triplex loquendi modus, videlicet, unus internus, quô homo ſibi ipſi loquitur per conceptus intra ſe efformatos; alter Vocalis, quô præſentibus: tertius, quô abſentibus per ſcripturam mentem ſuam patefacit; ita congruè (genericè tamen) dividimus terminum Enunciativum in Mentalem, Vocalem & Scriptum, quibus ſupra poſita definitio propor-

a *Lib. 1. prior. c. 1.*

Digitized by Google

portionaliter adaptatur. Mentalis rurſus ſubdividitur in notitiam intuitivam, quæ eſt rei præſentis in ſeipſa, & in abſtractivam, quæ eſt rei abſentis per ſpeciem in memoria retentam. Vtramque negamus ſenſibus externis utpote qui nullius verbi aut ſpeciei expreſſæ ſunt formativi.

RESOLVTIO IX.

Dividitur terminus vocalis.

14 TErminus Vocalis dividitur, *primò* in Vnivocum, *qui ſignificat ſua ſignificata unico conceptu*; æquivocum, *qui diverſis*; & annalogum, *qui partim eadem & partim diverſa ſignificat*: qui diverſus modus ſignificandi fundatur in convenientia aut diſconvenientia rerum quas termini ſignificant. *Secundò*, in cathegorematicum, *qui per ſe eſt ſignificativus*, & ſyncathegorematicum, *qui eſt conſignificativus*. *Tertiò*, in communem, *qui ſignificat plura diviſim*: & ſingularem, *qui ſignificat unum tantum*. *Hoc nomen DEVS propriè loquendo nec eſt univerſale, nec ſingulare.* S. Thom. [a] Ratio prioris eſt, quia non ſignificat naturam in plura individua

[a] *In 1. d. 4. q. 1. a. 2. ad 3.*

Digitized by Google

a Deitatis partibilem, quod eſt de ratione
mini communis; ratio verò poſterioris eſt,
ia terminus ſingularis ſignificat unum in-
nmuni cabile: hic terminus autem Deus ſig-
icat naturam pluribus perſonis communi-
bilem: relinquitur ergo quod partim ſit ter-
nus communis, partim ſingularis.

RESOLVTIO X.

De reliquis terminorum ſubdiuiſionibus.

DIviditur præterea terminus in Abſo-
lutum, *qui ſignificat aliquid per mo-*
m per. ſe ſtantis, quivè ex modo ſignificandi
i rem repræſentat, ut neque videatur inhæ-
re ſi eſt accidens, ut *Albedo*; & ſi ſit natura
bſtantialis exiſtens in ſuppoſito, ex modo
nificandi affertur quaſi avulſa & ſeparata à
ppoſito, ut *Humanitas*: & Connotativum-
i ſignificat aliquid per modum alteri adiacen-
, etiamſi in re ſit ſubſtantia, ut *Rationale*, *au-*
um &c.

5 Item alius eſt Abſtractus, *qui ſignifi-*
it ſolam formam, ut *animalitas*: alius Concre-
us, *qui ſignificat formam & ſubjectum*, ut *Album*.
Item

Item alius eſt primę, alius ſecundę intentionis. Ille eſt, *qui ſignificat aliquid quod convenit rebus ut ſunt à parte rei independenter ab operatione mentis*, ut *eſſe animal &c.* alter verò eſt, *qui ſignificat aliquid, quod convenit rebus tantùm ut ſunt objectivè in intellectu*, ut, *hominem eſſe ſpeciem &c.* Denique alius eſt complexus, *cujus partes per ſe ſunt ſignificativæ*, ſub intellige juxta ſignificationem totius, ut, *homo albus*: alius verò incomplexus, *cujus nulla pars ſeparata per ſe eſt ſignificativa*, ut, *homo, dominus &c.*

§. 3.

De Nomine & Verbo.

RESOLVTIO XI.

Explicatur Natura Nominis.

17 NOmen eſt *vox ſignificativa ad placitum ſine tempore, cujus nulla pars ſeparata ſignificat finita & recta.* Ariſtoteles. [a] Excluduntur *imprimis* à natura Nominis voces non ſignificativæ, ut, *Blytteri* &c. *Secundò*, voces ſignificantes naturaliter, ut *gemitus infirmi* &c.

[a] 1. *perih. c.* 4.

:. *Tertiò* nomina infinita, complexa, &
am caſus nominis ut Catonis, Platonis &c.

RESOLVTIO XII.

Explicatur natura Verbi.

VErbum eſt *vox ſignificativa ad placitum cum tempore, finita & recta, cujus ſ ſeparata ſignificat, & eſt ſemper eorum quæ lltero prædicantur nota,* ut *curro, diſputo* &c. luduntur *imprimis* ab hac definitione verba nitanter accepta, ut v. g. *non ambulat* &c. quod ſignificent negationem actionis vel ionis. *Secundò*, verba obliqua, quæ non t Indicativi præſentis temporis, ſed ſunt ſi caſus Verbi, ut verba præteriti aut futuri poris. *Tertiò*, excluduntur participia, per m particulam, *& eſt nota eorum* &c. licet m participium ſignificet cum tempore, Verbun tamen non eſt, quia nunquam poteſt eſſe ula in propoſitione ſeu nota & unio extreorum, quod ad rationem Verbi requiritur.

RESO-

RESOLVTIO XIII.

Quid ſit Verbum Significare cum tempore?

19 VErbum ſignificare cum tempore nihil eſt, aliud quàm ſignificare aliquid per modum actionis, vel paſſionis, ſive motus exerciti in tempore; in quo potiſſimùm differt *Verbum à Nomine*, quod licet ſignificet etiam aliquando actionem vel paſſionem: Vt v. g. *curſus, ambulatio* &c. non tamen ſignificat eam ut exercitam in aliqua determinata differentia temporis quod tamen facit Verbum; ut *curro, ambulo* &c. ſignificant enim actiones ut exercitas in tempore præſenti.

20 Porro nomine temporis intelligitur non ſolùm tempus noſtrum, ſed quæcumque duratio ſeu menſura, ſive ſit tempus phyſicum noſtrum, ſive tempus diſcretum Angelorum, ſive ævum, ſive etiam æternitas: Vnde hæc propoſitio, *DEVS eſt*, menſuratur æternitate, quia prædicatum ab æterno ei competit: hæc verò, *homo eſt albus*, menſuratur tempore noſtro, quia in tempore noſtro prædicatum ei advenit. Ratio verò hujus eſt, quia ſicut de ratione Verbi non eſt ſignificare ſemper verum fluxum vel

Digitized by Google

actionem, ſed ſufficit quod ſignificet per modum actionis, ne excludantur verba neutra, ut *ſedeo, jaceo* &c vel quod ſignificet per modum privationis, ne excludantur verba privativa, ut *ſileo, quieſco* &c. vel denique quod ſignificet fundamentum agendi aut patiendi, ſicut Verbum, *Sum, es, eſt*, ſic etiam non ſemper ſignificat tempus phyſicum noſtrum, ſed aliquando per modum temporis quod ſufficit.

RESOLVTIO XIV.

Quid ſit Verbum abſolvi à tempore?

21 VErbum verò abſolvi à tempore, nil aliud eſt, quàm non reſtringere prædicatum cum ſubjecto ad aliquam certam differentiam temporis, quod contingit in propoſiionibus æternæ veritatis, in quibus prædicatum neceſſariam habet connexionem cum ſubjecto, ut in hac, *homo eſt animal rationale*, qua verbum, *eſt*, abſolvitur à tempore noſtro, non verò à tempore logico, ſive altiori ſtadami duratione, utpote in qua habet ſignificare eſſe eſſentiæ, ſive neceſſariam connexionem prædicati cum ſubjecto: cujus contrarium contingit in propoſitionibus contingentibus,

v. g. in his, *homo currit, homo eſt albus,* in quibus verbum nunquam poteſt abſolvi à tempore noſtro, quia iſta prædicata non niſi in tempore noſtro de ſubjecto verificantur.

§. 4.

De Oratione.

RESOLVTIO XV.

Definitur Oratio.

22 QVamvis Oratio uti & modus ſciendi videantur ſecundùm aliquos ſpectare potiùs ad ſecundam Intellectus operationem, cum complectantur ſub ſe Orationes quę videntur eſſe enunciativæ, uti ſunt ſpecies modi ſciendi, id tamen non competit eîs eâ formali ratione, qnatenus Orationes vel ſpecies modi ſciendi ſunt, ſed ſolùm quatenus materialiter ſunt propoſitiones, ut ſic enim habent unum de altero enunciare. Definitur igitur Oratio ab Ariſtotele. a Eſt *vox ſignificativa ad placitum, cujus partium aliqua ſeparata ſignifi-*

a *L.* 1. *periph. c.* 4.

ſignificat, ut dictio, ſed non ut affirmatio vel negatio. Ly, Vox, prout abſtrahit ab hoc, quod ſit una vel plures, habet rationem generis, cæteræ verò particulæ locum differentiæ Notanter autem dixit Ariſtoteles, *cujus partium aliqua ſeparata ſignificat,* ad inſinuandum, non opus eſſe ad Orationem ut illa conſtet pluribus vocibus per ſe ſignificativis, ſed ſufficere quod una ex illis aliquid ſignificet, altera conſignificet, vel ſignificet aliqualiter, ne excludantur à partibus Orationis Syncathegoremeta, unde hæ erunt veræ orationes, *omnis homo, nullus leo* &c.

RESOLVTIO XVI.

Dividitur Oratio in ſua ſpecies.

23. Dividitur Oratio primâ ſui diviſione; in Perfectam, quæ perfectum ſenſum, & Imperfectam, *quæ imperfectum ſenſum generat in animo auditoris.* Generare autem perfectum ſenſum eſt ita rem ſignificare, ut animus audientis maneat quietus & ſedatus, nil prætérea exſpectans audiendum. Orationum perfectarum alia eſt indicativa, alia imperativa, alia deprecativa, alia optativa &c. Ad orationem imperfectam ſpectant omnes termini

complexi, & orationes omnes ſimplices ſubjunctivi modi v. g. *cum diſputarem*, *ſi ſtuderes* &c:

RESOLVTIO XVII.

Alia Orationis diviſio explicatur.

24 ALiâ diviſione dividitur Oratio in Enunciativam, & non Enunciativam. Illa eſt, *Oratio verum vel falſum ſignificans*, quę alio incomplexo nomine vocatur Propoſitio, fitque ſemper per verbum indicativi modi. Non Enunciativa verò eſt, quæ *non ſignificat verum vel falſum per modum affirmationis vel negationis*, ad quàm proinde reducuntur omnes Orationes in priori reſolutione aſſignatæ aliorum modorum, ſive ſint in perfectæ, ſive perfectæ, inter limites tamen non enunciativarum. Sub hac etiam clauduntur tres Modi ſciendi, qui ut tales ſunt, nihil enunciant, ſed præciſè ignotum manifeſtant.

De

§. 5.

De Modo ſciendi.

RESOLVTIO XVIII.

Definitio Modi ſciendi traditur.

25 MOdus ſciendi eſt, *Oratio alicujus ignoti manifeſtativa.* Contingit autem manifeſtare ignotum, quando id quod antea obſcurum erat, declaratur, & explicatur, quâ ratione, hæc oratio, *animal rationale,* eſt modus ſciendi, quia clarè explicat naturam hominis, quę confuſè, & obſcurè continebatur in hac voce, *homo,* debetque id fieri non quomodocunque, id eſt, ab authoritate dicentis, ſed artificiô dialecticô ad ſcientias accomodatô, videlicet definiendo, dividendo, vel argumentando, quæ ſunt ſpecies univerſæ modi ſciendi: Hinc quamvis etiam Propoſitio ſubinde manifeſtet ignotum, hoc tamen non facit, vi ſuæ formę, ratione cujus ſolùm habet enunciare unum de altero, ſed per accidens, & ratione materię in propoſitione incluſæ.

Digitized by Google

RESOLVTIO XIX.

De Definitione.

26 DEfinitio eſt, *Oratio naturam rei explicans.* Eſt duplex, Eſſentialis videlicet, & Accidentalis. Illa eſt, quæ per partes ſive phyſicas, ſive metaphyſicas; hæc verò, quæ per accidentia ſive communia, ſive propria, naturam rei explicat. Ad bonam Definitionem tres exiguntur conditiones. *Prima* eſt, quòd conſtet genere & differentia. *Secunda*, ut definitio ſit clarior & notior definito, id eſt, diſtinctius ſignificet & explicet naturam definiti. *Tertia*, quod definitio non ſit redundans vel diminuta, id eſt, quod contineat, integram naturam definiti, ut nec plus nec minùs dicat, defectu cujus, hæc mala eſt, *homo eſt rationalis*, ob defectum & abſentiam generis.

RESOLVTIO XX.

De Diviſione.

27 DIviſio eſt, *Oratio rem in ſuas partes diſtribuens, ut, animal aliud rationale, aliud irrationale*, Cum porro diviſio in partes

ſemper

ſemper ſit alicujus totius, neceſſe eſt, ut ſicu multipliciter dicitur totum, etiam diviſio ſit multiplex, videlicet totius potentialis in partes quas in potentia continet, ut in exemplo adducto apparet. Totius actualis, quâ dividitur totum in partes ex quibus actu componitur, ſive ſint partes metaphyſicę ſive phyſicæ, ſive integrales, juxta naturam totius; & denique totius accidentalis, quâ totum accidentale in ſuas partes dividitur, quod tribus modis contingit. *Primò*, quando ſubjectum dividitur in ſua accidentia, ut animalium, aliud album, aliud nigrum. *Secundò*, quando dividitur accidens in ſua ſubjecta, ut alborum, aliud nix, aliud lac &c. *Tertiò*, quando dividitur accidens in alia accidentia, ut album, aliud frigidum, aliud calidum.

18 Cæteroquin bonæ diviſioni tres potiſſimùm tribuuntur regulę. *Prima* eſt, ut ſingula membra dividentia ſint inferiora reſpectu diviſi. *Secunda*, ut omnia membra dividentia ſimul ſumpta exhauriant, & adæquent totam confuſionem diviſi, ita quod nihil contineatur ſub diviſo, quod non etiam contineatur ſub aliquo ex membris dividentibus; *Tertia*, quod membra dividentia ſint inter ſe oppo-

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS SVMMVLARVM.

De his quæ ad ſecundam intellectus operationem pertinent.

§. 6.

De Propoſitione ejusque ſpeciebus, materia, quantitate, & qualitate.

RESOLVTIO XXII.

Definitur Propoſitio.

30 Propoſitio ſive Enunciatio, quaſi nuntius Intellectus dicta, nuncians conceptum interiorem extra intellectum, eſt, *Oratio verum vel falſum ſignificans*: quæ quidem definitio ſolum deſcriptiva eſt, utpote tradita per proprietates ejus: Eſſentialiter autem ſic eam definies: Eſt *Oratio in qua unum de altero enunciatur*, primum

Digitized by Google

primum enim quod in propoſitione concipimus eſt, quod ſit enunciativa unius de altero, ad quod ſubſequitur, verum, vel falſum ſignificare.

RESOLVTIO XXIII.

Prima diviſio in Cathegoricam, & Hypotheticam.

31 PRopoſitio cathegorica eſt, *quæ cõſtat ſubjecto, prædicato & copula tanquam partibus principalibus ſui:* ut in hac: *homo eſt animal.* Hæc etiam duplex eſt, alia de ſecundo, alia de tertio adjacente. Illa eſt, *in qua tantùm explicatur ſubjectum & copula,* nec in ea explicitè ponitur prædicatum, ut, *Petrus diſputat,* quæ æquivalet huic, *Petrus eſt diſputans*: altera verò eſt, *in qua expreſsè ponitur ſubjectum, prædicatum & copula,* uti patet in exemplo mox allato. Propoſitio hypothetica eſt, *quæ conſtat pluribus propoſitionibus tanquam partibus principalibus ſui; & aliqua unione inter ſe conjunctis,* ut, *Magiſter docet, & diſcipulus audit.* Eſt autem differentia inter Cathegoricam, & Hypotheticam, quod in illa, copula principalis ſemper ſit verbum, in hac vero ſemper adverbium, vel conjunctio.

RESOLVTIO XXIV.

Secunda diviſio Cathegoricæ in Affirmativam & Negativam.

32 AFfirmativa eſt, *in qua prædicatum affirmatur de ſubjecto*, ut *homo eſt animal*; Negativa verò *in qua prædicatum negatur de ſubjecto*, ut, *homo non eſt equus*, Ad ſciendum autem quænam propoſitio ſit affirmativa vel negativa, non eſt reſpiciendum ad copulam minus principalem, ſed ad principaliorem, ſi illa ſit affirmata, vel negata, unde hæc propoſitio, Petrus qui non diſputat, currit, eſt affirmativa, licet minùs principalis copula, videlicet, *qui non diſputat*, ſit negativa.

RESOLVTIO XXV.

De materia & forma Propoſitionum.

33 SIcut in ſubſtantia corporea quatuor inveniuntur, videlicet, forma, materia, quantitas & qualitas, ita proportionaliter hæc quatuor in propoſitione invenire eſt. *Primum* eſt forma, & eſt illa unio prædicati cum ſub-

jecto ſecundùm affirmationem vel negationem, de qua jam actum. *Secundum* eſt materia, quæ in propoſitione nihil aliud eſt, quam ordo ſeu habitudo prædicati ad ſubjectum, & è contra, quę etiam præcedit actualem enunciationèm, quia attenditur ex ipſa natura vel connexione extremorum ad invicem: & hæc eſt triplex, alia videlicet *naturalis*, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, vel propria paſſio eius, ut, *homo eſt rationalis, riſibilis* &c. alia *contingens*, in qua prædicatum contingenter convenit ſubjecto, tanquam ab illius natura extraneum, ut, *homo eſt niger, albus* &c. alia denique *remota*, in qua prædicatum repugnat ſubjecto, ut *homo eſt lapis.*

RESOLVTIO XXVI.

De Quantitate, & Qualitate Propoſitionum.

34 PRimum accidens conveniens propoſitioni cathegoricæ ratione ſubjecti eſt quantitas, quæ nihil aliud eſt, quam extenſio, aut limitatio ſubjecti ratione cujus accipitur pro pluribus, aut paucioribus, aut etiam

Digitized by Google

pro uno tantùm: occaſione cujus dividitur propoſitio in Vniverſalem, Indefinitam, Particularem & Singularem. Propoſitio *Vniverſalis* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus communis ſigno univerſali affectus, ut, *omnis homo diſputat. Indefinita* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus communis, nullô ſignô affectus, ut *homo diſputat:* & hæc propoſitio ſi fuerit in materia naturali vel remota æquivalet univerſali, ſi in materia contingenti æquivalet particulari. Propoſitio *particularis* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus communis ſigno particulari affectus, ut *quidam homo diſputat. Singularis* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus ſingularis, aut terminus communis, limitatus tamen pronomine demonſtrativo, ut *Petrus diſputat, hic homo diſputat*, aut cujus ſubjectum eſt terminus ſingularis ex ſuppoſitione, ut, *Filius Mariæ Virginis prædicat.* Qualitas denique propoſitionum deſumitur à veritate, & falſitate.

RESOLVTIO XXVII.

De Propoſitionis hypotheticæ ſpeciebus.

35 SVppoſitâ definitione propoſitionis hypotheticæ, quam Reſol. 25. tradidimus,

Digitized by Google

mus, dividimus nunc eam in tres ſpecies, videlicet in Copulativam, Disjunctivam & Conditionalem. *Copulativa* eſt, cujus partes proximè copulantur particulâ, *Et*, vel alia æquivalenti, ut, *Petrus diſputat, & Ioannes reſpondet.* *Disjunctiva* eſt, cujus partes uniuntur unione disjunctivâ, *Vel*, aut aliâ ſimili, ut, *Dominicus prædicat, vel Franciſcus diſputat. Conditionalis* eſt, cujus partes uniuntur media unione conditionali, *Si*, ut *ſi Petrus currit, movetur.* Ad hanc etiam reducitur Cauſalis propoſitio, cujus partes uniuntur per conjunctionem cauſalem, *Quia*, ut, *Quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis.* Similiter etiam eò pertinet *Rationalis*, cujus partes conjunguntur per conjunctionem rationalem, *Ergò*, vel, *Igitur*, ut, *equus eſt ſenſibilis; ergo eſt animal.* Quę quidem duę ultimæ propoſitiones licet ſint ſimpliciter ſpecies argumentationis, ſecundùm quid tamen etiam ſunt enunciativæ, propter modum aliquem enunciationis, virtualiter ſaltem, in ejuſmodi orationibus repertum, propter quod dicimus eas reduci ad ſpeciem conditionalis.

§. 7.

De proprietatibus logicalibus, quæ conveniunt terminis ut ſunt in propoſitione.

RESOLVTIO XXVIII.

De Suppoſitione in genere.

36. SVppoſitio prima terminorum proprietas eſt *acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur juxta exigentiam copulæ*: quare tunc terminum ſupponere dicimus, quando res ſignificata per terminum poteſt verificari in aliqua propoſitione juxta differentiam temporis per copulam importati, ut in hac, *homo eſt animal rationale*. Vnde non eſt idem terminum ſignificare, & ſupponere, multi enim ſignificant, qui tamen non ſupponunt, ut conſtat in hac; *Antichriſtus eſt*, in qua ſubjectum quidem ſignificat illum pſeudochriſtum, ſed non ſupponit pro eo. Si quęras, an termini extra propoſitionem ſupponant? *Reſp.* quod habeant

quidem.

quidem aptitudinem, actum autem ſecundum minimè exercent, niſi dum ſunt intra propoſitionem.

RESOLVTIO XXIX.

Variæ Suppoſitionis diviſiones.

37 Dividitur *primò* ſuppoſitio in Materialem, *quæ eſt acceptio termini pro ſeipſo*, ut in hac, *homo eſt nomen*, Subjectum accipitur pro ſe, non pro ſuo ſignificato; & in formalem, *quæ eſt acceptio termini pro re quam ſignificat. Secundò*, dividitur ſuppoſitio formalis in Propriam, *quæ eſt acceptio termini pro re, quam propriè & ſine metaphora ſignificat*, ut cum dicitur, *leo rugit*: & in Impropriam, *quæ eſt acceptio termini pro re quam impropriè ſignificat, & per quandam tranſlationem*, ut in hac, *Vicit leo de tribu Iuda. Tertiò*, dividitur propria in Simplicem, *quæ eſt acceptio termini pro ſuo primario, & immediato ſignificato, ut cognito*, & Perſonalem, *quæ eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato abſolutè, & ſecundùm ſe*, quod autem terminus in aliqua propoſitione ſupponat ſimpliciter, inde colligitur, quando prædicatum eſt terminus ſecundæ intentionis, ut in

in hac, *homo eſt ſpecies*, quando verò prædicatum eſt terminus primę intentionis, tunc ſubjectum ſupponit perſonaliter, ut in hac, *homo eſt animal.*

RESOLVTIO XXX.

Aliæ Suppoſitionis perſonalis ſubdiviſiones.

38 SVppoſitio perſonalis iterum ſubdividitur in Naturalem, *quæ eſt acceptio termini pro eo cui intrinſecè & eſſentialiter convenit prædicatum, & de quo verificari poteſt in quacunque differentia temporis*, ut in hac, *homo eſt animal rationale:* & in Accidentalem, *quæ eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato, de quo tantum verificatur juxta exigentiam temporis importati per copulam* ut in hac, *homo eſt albus.* Præterea Suppoſitio perſonalis dividitur in Communem & ſingularem. *Illa eſt acceptio termini communis non affecti aliquo ſigno particulari*; hęc verò eſt *acceptio termini ſingularis, vel communis affecti ſigno ſingulari*, ut *Petrus diſputat hic homo currit.* Item dividitur Communis in Diſtributivam tam completam quàm incompletam. Illa eſt *acceptio termini communis non ſolùm pro omnibus ſpeciebus, ſed*

etiam

etiam pro omnibus individuis earum, ut in hac, *omne animal eſt vivens*. Hęc verò eſt *acceptio termini communis pro generibus ſingulorum, non tamen pro omnibus individuis*, ut in hac *omne animal fuit in Arca Noë*, quæ facit hunc ſenſum, de quacunque ſpecie animalis aliquod fuit in arca Noë.

RESOLVTIO XXXI.

De Ampliatione & Reſtrictione.

39. AMpliatio eſt *extenſio termini à minori ad majorem ſuppoſitionem, vel acceptionem*, ut cum dicitur, *homo poſſibiliter eſt juſtus*, lÿ, *homo*, dicitur ampliari, quia ratione modi adjuncti *poſſibiliter*, extenditur ad majorem ſuppoſitionem vel acceptionem, quam ſi acciperetur pro copula importante differentiam pręſentis temporis, ſtat enim non ſolùm pro hominibus qui ſunt, ſed etiam qui erunt in quacunque temporis differentia. Reſtrictio ampliationi oppoſita, eſt *Coarctatio termini à majori ad minorem ſuppoſitionem, vel acceptionem*, ut in hac, *homo juſtus eſt dialecticus*, ubi lÿ, *homo*, reſtringitur ut ſtet ſolùm pro juſtis.

RESOLVTIO XXXII.

De Alienatione & Diminutione.

40. Alienatio eſt *tranſlatio termini à propria ad impropriam ſignificationem*, ut in hac, *Vicit leo de tribu Iuda*, ubi *leo* transfertur à propria ſignificatione ad ſignificandum Christum Dominum, quem improprie tantum, & metaphoricè ſignificat. Diminutio quinta terminorum proprietas, eſt *coarctatio ſignificationis termini, ut ſtet pro parte tantùm*, ut cum dicitur, *Æthiops eſt albus*, id eſt ſecundùm dentes.

RESOLVTIO XXXIII.

De Appellatione.

41 Appellatio ſexta & ultima terminorum propietas, eſt, *Applicatio ſignificati formalis unius termini ad ſignificatum formale alterius termini*, ut cum dicitur, *Nicolaus eſt magnus logicus*, ubi ly, *magnus*, applicat ſuum formale, id eſt magnitudinem doctrinæ ſupra formale illius termini, *logicus*, facitque ſenſum, quod magnitudo convenit Nicolao

ratione Logicæ, licet ipſe ſit ſtatura puſillus. Vt autem modo evidentiori fiat appellatio, debet adjectivum, & ſubſtantivum poni ex parte prædicati, ſi enim ponantur ex parte ſubiecti, licet fiat etiam appellatio, non tamen ita evidenter, ut cum dico, *Magnus Logicus eſt Nicolaus*.

§. 8.

De proprietatibus propoſitionum ſimplicium.

RESOLVTIO XXXIV.

De Oppoſitione.

42 INter proprietates quę toti propoſitioni conveniunt, prima eſt Oppoſitio, & eſt, *Repugnantia, ſive imcompoſſibilitas duarum propoſitionum, idem ſubjectum, & prædicatum eodem modo habentium, ſive in quantitate, ſive in qualitate, ſive in utraque ſimul*, ut, *homo eſt animal, homo non eſt animal.* Dividitur porro Oppoſitio complexa in quatuor ſpecies. *Primò*, in Contradictoriam, quæ eſt *repugnantia duarum*

propo-

Digitized by Google

propoſitionum, quarum una eſt Univerſalis, altera Particularis, una affirmativa, altera Negativa: ut *omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus*. Secundo, in Contrariam, quæ eſt, *Repugnantia duarum propoſitionum univerſalium, quarum una eſt affirmativa, altera negativa*, ut, *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus*. Tertiò, in ſubcontrariam, *quæ eſt duarum particularium, quarum una eſt affirmativa, altera negativa*, ut *aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus*. Quartò, in Subalternam, *quæ eſt, Repugnantia duarum propoſitionum in quantitate ſolum, quarum utraque vel affirmativa, vel negativa eſt, una tamen univerſalis, & altera particularis*, ut, *omnis homo eſt albus, aliquis homo eſt albus*.

RESOLVTIO XXXV.

De Æquipollentia propoſitionum.

43 Æquipollentia eſt, *Æquivalentia duarum propoſitionum eiſdem extremis conſtantium, quæ ſub varia ſignorum forma mutuo ſe inferunt, ita quod maneat idem ſenſus & ſignificatio in una, quæ eſt in altera.* Vt autem duæ oppoſitæ fiant æquipollentes, tres ponun-

tur regulę. *Prima* pro Contradictorijs, quæ ut fiant æquipollentes, debet ex parte ſubjecti unius propoſitionis, præponi ſignum negativum, ſeu negatio, & tunc propoſitio illa æquivalebit ſuæ contradictorię, ut apparet in hiſce, *omnis homo eſt juſtus*, *aliquis homo non eſt juſtus*; ſi in prima præponas negationem, dicendo, *non omnis homo eſt juſtus*, tunc æquivalet ſuæ contradictoriæ, *aliquis homo non eſt juſtus*; & ſic vice verſa. *Secunda* pro Contrarijs eſt, ut negatio poſtponatur ſubiecto. *Tertia* pro Subalternis, ut negatio & pręponatur & poſtponatur ſubiecto. Quas regulas ut faciliùs memoriæ imprimas, ſequenti Verſu accipe.

Præ, contradic; poſt, contra; præ, poſtq; ſubalter.

Cujus Verſus hic eſt ſenſus, quod negatio, *Non*, in Contradictorijs, ad hoc ut fiant æquipollentes, debeat præponi ſubjecto; in Contrarijs verò poſt poni, & tandem in ſubalternis præponi; & poſtponi. Pro ſubcontrarijs, quia ſunt incapaces æquipollentiæ, non ponitur aliqua regula.

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO XXXVI.

De Converſione Propoſitum.

44 TErtia denique propoſitionum ſimplicium proprietas eſt Converſio, quæ ſic definitur. Eſt *Tranſmutatio unius propoſitionis in aliam per extremorum tranſpoſitionem, prædicatum ſcilicet ponendo loco ſubjecti, & è contra ſubjectum loco prædicati*, ut ſi dicatur, *nullus lapis eſt homo, nullus homo eſt lapis.*

Eſt autem triplex Converſio. *Prima* vocatur ſimplex, quia fit tranſpoſitis ſolummodò extremis, manente eâdem quantitate & qualitate, ut conſtat in exemplo allato, quo modo convertitur propoſitio univerſalis negativa, & particularis affirmativa. *Secunda* vocatur per accidens, quia aliquod accidens propoſitionis, videlicet quentitas mutatur, quâ ratione uniuerſalis negativa & affirmativa mutatur in particularem. *Tertia* vocatur per contrapoſitionem, quæ fit mutatis terminis finitis, in infinitos, manente eâdem quantitate & qualitate; quo modo convertitur propoſitio univerſalis affirmativa, & particularis negativa.

RESOLVTIO XXXVIII.

De eſſentiâ, & ſpeci bus propoſitionis modalis.

45 PRopoſitio modalis, *eſt illa quæ conſtat aliquo modo determinante verbum ratione vnionis prædicati cum ſubiecto.* v.g. *homo neceſſario diſputat*; vbi modus denotat neceſſariam eſſe vnionē prędicati cum ſubiecto. Illi autem modi ſunt quatuor, *neceſſarium, poſſibile, contingens, impoſſibile.* Propoſitio modalis eſt duplex, alia compoſita, quę ſcilicet facit ſenſum compoſitum; alia diviſa, quæ facit ſenſum diviſum.

Nota illis quatuor modos poſſe ſumi dupliciter, primò nominaliter v.g. *poſſibile, contingens*, &c. Secundò adverbialiter, v. g. *poſſibiliter contingenter.* In modali compoſita, modus accipitur nominaliter, & ſemper eſt prædicatum, ſive antecedat, ſive ſequatur propoſitionem, ut patet ſi dicas, *petrum currere eſt poſſibile*, vel è contra; iuxta enim ſenſum, modus eſt prædicatum, oratio autem infinitivi eſt ſubiectum, & appellatur dictum. In modali diviſâ, accipitur adverbialiter, & præciſe mo-

modificat vnionem prædicati & ſubiecti, non autem eſt prædicatum.

Senſus compoſitus tunc fit, quando uniuntur terminis ſeu extrema dicti, ſecundum ſignificata formalia pro eodem tempore; v.g. *cæcum videre eſt poſſibile*, ſenſus eſt quod cæcitas, & uiſio ſint ſimul in eodem ſubiecto; *Senſus vero diviſus*, quando uniuntur termini; ſic, quod ſignificatum formale prędicati, cadat ſupra materiale ſubiecti, ideſt quando denotatur, quod eidem rei cui convenit, vel convenire poteſt forma ſubiecti, poteſt etiam convenire forma prędicati, v. g, ſi *dicas ſedens poſſibiliter ſtat*, ſenſus eſt, quod ſubiectum ſedens dum actu ſedet habet veram potentiam ad ſtandum; non tamen ad ſtandum ſimul cum ſeſſione; & ſic ſenſus diviſus non excludit ſimultatem potentiæ, ideſt quod ſtante unâ formâ, ſit ſimul potentia ad aliam ſed potentiam ſimultatis excludit, ideſt coniungens ſimul utramque formam.

Tunc modalis reddit ſenſum compoſitum, quando modus prædicatur, & dictum ſubijcitur, v g. *prædeſtinatum condemnari eſt impoſſibile*; ratio eſt quia cum totum dictum ſit ſubiectum; conſequenter departibus eius ſimul

Digitized by Google

ſumptis, & per modum uuius prædicatur ipſe modus: Tunc verò reddit ſenſum diviſum, quādo modus inter ponitur partibus dicti; ſiue quando mediat inter accuſativum, & verbum; v.g. *prædeſtinatus poteſt damnari*; ratio eſt quia tunc illa pars quę eſt prædicatum, quaſi diſiungitur ab alia quę eſt ſubiectum.

46 Vt autem hæc materia, ex qua pendet concordia libertatis noſtrę, cum prædeſtinatione, & gratia efficaci, clarior fiat, contra aliquos theologos.

Nota quod modalis compoſita, aliquando vnit duo extrema ſignificātia actum ſecundum, ſeu actionem, v.g. *album eſſe nigrum eſt impoſſibile*; *ridentem flere eſt impoſſibile*, & tunc eſt ſenſus, albedinem, & nigredinem; vel actionem ridendi & flendi, non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto; & talis, ut de ſe patet eſt vera. Aliquādo vero vnit extrema ſignificantia actum primum, ſeu potentiam, v.g. *viſibile eſſe flebile eſt impoſſibile*; & tunc eſt ſenſus, quod potentia ad ridendum, & flendum, non compatiantur in eodē ſubiecto. Aliquando autem vnit vnum extremum ſignificans actum, & alterum ſignificans potentiam; v.g. *ridentem eſſe flebilem eſt impoſſibile*, & tunc eſt ſenſus

quod

quod actus ridendi, & potentia ad flendum non compatiantur. Vt autem de ſe patet; iſtæ duæ propoſitiones ſunt falſę.

Quando ergo Thomiſtæ dicunt *voluntatem efficaciter præmotam non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire*, ſolum uolunt hanc modalem compoſitam eſſe veram, ſcilicet, *voluntatem efficaciter præmotam diſſentire eſt impoſſibile*; & hæc eſt veriſſima: ſenſus enim eſt, pręmotio efficax, & actualis diſſenſus non poſſunt eſſe ſimul, & hoc omnis qui rectè ſenſerit de efficacia divinę voluntatis, admittet. Quando vero dicunt poſſe in ſenſu diviſo diſſentire, volunt hanc modalem compoſitam v.g. *voluntatem præmotam poſſe diſſentire eſt impoſſibile*, eſſe falſam: eſt enim ſenſus, quod actualis præmotio, & potentia ad diſſentiendum, non poſſunt eſſe ſimul in voluntate, quod Thomiſtæ non aſſerunt, vt falſo illis imponitur; quod fit, quia uis propoſitionum modalium quibuſdam minùs penetratur, & perperam contemnitur, cum tamen in diverſis materijs, ad illas, velint, nolint, cogantur recurrere.

LIBER

LJBER TERTJVS SVMMVLARVM.

De his quæ tertiæ mentis operationi inſerviunt.

§. 9.

De Argumentatione ejuſque ſpeciebns & proprietatibus.

RESOLVTIO XXXVIII.

Adferuntur ſpecies Argumentationis

47 SVppoſitâ definitione Argumentationis, quam ſupra Reſolut. 21. tradidimus, dividitur nunc ipſa in Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum. Syllogiſmus, eſt *Oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quidpiam ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit eò quod hæc ſunt*, Ariſtoteles.

Digitized by Google

teles.[a] Cujus definitionis hic eſt ſenſus, quod Syllogiſmus ſit Oratio quædam, vel Argumentatio, in qua ſequitur concluſio, vel unio extremitatum inter ſe, ex vi diſpoſitionis, ſeu unionis extremitatum cum medio in præmiſſis, fundatur enim Syllogiſmus in illo generali principio, *quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; unde ſi extremitates in præmiſſis cum medio conveniunt, oportet quod etiam inter ſe in concluſione conveniant. Illa particula in definitione, *neceſſariò accidit*, denotat concluſionem debere neceſſario ſequi, non quidem neceſſitate conſequentis, quæ tantùm reperitur in Syllogiſmo demõſtrativo, ſed neceſſitate conſequentiæ, quæ in omni bono Syllogiſmo reperitur.

RESOLVTIO XXXIX.

An Concluſio ſit pars intrinſeca & eſſentialis Syllogiſmi.

48 SI Syllogiſmum ſpectemus adæquatè quatenus nimirum eſt formalis, & plenus diſcurſus inſeruiens tertiæ mentis operationi; ſic indubiè Concluſio erit pars intrinſeca &

a 1. Prior. c. 1.

& eſſentialis ejus, quia diſcurſus non ſalvatur in præmiſſis, ſed neceſſariò includit illationem unius ex alio, unde quamdiu concluſio non infertur, manet ſuſpenſus diſcurſus, & incompletus. Quod ſi verò ſyllogiſmum conſideremus ſolummodo inadæquatè, quatenus videlicet inſtrumentum eſt, ducens nos in cognitionem quæſtionis dubiæ, & controverſæ: ſic non eſt pars eſſentialis ſyllogiſmi, ſed eſt effectus ſyllogiſmi inadæquatè ſumpti, habentis ſe inſtar alicuius cauſę inſtrumentalis ad inferendam concluſionem, quomodo Ariſtoteles. [a] uſurpavit Syllogiſmum inquiens, *ad ſyllogiſmum requiri tres terminos, & duas propoſitiones*; quod verum eſſe ex eò patet, quia ſyllogiſmus dicitur generare ſcientiam, id eſt, concluſionem ſcientificam.

RESOLVTIO XXXX.

De Materia Syllogiſmi.

49 QVemadmodũ artificiatũ phyſicum duplici cõſtat principio, materiali ſcilicet, & fornali, ita quoque ſyllogiſmus, qui eſt artificiatum quoddam rationis, ex duplici conſtatur

a *Lib. 1. prior. c. 26.*

ſtatur principio, materia ſcilicet & forma. Eſt autem materia ſyllogiſmi duplex, proxima & remota. *Materia proxima* ſunt propoſitiones ex quibus immediatè componitur ſyllogiſmus: *remota* verò, ſunt termini, ex quibus immediatè componuntur propoſitiones, mediatè verò ſyllogiſmus. Hujuſmodi autem termini in quolibet ſyllogiſmo ſunt tres, ex quorum combinatione, tres formantur propoſitiones, quæ in quolibet ſyllogiſmo neceſſario inveniuntur, quarum prima, dicitur *Major*, ſecunda *Minor*, tertia *Concluſio*. Hinc eſt quod quilibet terminus in bono ſyllogiſmo bis ponatur, & ille quidem, qui bis ponitur ante concluſionem in pręmiſſis, dicitur *Medium*, ſive *Medius terminus*; ille verò qui conjungitur cum medio in majori, vocatur *major extremitas*: & qui conjungitur cum medio in minori, dicitur *minor extremitas*, quæ deinde etiam uniuntur inter ſe in concluſione.

RESOLVTIO XLI.

De forma Syllogiſmi.

50 FOrma ſyllogiſmi eſt, *Ordinatio ſeu diſpoſitio materiæ ejus*; & quia materia

ſyl-

ſyllogiſmi duplex eſt, ideo illi duplici materiæ correſpondet etiam duplex forma. *Prima* correſpondet materię remotæ, videlicet terminis, & dicitur *Figura*, poteſtque hoc modo definiri; Eſt *apta diſpoſitio terminorum ſecundùm debitam ſubjectionem, & prædicationem*: Itaque illa diſpoſitio medij termini cum extremitatibus, ſecundùm quod illis ſubijcitur, vel de eis prædicatur, dicitur figura. *Scunda forma* correſpondet materiæ proximæ ſyllogiſmi, ſcilicet propoſitionibus, & dicitur, *Modus*, ſoletque definiri, quod ſit *apta diſpoſitio præmiſſarum ſeu propoſitionum, ſecundùm debitam quantitatem & qualitatem*; debita autem quantitas eſt, ut ſaltem aliqua ſit univerſalis, & non omnes particulares: debita qualitas eſt, ut ſaltem aliqua pręmiſſarum ſit affirmativa, & non omnes negativæ.

RESOLVTIO XLII.

De Figuris Syllogiſmorum.

51 Figuræ ſyllogiſmorum meritò multiplicantur juxta diverſam ordinationem, ſeu cumbinationem medij cum extermitatibus, cum autem tribus modis fieri poſſit, triplex quo-

quoque erit Figura. *Prima* igitur figura eſt illa in qua medium in majori propoſitione ſubijcitur, & in minori prædicatur, ut ſi dicas, *omne rationale eſt diſcurſivum, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt diſcurſivus. Secunda* figura eſt, in qua medium in utraque præmiſſa prædicatur, ut ſi dicas, *nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis. Tertia* figura eſt, in qua medium in utraque præmiſſa ſubijcitur, ut ſi dicas *omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo aliquod riſibile eſt homo*, quas figuras duo ſequentes Verſus continent.

Prima prius ſubijcit medium poſt prædicat ipſum.
Altera bis dicit: bis tertia ſubijcit ipſum.

Quartam figuram Galeni ut pote ſuperfluam, & ad artem ſyllogizandi inutilem, reijcimus.

RESOLVTIO XLIII.

De Modis Syllogiſmorum.

52 MOdi Syllogiſmorum communiter decem & novem à Dialecticis aſſignantur,

nantur, quos ſequentibus verſibus complectuntur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.

Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Cæſares, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti.

Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Ex quibus primi novem ad primam, quatuor ſequentes ad ſecundam, & reliqui ſex ad tertiam figuram pertinent. Primi itidem quatuor primę figuræ vocantur perfecti, quia ſcilicet concludunt directè, quod nihil aliud eſt, quam quod major extremitas prædicetur de minori in concluſione: omnes autem alij modi præter hos quatuor ſunt imperfecti, quia licet ſint in prima tanquam digniori figura, non tamen concludunt directè, uti ſunt quinque ultimi primæ figuræ modi, vel quia non ſunt in digniori figura, uti ſunt reliqui omnes modi aliarum figurarum.

53 Vt autem in modis prædictis fiat debita diſpoſitio præmiſſarum ſecundum debitam quan-

quantitatem & qualitatem, ſcire oportet in quolibet illorum modorum contineri tres Vocales, quæ correſpondent tribus propoſitionibus ſyllogiſmi. *Prima* Vocalis in prima ſyllaba correſpondet majori propoſitioni. *Secunda* in Secunda, minori. Et *Tertia* in tertia, concluſioni. Et denotant iſtæ Vocales, propoſitiones debere eſſe quantitatis deſignatę per illas, juxta ſequentes Verſus.

Aſſerit A, negat E, ſunt univerſaliter ambæ.

Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambo.

54 Itaque ſi in aliqua trium primarum ſyllabarum cujus vis modi reperiatur Vocalis, A, denotat quod illa propoſitio ſeu concluſio, cui talis vocalis correſpondet, ſit univerſalis affirmativa, ſi verò in aliqua reperiatur vocalis, E, denotat propoſitionem illam cui reſpondet talis Vocalis, debere eſſe univerſalem negativam, & ſic quoque de alijs duabus Vocalibus, I, quæ particularem affirmativum, & O, quæ particularem negativam deſignat, dicendum eſt;

RESOLVTIO XLIIII.

De Regulis figurarum & ſyllogiſmo rum generalibus.

55 DVplices regulas ſolent aſſignare Dialectici ad judicandum de bonitate conſequentiæ in quocunque ſyllogiſmo, Aliquas videlicet generales omnibus figuris communes, aliquas verò ſpeciales cuilibet figuræ proprias *Prima* generalis regula eſt: Ex puris particularibus nil ſequitur, intellige ex vi illationis, quia gratia materię benè poteſt aliquid inferri. *Secunda*, una ſaltem præmiſſarum debet eſſe affirmativa in quacunque figura, unde ex puris negativis nil ſequitur, quantum eſt ex vi illationis, cum enim extremitates ſeparentur à medio, nequeunt inter ſe uniri in concluſione. *Tertia*, quod ſi una præmiſſarum fuerit particularis vel negativa, etiam concluſio talis erit, quia ſequitur debiliorem partem.

56 *Quarta*, quod nunquam debet aliquis terminus diſtribui in concluſione, qui non ſit deſtributus in præmiſſis, benè tamen è contra: defectu cujus non valet, quod ego ſum tu non es, ego ſum homo, ergo tu non es homo.

Quin-

Quinta, medium ſub ratione medij non debet intrare concluſionem, concluſio enim debet eſſe diſtincta à pręmiſſis, quod in hoc caſu non fieret. *Sexta* tandem generalis regula eſt, quod medium debeat eſſe idem tam in Voce, quàm in ſenſu ſeu ſignificatione.

RESOLVTIO XLV.

De Regulis ſpecialibus cujuſlibet figuræ.

57 PRima regula ſpecialis pro prima figura eſt, quod ut ſyllogiſmus in primis quatuor modis bonus ſit, major debet eſſe univerſalis, & minor affirmativa, licet in quinque reliquis modis indirectè concludentibus, major poſſit eſſe particularis, & minor negativa, ut in *Friſeſomorum*. *Secunda* pro ſecunda figura. Ex puris affirmativis nil ſequitur in quovis modo hujus figuræ, quare una ex præmiſſis debet eſſe negativa. *Tertia* pro eadem figura eſt, quod majori exiſtente particulari nil ſequitur, unde major debet eſſe univerſalis. *Quarta* pro tertia figura eſt, quod in ejuſmodi minor debeat eſſe affirmativa, ſi enim fuerit negativa, nil ſequitur.

RESOLUTIO XLVI.

De Enthymemate, Inductione & Exemplo.

58 Enthymema definitur, quod ſit ſyllogiſmus imperfectus vel truncatus, id eſt, *Oratio in quâ non omnibus præmiſſis poſitis infertur concluſio feſtinata*, ut, *omne animal currit, ergo omnis homo currit*, in quo argumentandi modo includitur virtualiter hæc propoſitio, omnis homo eſt animal. Differt à ſyllogiſmo non ſpecie, ſed ſolum pænes perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem.

59 Inductio eſt *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad univerſale progreſſio*, ut *hic ignis calefacit, & hic & ille, ergo omnis ignis calefacit.* Hæc etiam ſecundum inadæquatos eſſentiæ ſuæ conceptus eſt duplex, Aſcenſus nimirum de quo mox dictum, & Deſcenſus, qui eſt ab univerſali ad ſingularia ſufficienter enumerata progreſſio, ut omnis homo eſt animal, ergo & Petrus & Paulus &c. & ſic de ſingulis.

Exem-

60 Exemplum eſt *progreſſio ab uno particulari ad aliud particulare probandum propter aliquod ſimile in ijs repertum*, ut Deus pepercit Ninivitis, quia egerunt pænitentiam, ergo & nobis parcet, ſi pænitentiam egerimus.

Expliciunt libri Summularum:

Hoc eſt

Introductionum ad Logicam.

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS,

Hoc eſt.

LOGICÆ,

PARS I.

Complectitur Difficultatum Prooemialium Reſolutiones.

§. I.

De ipſa Logica ſecundùm ſe, ejus neceſſitate, qualitate, diviſione, ceteriſq; annexis.

RESOLVTIO I.

Logica, alia Naturalis, alia Artificialis.

1 LOgica ſecundùm nominis etymologiam à græco nomine λόγος, quod latine *Verbum rationem, ſapientiam, &c.* ſignificat, derivata, dividitur in Naturalem & Artificialem. Naturalis eſt innata facultas homini collata

Digitized by Google

lata cum ipſa natura ab Authore naturæ, quâ quivis homo quantumvis rudis & agreſtis, abſque longo exercitio & ſtudio in materia clariori diſcurre poteſt.

2 Artificialis verò eſt facultas, vel habitus intellectualis noſtro Protoparenti primitus à Deo cum cæteris ſcientijs infuſus, à poſteris verò, qui eam habent, proprio & præceptoris labore acquiſitus, cujus eſt intellectum certis quibuſdam & artificioſis regulis atque præceptis ita imbuere, ut in quavis materia ſine ullo erroris periculo ordinate & faciliter diſcurrere queat: vocatur *Rationalis ſcientia, quæ non ſolum rationalis eſt ex hoc, quod eſt ſecundùm rationem, quod eſt omnibus artibus commune, ſed etiam ex hoc, quod eſt circa ipſum actum rationis, ſicut circa propriam materiam.* S. Thom. [a]

RESOLVTIO II.

Datur naturalis propenſio in Logicam artificialem.

QVia verò *homo naturaliter ſcire deſiderat*, ut, inquit, Ariſtot. [b] & Angeli-

[a] *1. poſt. l. 1.* [b] *1. Met. cap. 1.*

co Doctore teſte [a] *Inſunt homini à natura quædam ſcientiarum ſemina, quemadmodum & virtutum moralium acquiſitarum:* naturalem quoque in ipſo oportet eſſe inclinationem in Logicam; & in aliam quamvis ſcientiam naturalem; quæ ſi copulativè ſumantur, ſunt adęquatus; ſi disjunctivè, ſic quælibet ſcientia eſt inadęquatus terminus dictæ inclinationis: ita tamen ut ſimpliciter & abſolutè loquendo intellectus noſter magis propendeat in Logicam Artificialem, quàm in quamvis aliam ſcientiam naturalem. Ratio eſt, quia Logica Artificialis præcęteris ſcientijs eſt magis diſcurſiva, ut pote docens modum & tradens regulas & præcepta rectè, & ſine errore diſcurrendi; Erit igitur dictę inclinationi, quatenus homo naturaliter diſcurſivus eſt, magis proportionata, & ita in eam major proclivitas; quæ attenditur, non pręcisè ex majori perfectione termini abſolutè, ſed ex majori proportione ejuſdem ad potentiam, ſicut quamvis cognoſcere, & intelligere independenter à ſenſibus ſit perfectius, quàm dependenter: anima tamen noſtra pro hoc ſtatu, quo eſt in corpore, magis propendet in modum intelligendi dependenter à ſen-

[a] *1.2q.63.a.1.in Corp.*

ſenſibus, quia eſt modus intelligendi ei magis proportionatus, licet non magis perfectus.

RESOLVTIO III.

Eſt neceſſaria ſimpliciter ad omnes alias ſcientias.

4 Logica Artificialis ad omnes alias ſcientias tam quoad ſtatum imperfectum, quàm quoad ſtatum earum perfectum in ratione ſcientiæ acquirendas, nec non quoad uſum & conſervationem earundem, ſimpliciter neceſſaria eſt: hęc enim eſt clypeus diſciplinarum, rationis oculus, mundi rationalis, id eſt, mentis ſol, quô unô ſcientię omnes illuſtrantur. Evidentem hujus rationem ſubminiſtrat Ariſtot. a ubi ſic definit ſcire; *Eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius cauſa ſit, & quod non contingat ſe aliter habere*: quod quidem non fit niſi per Logicam, utpote quę ſola docet facere formalem demonſtrationem, unicè generativam ſcientiæ; Præterea certò & evidenter oſtendit diſpoſitionem præmiſſarum eſſe rectam ad rectè inferendam concluſionem, eamque ex ſuis principijs ita inferri, ut non contingat ſe aliter

a 1.*poſt.c.*2.

aliter habere: erit igitur hæc ſimpliciter neceſſaria ad quemvis actum ſcientificum in ratione ſcientię habendum. Quod & amplius confirmatur. Etenim ut quis habeat ſcientiam, non ſufficit cognoſcere veritatem conſequentis, ſed neceſſarium eſt etiam cognoſcere bonitatem conſequentiæ; atqui hoc nullus poteſt ſine Logica, cum hæc ſola tradat regulas, & præcepta ex quibus & non aliter poteſt cognoſci bonitas conſequentiæ; Ergo ſimpliciter erit neceſſaria ad quemcunque actum ſcientificum capiendum. *Quare neſciens Logicam etſi aliquid ſcire videatur, neſcit tamen, cum ſui ſciti cauſam ignoret.* B. Albertus Magnus. [a]

5 Obijcies: Poteſt aliquis ſolo lumine naturali ſine Logica conficere ſyllogiſmum in aliquo ex primis quatuor modis primæ figuræ, ergo poterit acquirere veram ſcientiam in eſſe ſcientiæ ſine Logica, patet conſequentia; quia illa eſt vera ſcientia, quæ generatur per veram demonſtrationem. Ergo. *Reſp.* Diſting. antec. Poteſt aliquis conficere ſyllogiſmum &c. caſualiter & fortuitò, conced. ſcientificè & ſecundum regulas artis Logicæ, neg. antec. cum conſequentia, ad hujus probationem dicitur, illam

[a] *tract. 1. log. c. 3.*

illam eſſe veram ſcientiam, quæ generatur per veram demonſtrationem, quæ eſt talis ſecundùm ſe, & etiam in ordine ad cognoſcentem à quo fit, non verò ſi ſit demonſtratio vera ſecundùm ſe tantùm, prout contingit in caſu, quo quis ſolo lumine naturali caſualiter aliquam demonſtrationem conficit. Vt ergo in aliquo generetur vera ſcientia, *oportet ſcientem, ſi eſt perfectè cognoſcens, quod cognoſcat cauſam rei ſcitæ.* S. Thom. [a] quod utique non contingit in ignaro Logicæ, qui neſcit ſe ſcire, neque poteſt reddere cauſam quare conſequentia ſit bona & evidens, & quare illa diſpoſitio ſic & non aliter concludat; quod ſi dederit cauſam veritatis conſequentis, nunqam tamen ſine Logica dabit cauſam bonitatis conſequentiæ.

RESOLVTIO IV.

Dividitur in Docentem & Vtentem.

6 PArtitionem Logicæ in Docentem & Vtentem quoad omnes ſuas partes videlicet tam quoad partem analyticam, ſeu demonſtrativam, quàm quoad partem topicam & ſophiſticam, cum communi Philoſophorum

rum

[a] *l.* 1. *poſt. lect.* 4.

Digitized by Google

rum ſchola, tùm in propria ejus, tum extranea aliarum ſcientiarum materia agnoſcimus. Dicitur autem *Logica Docens*, quatenus ſcientificè tradit regulas & præcepta rectè definiendi, dividendi & argumentandi, modumque oſtendit, quomodo in omni materia vel demonſtrativè; vel probaliter, vel etiam apparenter ſeu ſophiſticè diſſerendum ſit, *Vtens* verò vocatur, quatenus prædictis regulis & præceptis utitur, eaque applicat certæ alicui materiæ introducendo in eam formam aliquam logicalem V. g. ſyllogiſmi &c. Nec arbitrandum eſt Logicam dici Vtentem ſolùm paſſivè, qua ſi videlicet illa tantùm conficiat inſtrumenta & accomodet illa alijs ſcientijs, ut illis utantur, ſicut faber ferrarius conficit malleum, quem poſtea utendum committit fabro lignario: ſed verè dicitur *Vtens* activè, quatenus ipſamet in intellectu humano reſidens, activè concurrit ad quamcunque formam logicalem in quacunque materia introducendam, utendo regulis & præceptis à Logica Docente traditis & preſcriptis.

7 Quod ſi quis prætendat formam ſyllogiſticam (& idem eſt de alijs inſtrumentis logicalibus) in demonſtratione v. g. Philoſophica pro-

produci ab ipſamet Philoſophia, non quidem per ſe, ſed conſequenter ad productionem ipſorum actuum, qui reperiuntur in demonſtratione philoſophica, id penitùs negandum eſt, ſiquidem hęc forma cum ſit ens rationis, & proximè reſultet ad diſpoſitionem paſſivam actuum, conceptuum & terminorum, debebit provenire ab eo à quo prevenit hæc diſpoſitio paſſiva; ſed hęc à nulla alia ſcientia, etiam in demonſtratione philoſophica provenit niſi à Logica; Ergo. Minor probatur. Ab eo provenit diſpoſitio paſſiva, cujus eſt activè dirigere, quandoquidem diſpoſitio paſſiva eſt denominatio extrinſeca orta ab activa diſpoſitione; ſed diſponere activè actus & conceptus &c. eſt proprium munus Logicę Vtentis; Ergo etiam ipſa diſpoſitio paſſiva provenit à Logica, atque adeo etiam ipſa forma demonſtrationis Philoſophicę. Minor eſt certa, ubi enim Logica non eſt, etiamſi aliæ ſcientiæ adſit, nunquam talis diſpoſitio eſſe poterit.

Digitized by Google

RESOLVTIO V.

Idem eſt habitus Logicę Docentis & Vtentis.

8 LOgica *Docens* & *Vtens*, quantumvis habeant actus, & munia inter ſe diverſa, quâ ratione etiam ſolâ diſtinctione rationis ratiocinatę diſſecantur, conſtituunt tamen unum eundemque realiter entitativè habitum. Et hoc inſinuat S. Thom. [a] quatenus ibidem aſſerit. *Dialectica conſiderari poteſt ſecundùm quod eſt docens, & ſecundum quod eſt utens*, quibus verbis ſolam diſtinctionem pænes diverſam conſiderationem intervenire fatetur. Idipſum convincit ratio. Nam cum habitus non dentur, niſi ad ſuperandas difficultates, non oportet eos multiplicare, niſi ubi eſt nova difficultas, atqui habitâ doctrinâ, quomodo debeant confici ſyllogiſmi, & alia inſtrumenta ſciendi, nulla amplius reſtat in intellectu difficultas, eadem inſtrumenta in quacunque materia conficiendi, quemadmodum habens artem pulſandi organa, poteſt ex ijſdem principijs applicare digitos ad quodcunque organum,

[a] 4. *Metaph. lib.* 4.

Digitized by Google

num, quod ſi in hac applicatione inveniat aliquam difficultatem, non opus eſt alio habitu organizandi, ſed ſola digitorum exercitatione; ergo ſimiliter habitâ doctrinâ de confectione ſyllogiſmorum, non opus eſt alio habitu, quô intellectus facilitetur ad eos conficiendos. Vnde differunt tantùm pænes actus inadæquatos ordine quodam ſe habentes, quorum unus ſit doctrina, alter verò uſus doctrinæ, à quibus Logica dicitur Docens & Vtens.

RESOLVTIO VI.

Logica Artificialis eſt propriè dicta ſcientia.

9 L*Ogica ſecundùm quod eſt docens habet conſiderationem de ſecundis intentionibus inſtituens modum, quò per eas procedi poſſit ad concluſiones in ſingulis ſcientijs probabiliter oſtendendas, & hoc demonſtrativè ita facit, & ſecundùm hoc eſt ſcientia.* S. Thom. [a] De Logica Vtente major difficultas eſt, num ſit ſcientia. Nos aſſerimus eam quidem entitativè & materialiter ſcientiam eſſe, cum ſit idem habitus cum Docente, formaliter verò minimè, Sic; enim,

a *4.Metaſ.4.*

enim, *recedit à modo ſcientiæ*, S. Thom. [a] Vtique quia non procedit modô reſolutoriô, ſed potiùs compoſitoriô, introducendo formas Logicales in materiam: quare potiùs dicenda eſt Ars liberalis, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quandam ſimilitudinem. *Illa*, etenim, *inter cæteras ſcientias artes dicuntur, quæ non ſolùm habent cognitionem, ſed opus aliquod quod eſt immediatè ipſius rationis*, S. Thom [b] ad quæ verba ſic ſubſumitur. Sed Logica præter cognitionem ſui objecti verſatur etiam circa opus aliquod, quod eſt immediatè ipſius rationis, dum videlicet introducit formam aliquam V. g. ſyllogiſticam primariò in actus intellectus, ſecundariò verò voces & ſcripturas. Igitur ſecundùm hoc Logica Vtens erit ars liberalis.

10 *Dices*. Habitus ſpeculativus adæquatè dividetur in Scientiam, Sapientiam & Intelligigentiam; cum ergo etiam Logica Vtens quà talis, ſit habitus ſpeculativus, debebit etiam contineri ſub aliquo ex membris dividentibus, utique ſub Scientia, ſicque Ars non erit. *Reſp.* Habitum ſpeculativum in illa diviſione ſumi pro eo, qui procedit modô reſolutoriô, cujuſmodi non eſt Logica Vtens formaliter conſiderata,

[a] *ibid.* [b] *opuſ. 70 q. 5. a. 1. ad 3.*

rata, quò tamen non obſtante adhuc continetur ſub diviſo, & etiam determinatè ſub aliquo membro diuidente, nimirum ſub *Scientia*, quatenus hæc diviſio intelligitur facta in illas tres ſpecies entitativè, & materialiter conſideratas.

RESOLVTIO VII.

Logica eſt ſcientia ſpeculativa.

11 CElebris hoc tempore controverſia eſt inter Philoſophos ſitnè Logica quà Docens ſcientia practica, an verò ſpeculativa? Aliqui ex antiquioribus exiſtimant, illam nec practicam, nec ſpeculativam eſſe; Sed hæc ſubſiſtere nequit, cum omnis habitus procedens lumine naturali, & dirigens aliquas operationes, vel practicus ſit, vel ſpeculativus. Alij cenſent eam ſimul practicam, & ſpeculativam eſſe; Sed nec iſta verum aſſerit, cum practicum, & ſpeculativum ſint differentiæ formaliter oppoſitæ eidem habitui inferioris ordinis, uti eſt Logica, planè repugnantes, Denique alij tenent, eam ſimpliciter practicam eſſe; Sed nec iſta placet, cum nec activa, nec factiva ſit: non activa, quia non dirigit ope-

rationes, quæ ſint praxis, & al etius potentiæ ab intellectu; Non factiva, quia non verſatur in materia exteriori, ſicut ars fabrilis.

12 Quapropter excluſis prędictis ſententijs nos cenſemus eam ſimpliciter eſſe ſpeculativam, ita enim docet Angelicus Doctor,[a] his verbis. *Ad tertium dicendum, quod etiam in ſpeculativis alia rationalis ſcientia eſt Dialectica.* Idipſum oſtenditur ex diſcrimine quod idem S. D.[b] ponit inter practicum & ſpeculativum, dicitque ex Ariſt.[c] hæc differre fine, quatenus videlicet ſpeculativum reſpicit veritatis cognitionem, practicum verò opus, non qualecunque, ſed opus extra intellectum: cum ergo praxis ſit actus alterius potentiæ ab intellectu, Logica verò dirigat actus ſolius intellectus, qui ſunt veritatis contemplatio, ideò & ipſa ſimpliciter erit habitus & ſcientia ſpeculativa.

13 Nec obſtat, quod Logica etiam conſtruat ſyllogiſmos, alioſque modos ſciendi in Vocibus & Scripturis, ac per conſequens dirigat operationes extra intellectum: Ex hoc enim ſolùm ſequitur, quod ſit practica ſecundùm

a 12. q. 51. a. 2. ad 3. b 1. p. q. 76. a. 11. in corp. c 3. de anima t. 49.

dùm quid, & impropriè, non verò propriè, ſicut nec propriè Ars eſt, ſed tantùm ſimilitudinariè: Quapropter ſicut in ſcientijs Mathematicis, directio aliquorum operum, & conſtructio illorum, puta figurarum, ſpheræ, aſtrolabij &c. non extrahunt illas à ratione ſcientiæ ſpeculativæ, eò quòd talium operum conſtructio ordinetur ad veritatis cognitionem, nec ipſæ ſcientię, ultimatè ſiſtant aut quieſcant in talium operum confectione; ita quoque Logica, opera quæ extra intellectum conficit, non ratione ſui intendit, nec in eiſdem conquieſcit, ſed ordinat ulteriùs ad ſpeculandam veritatem, & ita non operatur ut operetur, ſed ut ſciat, cognoſcat & ignorantiam effugiat.

RESOLVTIO VIII.

Objectum Logicæ eſt Ens rationis.

14 TAmetſi ad Logicam pertineat ordinare, & dirigere operationes mentis, ejuſque conceptus; ipſi tamen non caduut ſub conſideratione Logicę, niſi ut aliquid materiale, dicitur enim, *Logica rationalis ſcientia ex hoc, quod eſt circa ipſum actum rationis, ſicut*

circa propriam materiam. S. Thom. [a] Quod etiam hac ratione manifeſtum fit: Illud namque eſt materia alicujus artis, in quod introducitur forma artis; ſed in ipſas operationes intellectus ut ſunt proxmè dirigibiles directione formali, introducitur forma Logicæ, quæ eſt ens rationis, ergo erunt objectum materiale; ipſę quidem operationes & conceptus proximum, res autem conceptæ remotum. Minor probatur. Nam hæc forma Logice V. g. eſſe prædicatnm, eſſe genus attribuitur conceptui V. g. animalis, quatenus intellectus conſiderat animal ut ſub ſe continet ſuas ſpecies, qui quidem conceptus ſecundùm ſe eſt ens reale, forma autem illa denominans conceptum denominatione generis eſt ens rationis, quia non convenit ei niſi beneficio intellectus.

15 *Inſtabis* fortè & dices, Logicam conſiderare conceptus in ordine ad directionem, quæ eſt aliquid reale, utpote modus realis intrinſecus in illis. *Sed contra* nos aſſerimus, quod quidem iſta directio ſive activa, ſive paſſiva, concurrat etiam tanquam quid prævium, & prærequiſitum ad formalem directionem, non eſſe autem id per quod conceptus formaliter ſunt-

[a] 1. poſt. l. 1.

ſunt directi; quemadmodum in nullo artificio directio activa, nec paſſiva, eſt forma ejus; lapides enim & ligna, non ſunt directa formaliter per directionem ipſam, quæ eſt actio tranſiens, ſed quatenus ſunt adiuvata ſub una forma domus; ſic ſimiliter dicendum eſt de conceptibus, qui formaliter ſunt directi per formam aliquam rationis ad directionem paſſivam eis ſupervenientem.

16 Hinc ergo concludimus, Objectum formale & adæquatum Logicæ eſſe Ens rationis, non in tota ſua latitudine ſumptum, nec reſtrictum ad demonſtrationem, ſyllogiſmum aut modum ſciendi, ſed eſſe ens rationis logicum fundatum in rebus, quod ut S. Thom. [a] ait, *propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus conſideratis, ſicut intentio generis, & ſpeciei, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, ſed conſiderationem rationis conſequuntur, & hujuſmodi ſcilicet ens rationis eſt propriè ſubjectum Logicæ.*

17 Porò *Ratio formalis ſub qua* attingitur ens rationis eſt abſtractio ab omni materia, tam ſenſibili, quam intelligibili; ſicut enim lumen eſt ratio formalis ſub Qua attingitur

 color

[a] 4. *Meta. l. 4.*

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS,

Hoc eſt.

LOGICÆ,

PARS I.

Complectitur Difficultatum Proœmialium Reſolutiones.

§. I.

De ipſa Logica ſecundùm ſe, ejus neceſſitate, qualitate, diviſione, cęteriſq; annexis.

RESOLVTIO I.

Logica, alia Naturalis, alia Artificialis.

1 LOgica ſecundùm nominis etymologiam à græco nomine λόγος, quod latine *Verbum rationem, ſapientiam, &c.* ſignificat, derivata, dividitur in Naturalem & Artificiaem. Naturalis eſt innata facultas homini col-

lata

lata cum ipſa natura ab Authore naturæ, qua quivis homo quantumvis rudis & agreſtis, abſque longo exercitio & ſtudio in materia clariori diſcurre poteſt.

2 Artificialis verò eſt facultas, vel habitus intellectualis noſtro Protoparenti primitus à Deo cum cæteris ſcientijs infuſus, à poſteris verò, qui eam habent, proprio & præceptoris labore acquiſitus, cujus eſt intellectum certis quibuſdam & artificioſis regulis atque præceptis ita imbuere, ut in quavis materia ſine ullo erroris periculo ordinate & faciliter diſcurrere queat: vocatur *Rationalis ſcientia, quæ non ſolum rationalis eſt ex hoc, quod eſt ſecundùm rationem, quod eſt omnibus artibus commune, ſed etiam ex hoc, quod eſt circa ipſum actum rationis, ſicut circa propriam materiam.* S. Thom. [a]

RESOLVTIO II.

Datur naturalis propenſio in Logicam artificialem.

QVia verò *homo naturaliter ſcire deſiderat*, ut, inquit, Ariſtot. [b] & Angeli-

[a] 1. *poſt. l.* 1. [b] 1. *Met. cap.* 1.

Digitized by Google

co Doctore teſte [a] *Inſunt homini à natura quedam ſcientiarum ſemina, quemadmodum & virtutum moralium acquiſitarum* : naturalem quoque in ipſo oportet eſſe inclinationem in Logicam; & in aliam quamvis ſcientiam naturalem; quæ ſi copulativè ſumantur, ſunt adęquatus; ſi disjunctivè, ſic quælibet ſcientia eſt inadęquatus terminus dictæ inclinationis: ita tamen ut ſimpliciter & abſolutè loquendo intellectus noſter magis propendeat in Logicam Artificialem, quàm in quamvis aliam ſcientiam naturalem. Ratio eſt, quia Logica Artificialis præceteris ſcientijs eſt magis diſcurſiva, ut pote docens modum & tradens regulas & præcepta rectè, & ſine errore diſcurrendi; Erit igitur dictę inclinationi, quatenus homo naturaliter diſcurſivus eſt, magis proportionata, & ita in eam major proclivitas; quæ attenditur, non prçcisè ex majori perfectione termini abſolutè, ſed ex majori proportione eiuſdem ad potentiam, ſicut quamvis cognoſcere, & intelligere independenter à ſenſibus ſit perfectius, quàm dependenter: anima tamen noſtra pro hoc ſtatu, quo eſt in corpore, magis propendet in modum intelligendi dependenter à ſen-

[a] *1.2q.63.a.1.in Corp.*

ſenſibus, quia eſt modus intelligendi ei magis proportionatus, licet non magis perfectus.

RESOLVTIO III.

Eſt neceſſaria ſimpliciter ad omnes alias ſcientias.

4 LOgica Artificialis ad omnes alias ſcientias tam quoad ſtatum imperfectum, quàm quoad ſtatum earum perfectum in ratione ſcientiæ acquirendas, nec non quoad uſum & conſervationem earundem, ſimpliciter neceſſaria eſt: hęc enim eſt clypeus diſciplinarum, rationis oculus, mundi rationalis, id eſt, mentis ſol, quô unô ſcientię omnes illuſtrantur. Evidentem hujus rationem ſubminiſtrat Ariſtot. a ubi ſic definit ſcire; *Eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius cauſa ſit, & quod non contingat ſe aliter habere*: quod quidem non fit niſi per Logicam, utpote quę ſola docet facere formalem demonſtrationem, unicè generativam ſcientiæ; Præterea certò & evidenter oſtendit diſpoſitionem præmiſſarum eſſe rectam ad rectè inferendam concluſionem, eamque ex ſuis principijs ita inferri, ut non contingat ſe aliter

a 1. *poſt. c. 2.*

aliter habere: erit igitur hæc ſimpliciter neceſſaria ad quemvis actum ſcientificum in ratione ſcientię habendum. Quod & amplius confirmatur. Etenim ut quis habeat ſcientiam, non ſufficit cognoſcere veritatem conſequentis, ſed neceſſarium eſt etiam cognoſcere bonitatem conſequentiæ; atqui hoc nullus poteſt ſine Logica, cum hæc ſola tradat regulas, & præcepta ex quibus & non aliter poteſt cognoſci bonitas conſequentiæ; Ergo ſimpliciter erit neceſſaria ad quemcunque actum ſcientificum capiendum. *Quare neſciens Logicam etſi aliquid ſcire videatur, neſcit tamen, cum ſui ſciti cauſam ignoret.* B. Albertus Magnus. [a]

5 Obijcies: Poteſt aliquis ſolo lumine naturali ſine Logica conficere ſyllogiſmum in aliquo ex primis quatuor modis primæ figuræ, ergo poterit acquirere veram ſcientiam in eſſe ſcientiæ ſine Logica, patet conſequentia; quia illa eſt vera ſcientia, quæ generatur per veram demonſtrationem. Ergo. *Reſp.* Diſting. antec. Poteſt aliquis conficere ſyllogiſmum &c. caſualiter & fortuitò, conced. ſcientificè & ſecundum regulas artis Logicæ, neg. antec. cum conſequentia, ad hujus probationem dicitur, illam

[a] *tract. 1. log. c. 3.*

illam eſſe veram ſcientiam, quæ generatur per veram demonſtrationem, quæ eſt talis ſecundùm ſe, & etiam in ordine ad cognoſcentem à quo fit, non verò ſi ſit demonſtratio vera ſecundùm ſe tantùm, prout contingit in caſu, quo quis ſolo lumine naturali caſualiter aliquam demonſtrationem conficit. Vt ergo in aliquo generetur vera ſcientia, *oportet ſcientem, ſi eſt perfectè cognoſcens, quod cognoſcat cauſam rei ſcitæ.* S. Thom. [a] quod utique non contingit in ignaro Logicæ, qui neſcit ſe ſcire, neque poteſt reddere cauſam quare conſequentia ſit bona & evidens, & quare illa diſpoſitio ſic & non aliter concludat; quod ſi dederit cauſam veritatis conſequentis, nunqam tamen ſine Logica dabit cauſam bonitatis conſequentiæ.

RESOLVTIO IV.

Dividitur in Docentem & Vtentem.

6 PArtitionem Logicæ in Docentem & Vtentem quoad omnes ſuas partes videlicet tam quoad partem analyticam, ſeu demonſtrativam, quàm quoad partem topicam & ſophiſticam, cum communi Philoſophorum

a *l.* 1. *poſt. lect.* 4.

rum ſchola, tùm in propria ejus, tum extranea aliarum ſcientiarum materia agnoſcimus. Dicitur autem *Logica Docens*, quatenus ſcientificè tradit regulas & pręcepta rectè definiendi, dividendi & argumentandi, modumque oſtendit, quomodo in omni materia vel demonſtrativè; vel probaliter, vel etiam apparenter ſeu ſophiſticè differendum ſit, *Vtens* verò vocatur, quatenus prędictis regulis & præceptis utitur, eaque applicat certæ alicui materiæ introducendo in eam formam aliquam logicalem V. g. ſyllogiſmi &c. Nec arbitrandum eſt Logicam dici Vtentem ſolùm paſſivè, qua ſi videlicet illa tantùm conficiat inſtrumenta & accomodet illa alijs ſcientijs, ut illis utantur, ſicut faber ferrarius conficit malleum, quem poſtea utendum committit fabro lignario: ſed verè dicitur *Vtens* activè, quatenus ipſamet in intellectu humano reſidens, activè concurrit ad quamcunque formam logicalem in quacunque materia introducendam, utendo regulis & præceptis à Logica Docente traditis & pręſcriptis.

7 Quod ſi quis prætendat formam ſyllogiſticam (& idem eſt de alijs inſtrumentis logicalibus) in demonſtratione v. g. Philoſophica pro-

produci ab ipſamet Philoſophia, non quidem per ſe, ſed conſequenter ad productionem ipſorum actuum, qui reperiuntur in demonſtratione philoſophica, id penitùs negandum eſt, ſiquidem hęc forma cum ſit ens rationis, & proximè reſultet ad diſpoſitionem paſſivam actuum, conceptuum & terminorum, debebit provenire ab eo à quo prevenit hæc diſpoſitio paſſiva; ſed hęc à nulla alia ſcientia, etiam in demonſtratione philoſophica provenit niſi à Logica; Ergo. Minor probatur. Ab eo provenit diſpoſitio paſſiva, cujus eſt activè dirigere, quandoquidem diſpoſitio paſſiva eſt denominatio extrinſeca orta ab activa diſpoſitione; ſed diſponere activè actus & conceptus &c. eſt proprium munus Logicę Vtentis; Ergo etiam ipſa diſpoſitio paſſiva provenit à Logica, atque adeo etiam ipſa forma demonſtrationis Philoſophicę. Minor eſt certa, ubi enim Logica non eſt, etiamſi aliæ ſcientiæ adſit, nunquam talis diſpoſitio eſſe poterit.

RESO-

RESOLVTIO V.

Idem eſt habitus Logicę Docentis & Vtentis.

8 LOgica *Docens* & *Vtens*, quantumvis habeant actus, & munia inter ſe diverſa, quâ ratione etiam ſolâ diſtinctione rationis ratiocinatę diſſecantur, conſtituunt tamen unum eundemque realiter entitativè habitum. Et hoc inſinuat S. Thom. [a] quatenus ibidem aſſerit. *Dialectica conſiderari poteſt ſecundùm quod eſt docens, & ſecundum quod eſt utens*, quibus verbis ſolam diſtinctionem pænes diverſam conſiderationem intervenire fatetur. Idipſum convincit ratio. Nam cum habitus non dentur, niſi ad ſuperandas difficultates, non oportet eos multiplicare, niſi ubi eſt nova difficultas, atqui habitâ doctrinâ, quomodo debeant confici ſyllogiſmi, & alia inſtrumenta ſciendi, nulla amplius reſtat in intellectu difficultas, eadem inſtrumenta in quacunque materia conficiendi, quemadmodum habens artem pulſandi organa, poteſt ex ijſdem principijs applicare digitos ad quodcunque organum,

a 4. *Metaph. lib. 4.*

num, quod ſi in hac applicatione inveniat aliquam difficultatem, non opus eſt alio habitu organizandi, ſed ſola digitorum exercitatione; ergo ſimiliter habitâ doctrinâ de confectione ſyllogiſmorum, non opus eſt alio habitu, quô intellectus facilitetur ad eos conficiendos. Vnde differunt tantùm pænes actus inadæquatos ordine quodam ſe habentes, quorum unus ſit doctrina, alter verò uſus doctrinæ, à quibus Logica dicitur Docens & Vtens.

RESOLVTIO VI.

Logica Artificialis eſt propriè dicta ſcientia.

9 L*Ogica ſecundùm quod eſt docens habet conſiderationem de ſecundis intentionibus inſtituens modum, quò per eas procedi poſſit ad concluſiones in ſingulis ſcientijs probabiliter oſtendendas, & hoc demonſtrativè ita facit, & ſecundùm hoc eſt ſcientia.* S. Thom. [a] De Logica Vtente major difficultas eſt, num ſit ſcientia. Nos aſſerimus eam quidem entitativè & materialiter ſcientiam eſſe, cum ſit idem habitus cum Docente, formaliter verò minimè, *Sic* enim,

[a] *4.Metaſ.4.*

Digitized by Google

enim, *recedit à modo ſcientia*, S. Thom. [a] Vtique quia non procedit modô reſolutoriô, ſed potiùs compoſitoriô, introducendo formas Logicales in materiam: quare potiùs dicenda eſt Ars liberalis, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quandam ſimilitudinem. *Illa*, etenim, *inter cæteras ſcientias artes dicuntur, quæ non ſolùm habent cognitionem, ſed opus aliquod quod eſt immediatè ipſius rationis*, S. Thom [b] ad quæ verba ſic ſubſumitur. Sed Logica præter cognitionem ſui objecti verſatur etiam circa opus aliquod, quod eſt immediatè ipſius rationis, dum videlicet introducit formam aliquam V.g. ſyllogiſticam primariò in actus intellectus, ſecundariò verò voces & ſcripturas. Igitur ſecundùm hoc Logica Vtens erit ars liberalis.

10 *Dices*. Habitus ſpeculativus adæquatè dividetur in Scientiam, Sapientiam & Intelligentiam; cùm ergo etiam Logica Vtens quà talis, ſit habitus ſpeculativus, debebit etiam contineri ſub aliquo ex membris dividentibus, utique ſub Scientia, ſicque Ars non erit. *Reſp*. Habitum ſpeculativum in illa diviſione ſumi pro eo, qui procedit modô reſolutoriô, cujuſmodi non eſt Logica Vtens formaliter conſiderata,

[a] *ibid.* [b] *opuſ.70 q.5.a.1.ad 3.*

rata, quò tamen non obſtante adhuc continetur ſub diviſo, & etiam determinatè ſub aliquo membro diuidente, nimirum ſub *Scientia*, quatenus hæc diviſio intelligitur facta in illas tres ſpecies entitativè, & materialiter conſideratas.

RESOLVTIO VII.

Logica eſt ſcientia ſpeculativa.

11 CElebris hoc tempore controverſia eſt inter Philoſophos ſitnè Logica qua Docens ſcientia practica, an verò ſpeculativa? Aliqui ex antiquioribus exiſtimant, illam nec practicam, nec ſpeculativam eſſe; Sed hæc ſubſiſtere nequit, cum omnis habitus procedens lumine naturali, & dirigens aliquas operationes, vel practicus ſit, vel ſpeculativus. Alij cenſent eam ſimul practicam, & ſpeculativam eſſe; Sed nec iſta verum aſſerit, cum practicum, & ſpeculativum ſint differentiæ formaliter oppoſitæ eidem habitui inferioris ordinis, uti eſt Logica, planè repugnantes, Denique alij tenent, eam ſimpliciter practicam eſſe; Sed nec iſta placet, cum nec activa, nec factiva ſit; non activa, quia non dirigit ope-

 rationes,

rationes, quæ ſint praxis, & al erius potentiæ ab intellectu; Non factiva, quia non verſatur in materia exteriori, ſicut ars fabrilis.

12 Qua propter excluſis prędictis ſententijs nos cenſemus eam ſimpliciter eſſe ſpeculativam, ita enim docet Angelicus Doctor,[a] his verbis. *Ad tertium dicendum, quod etiam in ſpeculativis alia rationalis ſcientia eſt Dialectica.* Idipſum oſtenditur ex diſcrimine quod idem S. D.[b] ponit inter practicum & ſpeculativum, dicitque ex Ariſt.[c] hæc differre fine, quatenus videlicet ſpeculativum reſpicit veritatis cognitionem, practicum verò opus, non qualecunque, ſed opus extra intellectum: cum ergo praxis ſit actus alterius potentiæ ab intellectu, Logica verò dirigat actus ſolius intellectus, qui ſunt veritatis contemplatio, ideò & ipſa ſimpliciter erit habitus & ſcientia ſpeculativa.

13 Nec obſtat, quod Logica etiam conſtruat ſyllogiſmos, alioſque modos ſciendi in Vocibus & Scripturis, ac per conſequens dirigat operationes extra intellectum: Ex hoc enim ſolùm ſequitur, quod ſit practica ſecundùm

a 12. *q.* 51. *a.* 2. *ad* 3. b 1. *p. q.* 76. *a.* 11. *in corp.* c 3. *de anima t.* 49.

Digitized by Google

quid, & improp iè, non verò propriè, nec propriè Ars eſt, ſed tantùm ſimilitu-riè: Quapropter ſicut in ſcientijs Mathe-cis, directio aliquorum operum, & con-tio illorum, puta figurarum, ſpheræ, labij &c. non extrahunt illas à ratione itiæ ſpeculativæ, eò quod talium operum tructio ordinetur ad veritatis cognitio-, nec ipſæ ſcientię, ultimatè ſiſtant aut ſcant in talium operum confectione; ita ue Logica, opera quæ extra intellectum cit, non ratione ſui intendit, nec in eiſ-conquieſcit, ſed ordinat ulteriùs ad ſpe-idam veritatem, & ita non operatur ut tur, ſed ut ſciat, cognoſcat & ignoranz effugiat.

RESOLVTIO VIII.

Objectum Logicæ eſt Ens rationis.

TAmetſi ad Logicam pertineat ordi-nare, & dirigere operationes mentis, ie conceptus; ipſi tamen non cadunt ſub deratione Logicę, niſi ut aliquid matę-dicitur enim, *Logica rationalis ſcientia, quod eſt circa ipſum actum rationis, ſicut*

: directi; quemadmodum in nullo artifi-
directio activa, nec paſſiva, eſt forma
; lapides enim & ligna, non ſunt directa
naliter per directionem ipſam, quæ eſt a-
, tranſiens, ſed quatenus ſunt adiuvata ſub
forma domus; ſic ſimiliter dicendum eſt
conceptibus, qui formaliter ſunt directi
formam aliquam rationis ad directionem
ivam eis ſupervenientem.
6 Hinc ergo concludimus, Objectum for-
e & adæquatum Logicæ eſſe Ens rationis,
in tota ſua latitudine ſumptum, nec reſtri-
m ad demonſtrationem, ſyllogiſmum aut
dum ſciendi, ſed eſſe ens rationis logicum
datum in rebus, quod ut S. Thom. ª ait,
*rià dicitur de illis intentionibus, quas ratio
venit in rebus conſideratis, ſicut intentio ge-
s, & ſpeciei, quæ quidem non inveniuntur in
um natura, ſed conſiderationem rationis con-
untur, & hujuſmodi ſcilicet ens rationis eſt
riè ſubjectum Logicæ.*
7 Porò *Ratio formalis ſub qua* attingitur
rationis eſt abſtractio ab omni materia,
ſenſibili, quam intelligibili; ſicut enim
en eſt ratio formalis ſub Qua attingitur
E 3 color

ª 4. *Meta. l. 4.*

color, quia per illud conſtituitur color in eſſe viſibilis à potentia viſiva; ita per abſtractionem ab omni materia, conſtituitur ens rationis attingibile à Logica: cùm enim ens rationis non ſit quale, nec quantum, non habet materiam cui inhæreat; habet tamen materiam quam denominet, videlicet, operationes intellectus, quæ primariò, & res ipſas ab intellectu conceptas, quæ ſecundariò dicuntur ab eo directæ, formali, intellige, directione, non effectiva.

18 *Obijcies.* Cauſa non realis nullo modo poteſt cauſare effectum realem, & phyſicum; ſed actus benè diſpoſiti, & ordinati per formam demonſtrationis, cauſant verum, & realem effectum phyſicum, videlicet, ſcientiam, ergo talis directio, & diſpoſitio non eſt aliquid rationis, ſed vera & realis entitas. *Reſp.* conceſſa majore, diſting. min. cauſant realem, & phyſicum effectum, pro materiali, conced. pro formali, neg. Min: ſi enim ſimilem diſpoſitionem facias in alia materia. V. g. in topica, non generabit ſcientiam; unde ipſa diſpoſitio, vel directio, non eſt id quod cauſat, ſed eſt modus, & conditio neceſſariò petita, ut materiale quod ſub eo eſt, effectum realem cauſet

Nec

Nec hoc mirum eſt, nam etiam Sacramenta novæ legis, quorum forma in debita verborum ſignificatione conſiſtit, non cauſant gratiam in anima, niſi accedente illa verborum ſignificatione, quę tamen aliquid rationis eſt.

§. 2.

De Ente Rationis.

RESOLVTIO IX.

Declaratur ejus natura.

19 DAri entia rationis pluſquam rationabile eſt, cum dentur quam plurima prædicata quę conveniunt rebus non niſi quatenus ſunt in intellectu; Eorum natura non conſiſtit in denominatione aliqua extrinſeca, ſive ſtrictô ſive largô modô ſumpta, ſed formaliſſimè conſiſtit in quadam entitate metaphorica communicata ab intellectu, *fit enim ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non eſt, & ideò fingit illud ac ſi eſſet ens.* S. Thom. [a] Vnde etiam Ariſtoleles illud communiter,

[a] *opuſc.42.*

muniter, vocat ens in anima, utique quia *tantùm habet eſſe objectivè in intellectu*, quod eſſe reſultat in ipſis rebus hôc vel aliô modô, V. g. ſub ratione & forma generis, aut ſpeciei &c. conceptis, ipſaſque ad modum formæ intrinſecę denominat.

RESOLVTIO X.

De potentia formativa Entis rationis.

20 N*Ec voluntas*, nec ſenſus, ſive internus, ſive externus ſunt formaliter formatiui entis rationis, ſed ſolum intellectus per quamlibet ſuam operationem ea formaliter formare poteſt. *De voluntate* & ſenſu externo id manifeſtum eſt; nam hæ potentiæ non formant ſuum objectum, ſed extra ſe ſupponunt formatum, feruntúrque in objecta extra ſe poſita; quicquid autem habet eſſe extra potentiam cognoſcentem, non eſt ens rationis. *De ſenſu* verò interno quisquis ille ſit, idipſum oſtenditur, nam ſenſus interni non poſſunt ferri in aliquid niſi ſub ratione ſenſibilis, & entis realis, aliàs verſarentur circa aliquid, quod ſub adęquato eorum objecto non continetur: qua propter hoc privilegium efficiendi entia

tia

Digitized by Google

tia rationis, ſoli intellectui conceditur.
21 An verò etiam intellectus divinus cognoſcat & faciat entia rationis, major poſſet eſſe diſceptatio. Nos tamen, quin ea cognoſcat, minimè dubitamus, ita enim ſacrę paginæ nos edocent [a] his verbis *Scit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequam fiant.* Idque egregiè confirmat D. A. [b] Ita inquiens. *Quecunque igitur poſſunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, omnia cognoſcit Deus.* An verò faciat ſaltem aliqua entia rationis, ſi eundem S. D. conſulas reſpondebit tibi in eadē parte, [c] *quod reſpectus multiplicantes ideas non ſunt in rebus creatis, ſed in Deo. Non tamen ſunt reales reſpectus, ſicut illi, quibus diſtinguuntur perſonæ ſed reſpectus intellecti à Deo.* Vnde, nil prohibet aſſerere, quod ſaltem aliqua entia & reſpectus rationis efformet. *Nec ſufficit* dicere, quod illi reſpectus rationis, cauſentur à Deo fundamentaliter proximè, non verò formaliter. *Contra eſt*, quia ille reſpectus fundamentaliter proximè, vel eſt aliquid rationis, vel aliquid reale, ſi primùm, habetur intentum; ſi ſecundum, ergo cum ille reſpectus ſit in Deo aliquid reale,

[a] *Sap 8.* [b] *1. p. q. 14. a. 9. in corp.* [c] *q. 15. a. 2. ad 4.*

Digitized by Google

reale. erit in Deo ab ipſo cauſatum, quod dicere nefas eſt.

RESOLVTIO XI.

Quotuplex ſit ens rationis?

22 ENs rationis logicum rectè dividitur in tria membra, nempe in *Negationem*, *Privationem*, & *Relationem*. *Negatio* eſt carentia formæ in ſubjecto inepto habere illam, ad modum cujusdam entis ab intellectu apprehenſa, ut v. g. carentia viſus in lapide, eſt negatio ejusdem in illo, quia lapis nullam habet aptitudinem ad hoc ut videat, ſicque negatio hæc apprehenditur ab intellectu tanquam quædam entitas, quæ negatur de lapide. *Privatio* eſt carentia alicujus formæ in ſubjecto apto nato habere illam, ad modum alicujus entis apprehenſa, ut V. g. cæcitas affert carentiam virtutis viſivæ in ſubjecto, ſcilicet, animali, cui à naturâ ineſt aptitudo ad videndum. *Relatio* rationis denique, eſt reſpectus ab intellectu per modum formæ, aut entis confictus, quo res cognita ab intellectu ad aliud refertur, ut V. g. dum intellectus comparat hominem animali, tanquam ſpeciem ad genus.

RESO

RESOLVTIO XII.

De prima, & ſecunda intentione, tam formali, quam objectiva.

23 INtentio apud Logicum eſt duplex, *formalis* videlicet, & *objectiva*. Illa eſt ipſa cogitatio, ſeu actus intellectus quo res cognoſcitur: hæc verò eſt res ipſa quæ cognoſcitur. Vtraque dividitur in *primam* & *ſecundam*, eò quod intellectus dupliciter verſari poſſit circa res; Vel enim cognoſcit rem ſecundùm id quod habet à parte rei, ut dum cognoſcit hominem eſſe animal; tunc actus ipſe cognoſcens dicitur prima intentio formalis, res verò cognita, dicitur prima intentio objectiva: & nomina ſic ſignificantia res, dicuntur nomina primæ intentionis, uti etiam dictum ſupra.[a] Vel intellectus cognoſcit res non ſecundùm ea quæ conveniunt ipſis à parte rei, ſed ſecundùm ea quę per operationem intellectus eis attribuuntur, ut quando cognoſcit animal eſſe genus, aut hominem ſpeciem, tunc ipſe actus cognoſcens dicitur ſecunda intentio formalis, res verò cognita ſecuudùm illud eſſe quod habet in

[a] *lib.* 1. *Summ.* §. 2. *reſol.* 10

Digitized by Google

in intellectu, dicitur ſecunda intentio objectiva, *quia eſt illud, quod intellectus ſecundò intelligit de re.* S. Thom. [a] & nomina ſignificantia res ſecundùm tale eſſe, dicuntur nomina ſecundę intentionis. Vtraque formalis ſemper eſt aliquid reale, utpote realis actus intellectus, & ſecunda objectiva ſemper eſt aliquid rationis; at vero prima intentio objectiva, aliquando eſt aliquid reale, aliquando aliquid rationis, quatenus unam intentionem ſuper aliam fundare contingit

[a] *Opuſ. 56. in princ.*

PHIL.

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS, PARS II.

Complectitur Vniverſale, ejuſque Species.

§. 3.

De Vniverſali in Communi.

RESOLVTIO XIII.

Datur Vniverſale fundamentaliter ſumptum in rerum natura.

24 Non ſolùm voces, & conceptus ſunt univerſales, videlicet in ſignificando, & repræſentando, ſed etiam in rebus ipſis, quatenus habent aliquam convenientiam, & ſimilitudinem inter ſe, reperitur univerſale fundamentaliter, *hinc opinio negans Vniverſalia eſt contra ſenſum* S. T. [a] Nec tamen

[a] *opuſ. 55.*

Digitized by Google

tamen exiſtimandum eſt ejuſmodi naturas univerſales, aut eſſe per ſe ſubſiſtentes, loco ſeparatas à ſingularibus, ut confixit Plato, *tale, enim, Vniverſale quod Plato ponebat ſeparatum non prædicatur de individuis.* [a] Aut eſſe diſtinctas ab ijs diſtinctione aliqua actuali ex natura rei, ut voluit Scotus, ſed diſtinguuntur ſolummodò naturæ, quæ denominantur univerſales, diſtinctione rationis ratiocinatæ, à ſingularibus.

RESOLVTIO XIV.

Vniverſale formaliter acceptum, eſt unum quid aptum ineſſe multis.

25 S. Thom. [b] volens determinare, quomodo naturæ conveniat intentio univerſalitatis, conſiderat eam in triplici ſtatu. *Primò, ſecundùm ſe & abſolutè*, id eſt in ſtatu eſſentiæ, quatenus dicit prædicata eſſentialia. *Secundò, prout eſt recepta in aliquo ſingulari ſui generis*, hoc eſt, quatenus reperitur à parte rei ad ſingularia contracta. *Tertiò modò poteſt conſiderari prout eſt in anima*, id eſt in ſtatu abſtractionis, quatenus per intellectum eſt præciſa à ſingularibus. Si igitur conſideretur primò modò natura,

[a] *S. Thom. ſup.* [b] *opuſc.42.c.7.*

ra, *nec eſt univerſalis nec particularis, ſed utrumque poteſt ei accidere.* S.D.[a] ſi verò ſecundô modô, tunc cum ſit ſingularizata & ad multiplicationem individuorum multiplicata, *non invenitur in individuis ſecundùm unitatem, ut ſit unum quid omnibus conveniens.* [b] quod tamen ad naturam univerſalis exigitur. Relinquitur ergo, quod intentio univerſalitatis ex mente S. Th. ſolummodò conveniat naturæ tertio modo conſideratæ, quatenus eſt in anima, ſicque definitur, quod ſit. *Vnum quid aptum ineſſe, aut prædicari de multis*, non per formam, aut proprietatem realem, ſed per relationem rationis, quatenus natura per intellectum ab inferioribus abſtracta, refertur rurſus ad ea, tanquam in quibus eſt.

RESOLVTIO XV.

Natura fit formaliter, & logicè univerſalis, per ſimplicem comparationem intellectus poſſibilis ad inferiora.

26 Porrò quomodo, aut per cujuſnam intellectus abſtractionem natura fiat univerſalis, non omnium eſt ſententia Aliqui enim

[a] *de ente & eſ.c.4.* [b] *opuſ. 55. non procul à fine.*

enim putant eam fieri univerſalem per abſtra-ctionem intellectus agentis. Aliqui verò per abſtractionem præciſivam intellectus poſſibi-lis. Nobis neutra ex prædictis ſententijs placet. Vnde quamvis admittamus naturam fieri uni-verſalem metaphyſicè per abſtractionem intel-lectus agentis, qui eam depurat à conditioni-bus individuantibus; & perfectiori modo per abſtractionem præciſivam intellectus poſſibi-lis; negamus tamen per aliquam prædictarum abſtractionum fieri logicè univerſalem: non quidem per priorem, quia univerſale logicum ex mente S. Thom. [a] *eſt unum in multis cogni-tum*, cognoſcere autem eſt proprium intelle-ctus poſſibilis. Neque per poſteriorem, quia natura ſic abſtracta non cognoſcitur proximè prædicabilis de multis, quia per eam necdum cognoſcitur eſſe in illis: *Dici autem De, præ-ſupponit eſſe In.*

27 Quare dicendum eſt, Naturam fieri for-maliter univerſalem logicè per ſimplicem comparationem intellectus poſſibilis, ſic enim natura completivè totum habet, quod ad uni-verſale formaliter deſideratur. Idque expreſſè docet S. Th. [b] his verbis. *Reſpectus ſignificatus per*

[a] *opuſ. 56.* [b] *1.p.q.28.a.1.*

per ea quæ dicuntur ad aliquid eſt tantùm in ipſa apprehenſione rationis conferentis unum alteri, & tunc eſt relatio rationis, ut cum comparat ratio hominem animali, ut ſpeciem ad genus. Cum ergo Vniverſale formaliter ſit relativum rationis, eſſentialiter reſpiciens plura tanquam in quibus eſt, conſtituetur in ratione talis per ſimplicem comparationem intellectus poſſibilis ad inferiora. Et quamvis natura abſtracta à conditionibus individuantibus per intellectum agentem, & ſimiliter per præciſivam intellectus poſſibilis, ſit apta ad eſſendum in pluribus negativè, & remotè, quatenus intelligitur inferiora reſpicere tanquam terminum à quo recedit, ideòque ei non repugnet rurſus ad ea referri, & comparari; non tamen ſit apta eſſendi in pluribus poſitivè, & proximè, quia non reſpicit inferiora tanquam terminum ad quem, & in quo eſt, quod ſolùm habet per comparationem ſimplicem intellectus poſſibilis.

E §. IV

§. 4.

De numero prædicabilium ſeu Vniverſalium; & primo de Genere.

RESOLVTIO XVI.

Numerantur prædicabilia ſeu ſpecies Vniverſalis.

28 QVinque tantùm ſunt prædicabilia ſeu ſpecies Vniverſalis, ut omnes tam antiqui, quàm moderni admittunt, videlicet: *Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens*: qui numerus deſumitur ex quintuplici modò eſſendi, vel prædicandi naturam communem de inferioribus. Vel enim natura quæ univerſalis, vel prædicabilis denominatur, eſt in inferioribus eſſentialiter, vel accidentaliter; ſi eſſentialiter, vel dicit partem eſſentialem, & perfectibilem, & eſt *Genus*; Vel dicit partem formalem, & perfectivam, & eſt, *Differentia*, Vel dicit totam eſſentiam, & ſic erit *ſpecies*:

Si verò eſt in illis accidentaliter, tunc Vel eſt ab eſſentia dimanans, & erit *Proprium*, Vel provenit ab extrinſeco, videlicet à conditionibus individuanribus, & ſic erit *Accidens*. Igitur quinque tantùm ſunt prędicabilia ſeu univerſalia, nec plura, nec pauciora.

RESOLVTIO XVII.

Explicatur natura Generis.

29 PRimum Prædicabile quod eſt *Genus*, benè, quamvis deſcriptivè, definitur, *quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid.* Si verò deſideres definitionem ejus eſſentialem, quę ei minimè repugnat, ſic definies. *Eſt univerſale commune multis ſpecie differentibus in quid tanquam pars eſſentiæ.* Definitum in definitione Generis non eſt natura ſecundùm ſe, ut præſcindit à ſecunda intentione, nec ſecunda intentio ſecundùm ſe, ut præſcindit à natura denominata, ſed eſt ipſa ſecunda intentio in concreto ſignificata, ita quod intentio ſit res definita, natura verò connotatur ex modo definiendi: hoc enim peculiare ſibi vendicant concreta accidentalia, ut forma ipſa in recto definiatur, materiale vero in obli-

quo connotetur. Conſtat hoc, exemplo Corporis albi, quod deſcribitur eſſe, diſgregativum viſus; quod prædicatum; convenit corpori, ratione albedinis, & non ratione corporis materialiter ſumpti.

RESOLVTIO XVIII.

Genus prædicatur de ſuis inferioribus ut totum potentiale.

30 N*Aturam igitur animalis prædicari eſt quod dicat totum reſpectu illius de quo prædicatur, & non partem: quia pars non prædicatur de toto ait.* S. Thom. [a] Inde eſt quod natura generica non prædicatur de ſuis inferioribus, neque ut pars actualis, neque ut potentialis, ſed ut totum potentiale, qua ratione totum in confuſo continet quicquid eſt in ſuis inferioribus.

31 Correlativum Generis, ut Genus eſt, ſunt ſpecies, non ut prędicabiles, ſed ut ſubijcibiles, ſic enim referuntur ad genus tanquam ſuum inferius. Nec tamen ab hac generis reſpicientia, excludenda ſunt individua, ſive ejuſdem ſpeciei, ſive ſpecie differentia, ſiquidem etiam

[a] *opus 42. c. 8.*

etiam de ijſdem prędicatur prędicatione generis non minus quam ſubſtantia genus generaliſſimum, prędicatur prædicatione generis de homine, & equo, licet non immediatè ea reſpiciat.

§. 5.

De Specie ſecundo prædicabili, & Individuo ejus Correlativo.

RESOLVTIO XIX.

Explicatur natura Speciei.

31 SPecies ſecundum prædicabile definitur eſſe id, *quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur.* Vnde conſtitutivum intrinſecum, & eſſentiale ſpeciei, ut eſt ſecundum prædicabile diviſum ab alijs prædicabilibus, non eſt ratio ſubijcibilitatis, per habitudinem ad genus, ſic enim non reſpicit inferiora tanquam unum quod ſit in illis, ſed ſolum reſpicit genus tanquam ſub quo

 eſt;

eſt; igitur conſtitutivum ejus, eſt ratio univerſalitatis, quæ dicit reſpectum ad plura ſolo numero differentia: proinde non modò relationem ſubijcibilitatis eſſentialiter à relatione prędicabilitatis diſtinguimus, ſed nec unam, eſſe paſſionem alterius, aſſerimus; quia neutra ab alia dependet, nec una, ex alia oritur, ſed conſtituuntur per diverſos, & oppoſitos reſpectus, ad diverſos terminos; prior nimirum per reſpectum ad genus, poſterior verò per reſpectum ad inferiora ſpeciei.

RESOLVTIO XX.

Etiam naturis Angelicis inadęquatè conceptis convenit intentio prædicabilitatis.

33 CElebris controverſia eſt, an ſuppoſitâ ſententiâ S. Thom. de impoſſibilitate multiplicationis numericæ in eadem ſpecie angelica, nihilominus ipſa poſſit ſubire intentionem ſpeciei prædicabilis, & per intellectum fieri univerſalis? *Nos aſſerimus*, quod non obſtante hâc A. D. ſententiâ, quævis natura angelica inadæquatè, & ad modum naturæ communis corporeę concèpta, & quatenus,

ejus

ejus differentia ſpecifica; & differentialis præſcinditur ab individuali, poſſit ſubire intentionem univerſalis & ſpeciei prædicabilis, non quidem ſecundùm rem, & rationem ſimul, ſed ſecundum rationem tantùm. Deſumitur ex S. Thom. [a] ubi hæc habet formalia verba. *Ad ſciendum autem quæ nomina ſint propriè communicabilia, conſiderandum eſt, quod omnis forma in ſuppoſito ſingulari exiſtens, per quod individuatur, communis eſt multis, vel ſecundùm rem, vel ſecundùm rationem ſaltem, ſicut natura humana communis eſt multis ſecundùm rem: natura autem ſolis non eſt communis multis ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem tantùm. Poteſt enim natura ſolis intelligi ut in pluribus ſuppoſitis exiſtens, & hoc ideò, quia intellectus intelligit naturã cujuſlibet ſpeciei per abſtractionem à ſingulari.* Ex quibus S.D. verbis talis formatur ratio. Tota repugnantia ad eſſendũ in multis provenit à differentia tribuente eſſe individuale, ſed poteſt concipi natura ſpecifica v.g. Gabrielis ut cõpoſita ex genere, & differentia, non cõſideratâ ipſâ differẽtia ut tribuente eſſe individuale, *quia iſta in uno ſuppoſitio, vel pluribus eſt præter intellectum natura ſpeciei, unde ſervato ordine ſpeciei poteſt*

a 1. p. q.13. a.9. in corp.

teſt intelligi ut in pluribus exiſtens. ait S. Th. [a] Ergo ut ſic non repugnat naturæ angelicę ſubire intentionem ſpeciei prędicabilis ſecundùm rationem, loquimur autem de natura angelica inadęquatè concepta, quia *formæ ſubſiſtentes, ſi intelligerentur ſecundùm quod ſunt in ſeipſis,* hoc eſt, adæquatè una cum differentia individuali, *non poſſent communicari, nec re, neque ratione*, ibid.

RESOLVTIO XXI.

De Individuo Speciei correlative.

84 INdividuum duobus modis ſumi poteſt, ſicut & Genus, & Species. *Primò* materialiter, ſeu primò intentionaliter pro ipſa re quæ eſt ſingularis à parte rei, & denominatur Individuum, quâ ratione definitur à Proph. [b] *Eſſe illud, cujus collectio proprietatum eadem in alia reperiri non poteſt.* Sunt autem ſeptem proprietates, quæ ad Individui conſtitutionem concurrunt, & ſequentibus Verſibus complectuntur.

Forma

[a] *ſupra.* [b] *c. de Specie.*

Forma, Figura, Locus, Tempus cum No-
mine Sanguis.
Patria, ſunt ſeptem, quæ non habet unus, & alter.

Quarum etſi aliquę pluribus individuis ſint communes, non tamen dantur duo aliqua, minùs plura individua, quæ omnibus ijs proprietatibus gaudeant, ſed ad minus in forma, & figura diverſitas apparebit.

35 Secundô modô poteſt ſumi Individuum formaliter, vel ſecundò intentionaliter pro relatione rationis quâ aliquid refertur ad unum. Et hoc iterum eſt duplex, aliud ſubijcibile, aliud prædicabile. Illud eſt relatio rationis, quâ reſpicit ſpeciem ut prædicabilem; hoc verò eſt relatio rationis, quâ unum reſpicit de quo prædicatur, & ideo definitur eſſe, *Illud quod de uno tantùm prædicatur*: vel, *quod aptum eſt ſibi ipſi ineſſe in prædicatione materiali, & identica.*

RESO-

RESOLVTIO XXII.

Poteſt conſervari genus in Specie, & Species in Individuo.

36 NOn eſt ſermo de Genere, & Specie logicè, ſeu ſecundò intentionaliter ſumptis, ſic enim certum eſt, nec naturam Generis ſalvare ſuam univerſalitatem in una ſpecie, nec ſpecificam in uno individuo, ſic enim dicunt ordinem ad plura, ſive re & ratione ſimul, ſive ratione tantùm: ſed eſt ſermo de natura Generis & Speciei, phyſicè, & metaphyſicè accepta: Et quatenus ſunt totum quoddam actuale, benè poſſunt conſervari, illud quidem in una ſpecie, hæc verò in uno individuo. Ratio eſt, quia hôc modô ſumpta afferunt ſolùm ſua prædicata eſſentialia aliaſque perfectiones ex quibus intrinſecè conſtant, videlicet, ſubſtantiam animatam, ſenſibilem, rationalem &c. Hæc autem omnia in una ſpecie, imò individuo reperiuntur. Si autem metaphyſicè conſiderentur, & ut ſunt totum potentiale, ſic non poſſunt ſalvari, nec genus in una ſpecie, nec ſpecies in uno individuo. Ratio eſt, quia ſic dicunt naturas determinabiles, & perfectibiles

ſectibiles per plures differentias, vel eſſentiales ut genus, vel ſaltem materiales, uti ſpecies (intellige corruptibilis in ſuis ſingularibus) hæc autem nequeunt convenire in una ſpecie, neque etiam in uno individuo.

§. 6.

De tribus ultimis prædicabilibus.

RESOLVTIO XXIII.

De Differentia.

37 Differentia tertium prædicabile rectè definitur à Phorphyrio, eſſe *id quod de pluribus ſpecie differentibus in quale quid prædicatur*, quę definitio rigorosè explicata, non convenit differentiis infimis, ſed ſolùm. ſubalternis. Neç tamen inde inferendum eſt, differentias infimas conſtituere aliud prædicabile diſtinctum ab hoc, quia hic modus prædicandi de pluribus ſpecie, aut numero differentibus, non conſtituit hoc prædicabile, in quo iſtæ differentiæ accidentaliter tantùm

Digitized by Google

tantùm differunt, ſed prædicari in quale quid per modum partis eſſentialis, quod utrique differentiæ commune eſt, & conſtitutivum hujus prædicabilis. Ejus correlativum per cujus reſpectum conſtituitur in ratione tertij prædicabilis, non eſt genus quod dividit: ſic enim ſubijcibilis eſt; nec ſunt ſpecies, à quibus propriam, quam conſtituit, diſtinguit, uti patet; nec denique ſunt propria inferiora, quia de ijs non prædicatur in quale, ſed in quid: ſed ſunt inferiora ſpeciei, quam conſtituit.

RESOLVTIO XXIV.

De Proprio.

38 SOlùm Proprium quartô modô, *quod convenit omni, ſoli & ſemper*, conſtituit quartum prædicabile ſimpliciter, cæteræ verò acceptiones tantùm ſecundùm quid & per reductionem ad illud pertinent. Secundò intentionaliter ſumptum, ſic definitur, *Eſt id quod prædicatur de pluribus aut ſpecie, aut numero differentibus in quale accidentale neceſſariò.* Dicitur *vel ſpecie vel numero differentibus*, nè excludamus propria naturæ genericę quæ etiam ſibi vendicat proprietates, omni tali naturę ſoli, & ſem-

ſemper convenientes, ſicuti ſunt potentia vegetativa, & ſenſitiva reſpectu naturæ animalis. Conſtituitur in ratione univerſalis, & quarti prędicabilis per ordinem ad inferiora ſpeciei; & quamvis per prius prædicetur de ſpecie prædicatione quarti prędicati, non tamen prædicatione quarti prędicabilis, ſed hôc modô ſolum de individuis ſpeciei prædicatur.

39 Propriæ paſſiones realiter diſtinctæ à ſuis ſubjectis poſſunt per potentiam Dei abſolutam ſeparari ab illis; quę verò realiter non dimanant à ſubjecto, ſed ſolùm virtualiter, ſicut paſſiones entis, nequeunt ab illo realiter ſeparari.

RESOLVTIO XXV.

De Accidente.

40 ACcidens quintum prędicabile primò intentionaliter ſumptum definitur *eſſe id, quod poteſt adeſſe, vel abeſſe præter ſubjecti corruptionem.* Secundò verò intentionaliter, *quod ſit univerſale commune multis, aut aptum ineſſe multis in quale contingenter* Nomine *abſentia* aut *præſentia* in priore definitione non eſt neceſſariò intelligenda *abſentia* vel *præſentia* phyſica,

phyſica; ſed vel *phyſica* vel *intellectualis*, quia etiam accidentia rationis qualia ſunt eſſe ſpeciem, eſſe prædicatum &c. ſpectant ad hoc prædicabile. Non inconvenit ſubſtantiam ſubire denominationem quinti prædicabilis, ſiquidem omnia prædicata, quæ non ſunt de eſſentia ſubjecti huc referri poſſunt: hinc iſtæ prędicationes, annulus eſt aureus, ferrum eſt ignitum &c. huc ſpectant, non obſtante quod ſint prędicata ſubſtantialia.

PHI-

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS, PARS III.

Complectitur librum Categoriarum Ariſtotelis.

§. 7.

De Ante prędicamentis.

RESOLVTIO XXVI.

De Aequivocis, Vnivocis, & Denominativis.

41 CVm Anteprędicamenta nihil aliud ſint, quam ipſorum Prædicamentorum prę ambula, ideò pręter cognitionem prædicabilium, neceſſaria eſt notitia Ante prædicamentorũ, inter quæ ab Ariſtotele Æquivoca, & Vnivoca Denominativa numerãtur. Æquivoca *dicuntur ea quorum nomen ſolùm commune eſt, ratio verò*

Digitized by Google

verò ſubſtantiæ nomini accomodata diverſa. Vniuoca *ea dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accomodata eadem eſt.* Denominativa *dicuntur quæ ab aliquo nominis appellationem habent ſolo differentia caſu,* id eſt, cadentia nominis in fine Vocis, etſi in principio conveniant, quâ ratione differunt, album & albedo, illud eſt denominativum, hęc verò nomen denominans, quia nomen abſtractum eſt prima radix nominis concreti.

RESOLVTIO XXVII.

De Prædicamentis in genere.

41 PRædicamentum ſumptum pro aggregato quodam ex genere generaliſſimo, generibus intermediijs, ſpecie infima & individuis, optimè definitur, eſſe *quidditativam coordinationem prædicabilium & ſubijcibilium ſub uno genere ſummo contentorum, in qua ſuperiora de inferioribus eſſentialiter prædicantur.* Decem tantùm ſunt Prędicamenta, nec plura, nec pauciora ſequentibus verſibus complexa.

In campo magno pugnabat fortiter olim.
Tilius Erneſti, ſtans & calefactus in armis.

In

In quibus ſingula pæne vocabula ſingulum prædicamentum denotant. Nam *Erneſti* denotat Subſtantiam, *magno*, quantitatem, *fortiter*, qualitatem, *filius*, relationem, *pugnabat*, actionem, *calefactus*, paſſionem, *olim*, quando, *ſtans*, ſitum, *in campo*, ubi, & denique *in armis*, habitûs prædicamentum ſignificat.

RESOLVTIO XXVIII.

De conditionibus ponendi quidpiam in Prædicamentis.

43 VT res aliqua per ſe & directè in quocunque prædicamento collocetur, ſequentibus conditionibus munita ſit oportet. *Prima*, ex parte Vocis, ut ſit vox ſimplex, & incõplexa. *Secunda*, ut ſi univoca. *Tertia*, ut ſit accommodata rebus, id eſt, ut vox ſignificans ſubſtantiam ſit terminus concretus, vox verò ſignificans accidens ſit terminus abſtractus. *Quarta*, pro rebus ipſis, ut ſit ens reale, ſiquidem diviſum in decem prædicamenta, id eſt, ſuprema genera, ens reale eſt. *Quinta*, ut ſit ens creatum, finitum & limitatum, debet enim conſtare genere & differentiâ. *Sexta*, ut ſit ens per ſe prout diſtinguitur contra ens per accidens,

dens, quod cum afferat plures eſſentias a
verſa genera ſpectantes, in prædicamen
cum non habet. *Septima*, ut ſit ens phyſicè
pletum, *nihil enim eſt directè in genere, n*
bens completè aliquam naturam. ait [a] S. T
unde incompleta removentur à recta
prædicamentali.

44 Hinc colliges quænam à prædicam
excludenda ſint, *Imprimis* namque, ration
mæ, & ſecundæ conditionis excluduntur
æquivocæ, analogæ, & complexæ. *Secund*
tione quintæ, omnia entia rationis quaten
ſia. *Tertiò*, ratione quintę conditionis exc
tur Deus ter optimus Maximus, qui nec
ctè, nec reductivè in aliquo continetur,
tranſcendens omnia genera: Chriſtus
quâ homo cum verè ſit ſubſtantia prim
ſtans ex genere, & differentia, verè pon
prædicamento ſubſtantiæ, ſicut & alia i
dua naturæ humanæ, quæ non ratione
ſtentiæ, aut exiſtentiæ, ſed ratione natura
locum obtinent.

a *in 3. d. 6. a. 1. quæſtiuncula 1. ad 1.*

§. 8.

De Prædicamentis in particulari, & primo de Subſtantia.

RESOLVTIO XXIX.

Natura Subſtantiæ explicatur.

45 SVbſtantia omnium cæterorum prædicamentorum baſis, & fundamentum, adęquatè conſtituitur in eſſe ſubſtantię per entitatem, & perſeitatem, quæ quidem perſeitas, eſt modus quidam eſſentialiter incluſus in entitate ſubſtantiæ, per quem eſſentialiter differt ab accidente. *Primi,* enim, *modi quibus contrahitur ens, ſunt eſſe per ſe, & eſſe in alio. Eſſe autem per ſe, eſt modus prædicamenti ſubſtantiæ, eſſe autem in alio, eſt modus aliorum novem prædicamentorum,* ait S. Thom.[a] Nec tamen exiſtimandum eſt, hunc modum qui perſeitas dicitur, idem eſſe quod ſubſiſtentia, differt enim ab illa tanquàm radix, & eſſentia à ſua proprietate: neque etiam idem eſt, quod exiſtentia, quia *per ſe*

[a] *opuſc. 48. de præd. c. 1.*

Digitized by Google

exiſtere non eſt definitio ſubſtantiæ, quia per hoc non demonſtratur quidditas ejus, quæ non eſt ſuum eſſe, ait S. Thom. [a]

RESOLVTIO XXX.

Diviſio Subſtantiæ.

46 SVbſtantia accepta ſecundum ſuam eſſentiam, & conceptum quidditativum, dividitur in primam, & ſecundam ſubſtantiam, *non tanquam genus in ſpecies, ſed ſecundum diverſos modos eſſendi, nam ſecunda ſubſtantia ſignificat naturam generis ſecundùm ſe abſolutam, prima verò ſubſtantia ſignificat eam individualiter exiſtentem.* S. Thom. [b] Vnde etiam Ariſt. in præſenti definit primam ſubſtantiam, *neque de ſubjecto aliquo dicitur* prædicatione, videlicet, artificiali: ſecundas verò ſubſtantias dicit *eſſe genera & ſpecies, quibus inſunt primæ.* Dicuntur autem ſecundæ ſubſtantiæ, quia ſecundò ſubſtant accidentibus primò, & per ſe ſuſtentatis à prima, ideò enim homo albus eſt, quia Petrus v. g. eſt albus: quare etiam deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid rema-

a *in 4. d. 12. q. 1. a. 1. ca. q. 1. ad 2.* b *d. pot. qu. 9. ar. 2. ad 6.*

Digitized by Google

remanere quoad eſſe realis exiſtentiæ, licet quoad neceſſariam connexionem prædicatorum quæcunque remaneant.

RESOLVTIO XXXI.

Proprietates Subſtantiæ.

47 Sex proprietates aſſignat Ariſtoteles in præſenti cap. ipſi ſubſtantiæ. *Prima* eſt, *non eſſe in ſubjecto*, intellige, inhæſionis: Quæ proprietas tam primæ, quàm ſecundæ ſubſtantię convenit, quia inhærere proprium eſt ſoliùs accidentis. *Secunda* etiam utrique conveniens eſt, *quod ſubſtantiæ nihil ſit contrarium*: id eſt, quod una alteri non contrarietur expellendo ſe ab eodem ſubjecto. *Tertia* etiam communis utrique eſt, *quod non ſuſcipiat magis & minus*: quia quælibet ſubſtantia eſt indiviſibilis, nec habent latitudinem aliquam. *Quarta*, *prædicari univocè de primis ſubſtantijs*, quod ſolis ſecundis ſubſtantijs competit. *Quinta* ſoli primæ conveniens, *ſignificare hoc aliquid*. *Sexta* & ultima proprietas eſt, *quod cum eadem numero ſit, eſt ſuſceptiva contrariorum*, intellige, ſecundùm diverſam temporis differentiam. Dicitur autem hoc proprium *ſubſtantiæ, quia ſibi ſoli*

per ſe convenit, & ſi aliqua dicuntur ſuſcipere contraria, ſicut linea dicitur recta, vel curua, tamen linea non ſuſcipit iſta niſi ratione ſubſtantia, ait. S. Thom.[a]

§. 9.

De Quantitate.

RESOLVTIO XXXII.

Adfertur definitio Quantitatis.

48 INter accidentia materialia primam ſibi in ſubſtantia vendicat ſedem. Quantitas, quæ in concreto ſumpta ſic definitur ab Ariſtot.[b] *Quantum eſt diviſibile in ea quæ inſunt, quorum unumquodque unum quid aptum eſt eſſe.* Ly, *diviſibile* accipitur pro radice diviſibilitatis, à qua fluit diviſibilitas proxima, eſſe namque radicem diviſionis nil aliud eſt, quam extenſio aptitudinalis. Ly, *in ea quæ inſunt*, facit ſenſum, quod partes quantitatis ſint formaliter in qnantitate, in quo differt à mixto, quæ ſi dividantur, quæ-

a *opuſc. 4. 8. c. 4. de præd. ſubſt. in fine.* b. 5. *Metaph. t. 13.*

quælibet pars apta eſt per ſe exiſtere, ut hoc aliquid, ſeu ut individuum particulare quantitatis, & ideo dicitur, quorum unumquodque &c.

RESOLVTIO XXXIII.

Explicatur ejus ratio formalis.

49 RAtio formalis conſtitutiva quantitatis prout eſt genus generaliſſimum hujus prædicamenti, conſiſtit in extenſione partium in ordine ad ſe, quatenus prævenit extenſionem partium in ordine ad locum, & rationem proximæ diviſibilitatis, atque etiam rationem menſurandi: fundamentum hujus eſt, quia ratio formalis per quam quantitas immediatè afficit ſubſtantiam corpoream, eſt extenſio partium in ordine ad ſe, quę præſupponitur ad extenſionem partium in ordine ad locum, ad diviſibilitatem, & rationem menſurandi, hæ enim formalitates quantitati non adveniunt, niſi mediante extenſione partium ſubſtantię, in ordine ad ſe. Idque manifeſtè colligitur ex S. Thom. [a] ubi ait. *Quamvis non ſit accipere ordinem partium Corporis Chriſti ſecundum compa-*

[a] *in 4. d. 10. q. 1. a. 1. q. 5. ad 2.*

rationem ad partes hoſtia: tamen eſt accipere ordinem ipſarum partium ad invicem in corpore Chriſti ſecundum propriam quantitatem. Quibus verbis S. Thom. inſinuat, quod cum corpus Chriſti cum ſua quantitate contineatur ſub ſpeciebus ſacramentalibus, nec modo diviſibili, aut menſurabili in ordine ad locum, quia ibidem actu locum non replet, cum ſit totum in toto, & totum in qualibet parte; quod de ratione quantitatis ſit extendere partes in ordine ad ſe invicem.

RESOLVTIO XXXIV.

Dividitur Quantitas in ſuas ſpecies.

50 Dividitur porrò quantitas primò in continuam, & diſcretam. Continua eſt, *cujus partes ad unum communem terminum copulantur.* S. Thom. [a] terminus autem communis appellatur unio illa, ſeu nexus, quo partes inter ſe connectuntur, qui eſt principium unius partis, & finis alterius. *Dicitur autem diſcreta quantitas, cujus partes inter ſe ita ſe habent, quod ſunt ſeparata, & ad unum communem terminum non copulantur: non enim in numerò qui*

[a] *opuſc. 48. de quant. c. 3.*

Google

qui eſt decem invenitur aliqua particula, ad quam copulantur aliæ particulæ, cum omnes particulæ ejus ſint ſeparatæ una ab alia. [a]

51 Rurſus quantitas continua ſi ſpectetur juxta rationem ſuam eſſentialem, adæquatè dividitur in lineam, *quæ eſt longitudo ſine latitudine & profunditate, cujus extrema ſunt duo puncta.* [b] In ſuperficiem, *quæ eſt extenſio habens longitudinem, & longitudinem, caret autem profunditate:* & in corpus, *quod eſt extenſio habens longitudinem, latitudinem, & profunditatem.* Sin autem ſpectes, quantitatem continuam ſub formalitate, & ratione menſuræ, ſic præter tres aſſignatas, habet etiam duas alias ſpecies, videlicet locum & tempus, quatenus iſtis quinque ſpeciebus verè convenit ratio menſuræ, & tribus quidem prioribus intrinſecè, utpote primæ ſecundùm longitudinem, alteri quoad latitudinem, & tertiæ pænes profunditatem: duabus autem poſterioribus extrinſecè, loco quidem quantenus menſurat, & cōtinet quodlibet particulare corpus ſecundum eſſe permanentis, tempori verò quatenus omnia corpora ſimul menſurat ſecundum eſſe ſucceſſivum.

52 Denique quantitas diſcreta etiam ſubdividi-

[a] *S. Thom. ibid. a. 1.* [b] *ſup. c. 5.*

dividitur in Numerum & Orationem. *Eſt autem duplex numerus, ſcilicet quo numeramus, ut duo, tria, & hujuſmodi, & iſte eſt prima ſpecies quantitatis diſcretæ*; quia verè & propriè habet rationem extenſionis & menſuræ diſcretæ. *Alius eſt numerus numeratus, ſcilicet iſta res, quibus nos iſtum numerum applicamus, in quantum numerantur, ut duo canes, vel tres lineæ.* S. Th. [a] Oratio prout in præſenti ſumitur, eſt *Vox aggregata ex diſtinctis ſyllabis eam menſurantibus & in partibus ſuis non habens permanentiam.* [b] Exempli gratia, ly, *Dominus* eſt vox aggregata ex tribus ſyllabis, quia fit tribus percuſſionibus ſibi ſuccedentibus juxta tres ejus ſyllabas, quę ſunt diſcontinuæ, & conſequenter diſcretæ, quia inter unius, & alterius pronunciationem intercedit aliqua temporis morula: cum autem cuilibet ſyllabæ correſpondeat quędam duratio, ſeu extenſio & quaſi corpulentia Vocis, ſecundùm quam dicitur magna, vel parva, longa, aut brevis, atque in unius pronunciatione plus temporis inſumitur, quàm in alterius, ratione cujus ſunt ad invicem coordinabiles ſecundùm conſonantiam; Ideò hanc ipſam durationem dicimus nos eſſe quantitatem

[a] *loco prox. cit. c. 7.* [b] *ibid. c. 2.*

tem orationis, & quodam modo tempus cuilibet ſyllabæ intrinſecum. Nec tamen putandum eſt hanc durationem eſſe idem cum tempore & modo menſurandi ejus, quia *oratio eſt multa tempora diviſa, quorum quodlibet eſt indiviſum, eſt tamen alia ſpecies à tempore.* a

RESOLVSIO XXXV.

Proprietates Quantitatis.

53. TRes Ariſtoteles aſſignat, quantitatis proprietates. *Prima non habere contrarium,* nam contraria ſe mutuò expellunt ab eodem ſubjecto, quod ſpeciebus quantitatis non competit. *Secunda non ſuſcipere magis & minus*, non enim unus ternarius eſt magis ternarius quàm alius. Tertia quæ eſt maximè propria, *ut ſecundùm quantitatem dicantur res æquales vel inæquales.* Hiſce moderni Philoſophi quartam addunt, videlicet, impenetrabilitatem, quæ nihil aliud eſt, quam incompoſſibilitas duorum corporum in eodem loco.

De

a *ibid. in fine.*

Digitized by Google

§. 10.

De Relatione.

RESOLVTIO XXXVI.

De exiſtentia, & natura Relationum.

54 DAntur relationes reales creatæ conſtituentes ſpeciale genus entis à rebus abſolutis diſtinctum, conſtituuntque peculiarem modum eſſendi in prima ſubſtantia, diſtinctum à modis eſſendi aliorum prædicamentorum, quæ, ut inquit S. Thom. [a] *quia parum habent de entitate, ideò de ipſis non tractat Philoſophus, ſed ſolum de relativis, & definit ea ſic. Ad aliquid,* id eſt, relativa, *talia dicuntur, quacunque hoc ipſum quod ſunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud.* Quæ definitio eadem eſt cum altera, quam nunc tradunt Philoſophi, videlicet; *Relativa ſunt quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere.* Quarum definitionum ſenſus eſt, illa eſſe verè relativa, quorum ratio formalis eſt ipſum reſpicere, ſeu ad aliud

[a] *opuſc. 48. c. 1. de præd. ad aliquid.*

Digitized by Google

aliud ſe habere, ſicut patris, ut patris, eſt reſpicere filium.

RESOLVTIO XXXVII.

Tria ſunt fundamenta Relationum.

55 ARiſtoteles [a] tria fundamenta proximæ relationis prædicamentalis aſſignat, quibus totidem eſſe genera, vel ſpecies ſubalternas relationis inſinuat, *Primum eſt unitas & numerus*, ſub quo continentur omnes relationes identitatis, & æqualitatis, ſimilitudinis, & diſſimilitudinis: nomine ſiquidem unitatis intelligimus convenientiam aliquorum, quæ convenientia juxta materiã in qua verſatur varia ſortitur nomina, ſi enim eſt convenientia inter ſubſtantias, vocatur idẽtitas, ſi inter quantitates, ęqualitas, ſi inter qualitates, ſimilitudo dicitur. Nomine autẽ numeri intelligimus diſconvenientiam, & diverſitatem inter aliqua ſuper quam fundantur relationes diverſitatis, inęqualitatis, diſſimilitudinis & etiam diſtantiæ.

56 *Secundum fundamentum eſt actio & paſſio*, ſub quo continentur omnes relationes cauſæ ad effectus, & è contra. Nomine Actionis, & Paſſio-

a 5. *Metaph. cap.* 15.

Paſſionis intelligimus actionem non mor
ſed phyſicam & naturalem, quæ etian
ſemper petit eſſe præſens, ſed ſatis eſt ſi
præterita ad fundandam relationem præ
mentalem, dummodo extrema talis rela
exiſtant, ſicut exiſtente patre & filio, con
tur relatio inter illos, tametſi actio gene
dudum præterierit.

57 *Tertium fundamentum eſt Menſu Menſurabile*, ſub quo continentur relat
quas dicunt potentiæ, vel ſcientiæ ab ob
imago ad prototypon &c. Menſura, aut
Menſurabile nil aliud, ſunt quam adæ
unius rei ad aliam, ſicut objectum alicuj
tentiæ, vel ſcientiæ dicitur menſura ejus,
ab objecto ſumit ſuam ſpeciem, & perf
nem, ita quod ad omnia ſe extendat, qu
objecto cadunt, ipſa autem potentia, vel
tia dicitur menſurabilis ab objecto.

RESOLVTIO XXXVII

Relatio aliquando realiter, aliquando n liter diſtinguitur à ſuo fundament

58 MAgno diſſidio pugnant inter ſe
loſophi, diſtinguatur nè relati
dic

dicamentalis realiter à ſuo fundamento, nec ne? Quod ut declaremus, aſſerimus, relationem comparari poſſe vel ad fundamentum remotum, quod ſubjectum nuncupamus, vel ad fundamentum proximum, de quo in priori Reſolutione. Si itaque comparetur ad prius fundamentum, ſic diſtinguitur realiter ab eo: ſi ad poſterius, non ſemper intercedit realis, ſed nonnunquam modalis ſolum diſtinctio. Primum innuit S. Thom. [a] ita inquiens, *quod id quod invenitur in creatura præter id quod continetur in ſignificatione nominis relativi eſt alia res, in Deo autem non eſt alia res.* Ratio autem id ſuadet, quia relatio realiter ſeparari poteſt à ſuo ſubjecto, ut cum deſinit filius, etiam is qui pater erat, deſinit eſſe pater, ſicque amittit entitatem aliquam relativam. Alterum etiam ſæpius, aſſeritur à D. Tho. [b] & ex eo conſtare poteſt, quod plurimæ relationes in quibuſdam modis fundentur, ut in Vbi, & Situ, ac proinde perfectiorem entitatem non admittant, quam earum fundamentum; Ergo tunc ſolum intercedit diſtinctio modalis.

RESO-

[a] *1. p. q. 28. a. 2. ad 2.* [b] *opuſc. 48. & alib.*

RESOLVTIO XXXIX.

De unitate tam ſpecifica quam numerica Relationum.

59 Q*Via plures formæ ejuſdem ſpeciei non poſſunt in eſſe eidem ſubjecto, non enim eſt poſſibile, quod ſint plures paternitates in eò, qui eſt pater plurium filiorum naturali generatione*, S. Tho. [a] ideo unitatem & diſtinctionem numericam relationum, ab unitate & diſtinctione numerica ſubjecti cui inhærent deſumendam eſſe arbitramur, proinde idem pater etſi habeat plures filios, erit tamen unicus numero pater in eſſe patris. Nec enim requiritur ad hoc, ut pater dicatur reſpicere de novo filium, nova aliqua relatio realis, ſed ſufficit quod præcedens extendat ſe ad terminum de novo productum, quod inſigniter S. Thom. [a] innuit, ita ajens: *Aliquando ex parte unius extremi eſt tantùm una relatio, & ex parte alterius ſunt multa.*

60 Vnitas porrò & diſtinctio ſpecifica relationum deſumitur tum ex fundamento, tum ex termino. Ex fundamento quaſi in genere cauſæ effi-

[a] *3. p. q. 35. a. 2. in corp.* [b] *3. p. q. 35. a. 5. ad 3.*

efficientis, quia ab eo reſultat relatio; Ex termino verò quaſi in genere cauſæ formalis extrinſecę; cum enim relatio ſit quædam via ad terminum pręſeferens quandam motus ſimilitudinem, unitas autem ſpecifica motus ex termino haurienda ſit, ideò etiam unitas ſpecifica relationis ex unitate ſpecifica termini poſtulanda erit. Hinc eſt quod omnes paternitates ſint eędem ſecundum ſpeciem, quando omnes filiationes in quas feruntur ſunt eædem ſecundùm ſpeciem.

RESOLVTIO XL.

Numerantur proprietates Relationis.

61 QVinque proprietates relationum adducit Ariſtot. [a] prima eſt, *habere contrarium*, quæ proprietas intelligitur ratione fundamenti, & non ratione ſui, non enim relatio ſimilitudinis & diſſimilitudinis, cum ſint diſparatæ, ſibi adverſantur, ſed quia illarum fundamenta, videlicet albedo & nigredo ſibi contrariantur. Secunda eſt, *ſuſcipere magis & minus*, quæ etiam non competit relationi ſecundùm ſe, cum conſiſtat in indiviſibili, ſed

H con-

[a] *in præſ. c.*3

convenit ei ratione fundamenti. *Tertia e ad convenientiam*, hoc eſt, relativa mut ferri ad ſe invicem, ita ut unum explicet ordinem ad aliud in obliquo, ut cum dic pater eſt filij pater, & è converſo, filius e tris filius. Quarta & quinta proprietas e *ſimul naturâ, & cognitione*, quod intelli relativis formaliter, nō verò materialiter tis: *ſi enim eſſe relativi eſt ad aliud ſe habe ſitô unô relativô ſtatim ponitur ſuum c tivum*. S. D. [a] hinc exiſtente patre neceſſ eſt exiſtere filium, & filio pereunte, etia ter in eſſe patris perit, licet maneat hom erat pater.

§. II.

De Qualitate.

RESOLVTIO XLI.

Explicatur natura Qualitatis.

62 RAtio formalis qualitatis (qua nit Ariſtot. ſecundùm quam

[a] *conſ. 48. de præd. ad aliquid c. 5.*

Digitized by Google

dicimur) meliùs exprimitur à S. Thom. [a] quod *ſit modus formalis diſponens ſubſtantiam.* Nomine *modi* intelligitur determinatio quædam ſubſtantiæ, quâ determinatur & limitatur ad genus qualitatis: nomine autem diſpoſitionis non intelligitur qualiſcunque diſpoſitio, ſed ea quæ fit ſecundùm affectiones qualificativas, abſtrahendo ab hoc quod ſit facilè, vel difficile mobilis, nè in illa definitione ſola prima ſpecies qualitatis videatur comprehenſa.

RESOLVTIO XLII.

Recenſentur ſpecies Qualitatis.

63 S*Vnt autem quatuor ſpecies qualitatis, quæ ſunt genera ſubalterna. Prima eſt habitus & diſpoſitio. Secunda eſt naturalis potentia & impotentia. Tertia dicitur paſſio & paſſibilis qualitas. Quarta eſt forma & figura.* S. Tho. [b] Harum ſpecierum numerus inde deſumitur, cum enim qualitas importet modum, ſeu determinationem ſubſtantiæ, tot erunt ſpecies qualitatis, quot modis contingit determinare ſubſtantiam per qualitatem; id autem contingit

H 2 qua-

[a] *3. p. q. 35. a. 5. ad 3.* [b] *opuſc. 48. de præd. qual. c. 3. 4, & 5.*

quatuor modis, ergo. Minor probatur.
ſubſtantia, vel determinatur ſecundùm ſe
quatenus eſt affecta quantitate: ſi priori m
tunc vel determinatur ſecundùm quod n
quædam eſt, & ſic datur habitus, aut diſpo
Vel ſecundùm quod eſt principium agend
ſic afficitur naturali potentia, vel impote
Vel quatenus eſt terminus actionis, & ſi
bitur paſſio, & paſſibilis qualitas. Si verò d
minetur ſubſtantia, quatenus eſt affecta q
titate, fiet hoc per quartam ſpeciem, qu
forma & figura. Quod verò ſint ſpecies ſu
ternæ, ex eo conſtat, quia ſub habitu conti
tur plures ſpecie diſtincti habitus v.g. mor
intellectuales &c. ſub diſpoſitione ſanitas
ægritudo; ſub paſſione, & paſſibili quali
omnes qualitates quę diverſis ſenſibus p
piuntur, denique ſub forma & figura omn
gurę triangulares, pyramidales &c.

RESOLVTIO XLIII.

Explicantur ſpecies Qualitatis.

64 INter ſpecies, qualitatis primum lo
obtinent habitus & diſpoſitio. Hab
ſic definitur, eſt *qualitas benè, vel malè affi*

Digitized by Google

ſubjectum difficulter mobilis ab eodem: Diſpoſitio verò eſt, *qualitas benè vel malè afficiens ſubjectum, facilè mobilis ab eodem.* Vbi advertendum, differentiam quæ intercedit inter habitum, & diſpoſitionem, quod illa ſit difficilè, hęc verò facilè mobilis, non eſſe ſolùm accidentalem, ſed ſpecificam & eſſentialem, eò quod hæ differentiæ ipſis competant ex natura ſua, quę uni & eidem convenire nequeunt; hinc habitus temperantię ex natura ſua reſpicit objectum jucundè & faciliter; diſpoſitio verò nonniſi cum triſtitia & difficultate.

65 Nec hujus oppoſitum docet S. Th.[a] dum ait, *quod difficile mobile non eſt differentia constitutiva habitus, nec enim diſpoſitio & habitus ſunt diverſæ ſpecies &c.* loquitur enim S. Thomas ſolum in eo ſenſu, quô difficilè mobile ſumitur per accidens & ab extrinſeco, quantum eſt ex conditione individuali ſubjecti, quâ ratione error licet ex natura ſua ſit facilè ſeparabilis, utpote innixus infirmis cauſis & argumentis, tamen ex pertinacia ſubjecti per accidens aliquando difficilè removeri poteſt; eſſe itaque hôc modô difficilè mobile, non eſt differentia eſſentialis habitus ſed eſſe difficilè mobile

[a] *q. 7. de malo. a. 2. ad 4.*

bile per ſe & ex natura ſua, quod S. D. non negat.

66 Secunda ſpecies qualitatis eſt *naturalis potentia & impotentia* Nomine potentię, intelligimus, proximum principium operandi, quô conſtituitur ſubjectum non ad bene vel malè operandum, ſed ad operandum ſimpliciter ſubſtantiam actionis, & hoc eſt qualitas pertinens ad hanc ſecundam ſpeciem, quæ dicitur naturalis potentia, comprehenditq; tam potentiam activam, quàm paſſivam. Nomine verò, impotentiæ, non intelligimus puram carentiam potentiæ, ſed potentiam imbecillem & imperfectam ad agendum, ſicut virtus viſiva in ſene eſt debilis ad videndum.

67 Tertia ſpecies *eſt paſſio & paſſibilis qualitas*. Per paſſionem intelligimus quamcunque formam accidentalem diſponentem ſubjectum, ſive perficiendo, ſive lædendo illud, dummodo inferat aliquam paſſionem citò tranſeuntem, ſicut rubor ortus ex verecundia; paſſibilis verò qualitas, denotat qualitatem, quæ eſt in ſubjecto fixa & diuturna; ſicut eſt rubor cauſatus ex bono temperamento, & complexione.

68 Quarta denique ſpecies qualitatis eſt *forma & figura*. Nomine formę intelligimus

hic

hic ad noſtrum propoſitum, convenientem diſpoſitionem quantitatis, ſecundùm quam aliqui dicuntur benè formati aut formoſi Nomine verò figuræ intelligimus modum reſultantem ex terminatione quantitatis, quâ ratione res dicitur hôc aut illô modô figurata.

RESOLVTIO XLIV.

Aſſignantur proprietates Qualitatis.

69 TRes ab Ariſt. aſſignantur proprietates qualitatis. Prima eſt, *habere contrarium*, id eſt, *contrariam qualitatem*, quâ ratione, calidum contrariatur frigido. Quæ proprietas ſi intelligatur de rigida contrarietate, quæ ſcilicet eſt inter formas ſe mutuò expellentes ab eodem ſubjecto, non convenit omni qualitati, non enim figura triangularis quadrangulari contrariatur; benè tamen ſoli, ut conſtat in corruptione ſubſtantiali, quæ non ex eo accidit, quod formæ ſibi contrarientur, ſed quia qualitates, v. g. frigus & calor ſe non compatiuntur in eodem ſubjecto. Secunda eſt, *ſuſcipere magis & minus*, & hæc etiam non convenit omni qualitati, non enim unus circulus magis circulus eſt, quam alius. Tertia eſt, *ut ſecundùm*

illam res dicantur ſimiles aut diſſimiles, ſicut proprium eſt quantitati, ut per eam res dicantur æquales vel inæquales, ita ut ratione qualitatis duo extrema dicantur ſimilia, quia ſunt unum in qualitate.

§. 12.

De Actione & Paſſione.

RESOLVTIO XLV.

Explicatur natura Actionis.

70 QVintus locus in coordinatione prædicamentali conceditur actioni, quam Ariſtot. ſolùm exemplis explicuit, dicens. *Actio eſt, ut ſecare, ædificare &c.* eam tamen penitiùs conſideravit S. Thom. [a] dum ait: *eſt forma, quâ mediâ paſſum recipit aliquid ab agente*, Vel *eſt motus prout procedit ab agente.* Cum autem actio ſit duplex, una immanens, quæ videlicet, manet in agente, ut intellectio, altera tranſiens, quæ procedit ab agente & tranſit ad paſſum, ut ſecatio: Controverſia eſt, an hæc ſola, an verò etiam prior pertineat ad hoc prædicamentum?
Ad

a *opuſc. 48. de act. c. 1.*

Ad quod *Reſp.* cũ diſtinctione & dicimus, quod ſi actiones immanentes conſiderentur, quatenus conſtituunt operantem in actu ſecundo, ſic verè dicuntur actiones, & ponuntur in hoc prędicamento, quia ſic habent aliquando terminum à ſe productum, ut patet de intellectione dictiva producente verbum mentis: ſi autem conſiderentur quatenus diſponunt ſubjectum ſic pertinent ad primam ſpeciem qualitatis, diſpoſitionem ſcilicet.

RESOLVTIO XLVI.

Declaratur natura Paſſionis.

71 P*Aſſio eſt effectus illatioque actionis.* S. Thom. [a] Vel, eſt *motus procedens ab agente prout receptus in paſſo.* Vbi ordo ad paſſum eſt ultima differentia conſtitutiva paſſionis, quod ita oſtenditur; Nam in calefactione tria conſiderari poſſunt, primum eſt ordo ad ignem activè calefacientem; ſecundum eſt ordo ad lignum calefactum; tertium eſt via & tendentia calefactionis, non explicitè concipiendo ordinem ad agens aut patiens. Si accipiatur calefactio in ordine ad agens prout exit ab illo,

[a] *opuſc.* 48. *de paſſ. c.* 1.

illo, vocatur actio; ſi ut via aut tendentia aut fluxus caloris, vocatur motus, qui eſt poſt prędicamentum, ſi denique concipiatur in ordine ad paſſum, lignum v. g. calefactum in quo recipitur, ſic conſtituit hoc prędicamentum paſſionis, eadem enim entitas ſub diverſa formalitate & reſpectu ſpectat ad prædicamentum actionis & paſſionis.

§. 13.

De quatuor ultimis Prædicamentis.

RESOLVTIO XLVII.

De Prædicamento Vbi.

72 Quia ly *Vbi* ex vi ſuæ ſignificationis habet conſtituere rem præſentem loco, hinc pro diverſitate rerum, quæ in locis dicuntur eſſe, etiam diverſa *Vbi* conſtituuntur. Aliud eſt enim *Vbi* divinum, quô Deus dicitur eſſe ubique: Aliud *Vbi* ſacramentale, per quod corpus Chriſti habet præſentiam ſacramentalem ſub ſpeciebus panis & vini. Aliud *Vbi* definitivum,

Digitized by Google

tivum, *quô modô in loco ſunt ea quæ licet quanta non ſint nec per ſe, nec per accidens, tamen non ſunt ubique, ſed ita ſunt in una parte mundi, quod non ſunt in alia, ſicut ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ, quia ita determinatè ſunt in una parte mundi, quod tunc non ſunt in alia.* S. Thom. [a] Aliud denique eſt *Ubi* circumſcriptiuum, quod ita facit rem in loco eſſe, ut tota correſpondeat toti loco, & partes ejus partibus loci, & hoc ſolùm conſtituit hoc prædicamentum, definiturque à S. Thom. [b] eſt *circumſcriptio corporis à loci circumſcriptione proveniens.* Vel ſecundùm alios: *Eſt accidens reſultans in corpore ex circumſcriptione loci.* Hujus ſex ſunt ſpecies juxta numerum ſpecierum loci, quę etiam ſunt ſex ſcilicet, ſurſum & deorſum, eſſe ante, & retro & eſſe dextrorſùm, & ſiniſtrorſum.

RESOLVTIO XLVIII.

De Prædicamento Quando.

73 QVando eſt accidens quod ex adjacentia temporis relinquitur. S. Thom. [c] cujus deſcriptionis ſenſus eſt, quod ſicut ex extrinſeca

ca

a *opuſc. 48. de Ubi c. 1.* b *lo. cit.* c *opuſc. 48. de quando c. 1.*

Digitized by Google

ca circumſcriptione loci reſultat *Vbi* in reloca-ta, per quod res locata formaliter dicitur eſſe in loco, ſic ex adjacentia temporis menſurantis res temporales, reſultat in eis *Quando*, per quod res formaliter dicuntur eſſe in tempore: & ſicut *Vbi* ſupponit ex parte rei locatę quantitatem ſibi intrinſecam, per quam ſit apta ut ubicetur, & etiam ſupponit locum, ex cujus extrinſeca commenſuratione reſultat, ac proinde nec eſt quantitas rei locatę, neque locus ipſe, ſed aliquid ex loco relictum in re quanta, ſic etiam *Quando* ſupponit durationem ex parte rei quæ eſt in tempore, ſupponit etiam tempus ipſum in quo ſit res quæ à tempore menſuratur, ac proinde neque eſt ipſa duratio rei, ut quidam volunt, neque eſt ipſum tempus, ſed eſt aliquid relictum ex tempore, in re durante ad modum menſuræ durationis. Hujus ſpecies ſunt differentię temporum, pręſens, pręteritum & futurum, item cujuſlibet variæ ſpecies annorum, menſium, dierum &c.

RESO-

RESOLVTIO XLIX.

De Prædicamento Situs.

74 S*Itus eſt ordo partium in loco.* S. Th. [a] Vel ut alia volunt, *Eſt accidens diſponens partes in loco*, ut ſedere, ſtare, cubare &c. ordinantur enim per ſitum partes in ordine ad locum, ſicut per quantitatem ordinantur in toto. Poteſt autem hæc diſpoſitio partium vel eſſe à natura, ſicut ſitus hominis requirit, quod caput ſit in ſuperiori, pedes verò in inferiori loco; bruta verò animalia requirunt, quod caput ſit ante, & reliquum corpus retro: Vel poteſt eſſe à voluntate, ut hôc vel illô modô ſedere aut jacere: Vel à caſu, ut ſi aliquis decidat à ſuperiori loco, caput habeat in inferiori pedes autem in ſuperiori loco; quomodocunque accidat, hæc diſpoſitio partium ſpectat ad hoc prædicamentum. Differt autem à prædicamento *Vbi*, quod hoc ſolum explicet præſentiam in loco; illud verò in ſuo conceptu formali dicat hanc diverſam diſpoſitionem partium in ordine ad locum.

RESO-

[a] *1. 2. q. 49. a. 1. & opuſ cit. c. 1. de Situ.*

RESOLVTIO L.

De Prædicamento Habitus.

75 H*Abitus eſt corporum & eorum quæ circa corpus ſunt adjacentia.* S. Thom.[a] Vel ſecundùm alios. E*ſt accidens poſitivum & reale reſultans ex reali adjacentia veſtium vel armorum, ratione cujus res dicuntur induta, veſtita & armata.* Vnde ſicut ex loco ambiente redditur res locata & acquirit *Vbi*, ſic ex veſte circumdante dicitur induta & acquirit habitum hujus prædicamenti.

Quæres an eſſe habituatum conveniat etiam alijs animalibus ab homine? pro cujus ſolutione Advertendum ex S. Thom. [b] ubi notat ex Ariſtot. [c] *quod natura providit alijs animalibus de veſtimentis & armis, unde quædam pro veſtimento habent pilos, quædam verò corium groſſum vel corticem, vel aliquid hujuſmodi. Similiter etiam aliquibus pro armis dedit dentes, alijs cornua, alijs verò ungues, & hujuſmodi, homini autem nihil horum dedit, ſed dedit ei intellectum & manus, ut per eas poſſit ſibi providere, & de rebus exte-*

[a] *opuſ. 48. de habit. c. 1.* [b] *loco cit.* [c] *lib. 15. de animal.*

exterioribus faceret ſibi veſtimenta & arma: Vnde in alijs animalibus tam veſtimenta quam arma ſunt partes ſubſtantiales eorum & inter habentia & habita non eſt aliquis reſpectus realis, ſed ſolùm rationis, ſed inter veſtimenta & arma noſtra & nos, eſt reſpectus realis, & quatenus denominant nos ſunt prædicamentum habitus.

76 Ex dictis in ſex præcedentibus reſolutionibus colligitur ſex ultima prædicamenta non conſiſtere in aliqua denominatione extrinſeca, aliàs non poſſent conſtituere diſtincta prædicamenta, neque etiam conſiſtunt in aliqua relatione ſecundùm eſſe, aliâs omnia pertinerent ad prædicamentum relationis, ſed eſſe accidentia abſoluta & intrinſeca, relicta tamen in ſubjecto ex aliquo extrinſeco, ſine quo intelligi nequeunt, adeoque includunt relationem ſecundùm dici: hinc quatuor ultima prædicamenta ex propria ratione dicunt eſſe. In *Vbi*, enim, facit in loco eſſe cum diſpoſitione partium, *Quando*, facit eſſe in tempore, *Habitus*, in veſtitu, ſimiliter *Actio* dicit eſſe ab alio ut emanatio, *Paſſio* verò in aliquo ut immutatio. Igitur nullum horum prædicamentorum formaliter reſpicit purum terminum in ratione, *ad*; ſed ſolum ab aliquo extrinſeco dependent

dent in denominando, ratione cujus non ſunt omnino accidentia abſoluta, licet à termino ſint ſoluta.

§. 14.

De Poſt prædicamentis.

RESOLVTIO LI.

Quid ſit poſt prædicamentum & quotuplex.

77 POſt prædicamentum eſt *proprietas quadam conſequens aliqua prædicamenta tanquam modus illorum imperfectus*; qui ſcilicet non eſt ſufficiens fundare naturam genericam, ſpecificam aut individualem: hinc quamvis etiam intellectus & voluntas conſequantur ſubſtantiam, & figura quantitatem, non tamen poſtprædicamenta ſunt, quia conſequuntur ut quid perfectum.

Quinque ſunt poſt prędicamenta, videlicet, *Oppoſitio, Prioritas, Simultas, Motus*, & *Modus habendi*. Neque enim datur alia proprietas conſequens aliaqua prædicamenta, quę ad hæc quinque non reducatur.

Digitized by Google

RESOLVTIO LII.

Natura Oppoſitionis ejuſq; ſpecies explicantur.

78 OPpoſitio in communi *eſt repugnantia & incompoſſibilitas duorum extremorum quæ mutuò & determinatè ſe excludunt ab eodem ſubjecto, uti calor frigiditatem.* Ejus quatuor ſunt ſpecies, videlicet, *Contradictoria*, quę eſt mutua repugnantia inter quamcunque rem & ejus negationem, ut inter ens & non ens. *Contraria*, quæ eſt duorum accidentium poſitivorum ad invicem ſibi in eodem ſubjecto ſuccedentium, niſi fortè alterum ſit connaturalis proprietas, ſicut eſt calor in igne: *Relativa*, quæ eſt duarum relationum ad invicem ſe expellentium ab eodem ſubjecto, uti eſt pater & filius: Eſt denique *Privativa*, quæ eſt inter formam poſitivam, & carentiam formæ poſitivæ in ſubjecto apto nato habere illam, quâ ratione opponuntur viſus, & cęcitas, ſcientia, & ignorantia, mors, & vita.

Digitized by Google

RESOLVTIO LIII.

Explicantur reliqua Poſt prędicamenta.

79 SEcundum poſt prædicamentum eſt *prius ſeu prioritas*, & eſt modus quidam realis imperfectus rei quæ dicitur prior, quâ ratione ſubſtantia prior eſt accidentibus. Et hæc prioritas eſt multiplex. *Prima eſt temporis*, quomodo antiquiora priora ſunt, ſicut Adam omnibus nobis. *Secunda ordinis*, quando unum prçcedit aliud ordine, ſicut præmiſſæ concluſionem. *Tertia eſt quantitatis*, quando unum eſt excellentius alterô, ſicut princeps plebeio. *Quarta ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam*, quomodo omne ſuperius prius eſt ſuo inferiori, à quo ad inferius non valet conſequentia, ſicut non valet, *eſt animal, ergo equus*, benè autem contra. *Quinta eſt natura*, quando unum eſt cauſa alterius, & non è contra, ſicut eſſentia hominis reſpectu riſibilitatis, & ſol reſpectu lucis. Vbi adverte, hanc non eſſe prioritatem *In quo* unum ſit & non alterum, ſed prioritatem *A quo* aliud ſit & cauſalitatis, uti patet in exemplis adductis. *Sexta denique prioritas vocatur*

catur originis, quæ apud Theologos magno in pretio habetur, fundaturque in emanatione unius perſonæ divinæ ab alia, quâ ratione Pater in divinis eſt prior prioritate originis Filio à ſe ab æterno genito.

80 Tertium poſt prædicamentum vocatur, *Simul ſeu Simultas*, & hujus tres ſunt modi, videlicet *ſimultas temporis*, quę eſt eorum, quorum generatio eſt in eodem tempore, ut ſunt duo gemelli; *ſimultas naturæ*, quando duo ſunt ſimul naturâ, & neutrum eſt cauſa alterius, ut duo correlativa: & *ſimultas Ordinis* ſeu indiviſionis generis, quomodo duæ ſpecies ſunt ſimul ſub eodem genere.

81 Quartum poſt prædicamentum eſt *Motus*, & eſt accidens quoddam imperfectum, quo res nunc aliter ſe habet, quam antea, de quo in tertio Phyſicorum.

82 Vltimum denique poſt prædicamentum eſt *habitus ſeu habere*, prout idem valet ac poſſidere rem aliquam, quomodocunque, ſive per inhęrentiam, ſive per relationem.

PHILOSOPHI
RATIONALIS,
PARS IIII.

Complectitur difficultatum libris Poſteriorum reſo- lutiones.

§. 15.

De prærequiſitis ad Demonſtr tionem.

RESOLVTIO LIV.

De praecognitis ad Demonſtrationem

83 C*Vm omnis doctrina omniſqu ciplina fiat ex praexiſtent nitione*, ut ait Ariſt. [a] idqu maliùs de cognitione diſcu verificetur, ideo etiam jure optimo ab e

[a] *lib.1.poſt.c.1.*

Ariſtot. ante quamlibet Demonſtrationem neceſſariò præcognoſcendam, aſſignantur tria præcognita, ſubjectum ſcilicet, paſſio, & principium; & duę præcognitiones, videlicet, an ſit aliquid, & quid ſit: quia enim *id cujus ſcientia per demonſtrationem quæritur eſt aliqua concluſio, in qua propria paſſio de aliquo ſubjecto prædicatur, quæ quidem concluſio infertur ex aliquibus principijs, & quia cognitio ſimplicium præcedit cognitionem compoſitorum, neceſſe eſt quod antequam habeatur cognitio concluſionis, cognoſcatur aliquo modo ſubjectum & paſſio. Et ſimiliter oportet quod cognoſcatur principium* (id eſt præmiſſæ) *ex quo concluſio infertur: cum ex cognitione principij concluſio innoteſcat.* S. Thom. [a] Itaque ſecundum hoc tria erunt præcognita, principium ſcilicet, id eſt, præmiſſæ, quę unicum totale concluſionis principium efficiunt; itemque ſubjectum & paſſio de ſubjecto demonſtranda, priuſquam in concluſione eidem tribuatur. Neque etiam inter hæc pręcognita numerari debet bonitas conſequentiæ, quia non eſt præcognitum poſterioriſticum, de quo hic agit Ariſtot. ſed prioriſticum ſolum.

[a] *loco cit. lect. 2.*

RESOLVTIO LV.

Quomodo præmiſſæ ſint cauſa concluſi

84 P*Rrincipia ſe habent ad concluſio demonſtrativis, ſicut cauſæ activæ turalibus ad ſuos effectus.* S. Thom. [a] Vn non ſolum aſſenſus formalis præmiſſar cauſa efficiens aſſenſus concluſionis, ſed neceſſitat intellectum neceſſitate tam ex quam ſpecificationis, ad eidem aſſentie *Ratio prioris eſt*, quia aſſenſus præmi conſtituit intellectum in actu primo ad ſum concluſionis, ſicut ſpecies coloris c tuunt potentiam viſivam in actu primo dendum; ergo quemadmodum illæ ſpecie currunt deinde ad ipſam viſionem, quę eſt ſecundus, ita etiam aſſenſus præmiſſarun in virtute contineat ipſam concluſionem, curret efficienter ad aſſenſum ejus. *Q confirmatur.* Nam in aſſenſu concluſioni invenitur ſolum ratio communis intell nis, quæ correſpondet potentiæ intellecti cundum ſe & nudè acceptæ, ſed etiam in tur ratio intellectionis diſcurſivæ, ergò

[a] *ibid. lect. 3.*

Digitized by Google

ſic reduci debet tanquam in propriam cauſam in prçexiſtentem cognitionem prçmiſſarum, in cujus virtute diſcurſus ille continetur.

85 Poſterior pars intelligitur de prçmiſſis in ſyllogiſmo demonſtrativo convincente intellectum, & ex conceſſione præmiſſarum neceſſitante, de cujus præmiſſis aſſerimus, quod ſi eis intellectus aſſentiatur, nec etiam à voluntate ſive directè ſive indirectè ab illarum cognitione retrahatur, quod is non ſolum neceſſitabitur ad eliciendam concluſionem talis ſpeciei, qui ſit aſſenſus & non diſſenſus, in quo conſiſtit neceſſitas ſpecificationis, ſed etiam ut in exercitio eam eliciat, ita ut ſuſpendere nequeat actum, ſicut potentia viſiva, dum objectum eſt debitè applicatum, & oculi aperti, ita neceſſitatur ad videndum, ut non poſſit non videre. Et hoc eſt, quod docet S. Thom. [a] aſſerens, *quod ſi fuerint, talia apprehenſa, quibus naturaliter intellectus aſſentiat (ſicut prima principia) aſſenſus talium vel diſſenſus non eſt in poteſtate noſtra*, ſed ut alibi ait. [b] *Intellectus ex neceſſitate aſſentit, cognitâ connexione neceſſaria concluſionum ad principia.* Idque ratio ſuadet,

 quia

a *1. 2. q. 17. a. 6. in corp.* b *1. p. q. 82. a. 2. in corp.*

quia intellectus non eſt formaliter liber
voluntas, ergo dum eſt applicatus cum o
bus requiſitis, non poterit non aſſentir
clusioni.

§. 16.

De natura Demonſtration ejuſque diviſione.

RESOLVTIO LVI.

Quid ſit Demonſtratio.

86 ARiſtoteles [a] dupliciter definivit monſtrationem, *Primò* per ord ad effectum quem cauſat. *Secundò* per nem ad materiam ex qua conſtat. Prima que definitio eſt. Demonſtratio eſt *ſyllog faciens ſcire.* Cujus prima particula ponitu co generis, quia convenit in hoc cum ſyll mo topico, & ſophiſtico, quæ etiam ponit declarandum, quam formam exigat Der ſtratio, videlicet ſyllogiſticam. Secunda p cula denotat, quod ſcientia habitualis eff

[a] *lib.* 1. *poſt. c.* 2.

Digitized by Google

vè producatur ab ipſa tota demonſtratione: actualis autem effectivè generatur ab aſſenſu præmiſſarum, ut in priori Reſolutione dictum. Per tertiam particulam deſignatur effectus demonſtrationis, qui eſt ſcire, quod Ariſtot. a ita definit. Eſt *cognoſcere cauſam ob quam res eſt, & quoniam illius cauſa eſt, & non eſt contingere aliter ſe habere.*

87 Secunda definitio eſt talis: Demonſtratio eſt *ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis.* Dicitur in primis *ex veris*, quia cum præmiſſæ debeant eſſe cauſa veritatis concluſionis, illæ non debent eſſe falſæ, ſed neceſſariò veræ. Dicitur ſecundò, *ex primis, & immediatis*, id eſt, ex propoſitionibus per ſe notis quæ per aliud medium non demonſtrantur. Dicitur tertiò, *ex prioribus, & notioribus*, quia principia ſemper debent eſſe priora concluſione, utpote cauſæ ejuſdem, & quia cauſant manifeſtationem, & notitiam concluſionis, neceſſario debent eſſe notiora, juxta illud commune Philoſophorum axioma; *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale*, quod tunc verum habet, quando ratio ſignificata per nomen utrique tam

cauſæ,

a *loc. cit.*

cauſę, quam effectui formaliter conveni
cut benè valet: Muſæum eſt calidum p
ignem, ergo ignis eſt magis calidus: no
valet; terra eſt calida propter ſolem, er
eſt magis calidus, quia ſoli non compe
lor formaliter. Dicitur denique *cauſiſque c
ſionis*, pro cujus particulæ intelligentiâ.

Obſervandum cauſam eſſe duplicem,
in cognoſcendo tantùm, & aliam in co
cendo & eſſendo ſimul. Illa eſt quæ verè
cognitionem rei, ſicut *Inviſibilia Dei
quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*
verò eſt, quæ vere, & realiter cauſat re
etiam cognitionem ejus, ſicut eſſentiæ pr
tates; illa particula de utraque cauſa intell

RESOLVTIO LVII.

Dividitur Demonſtratio in ſuas ſpec

88 DEmonſtratio adęquatè dividi
demonſtrationem *propter qui
quia*; Illa eſt quæ procedit ex cauſis & ra
bus formalibus, & quæ non ſolum proba
ſionem convenire ſubjecto, ſed etiam m
ſtat propter quid illi conveniat aſſigna

a *Rom. 1. v. 20.*

præmiſſis propriam & adæquatam cauſam ejus; ut cum probat diſcurſivum convenire homini, hoc modo, omne rationale eſt diſcurſivum, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt diſcurſivus.

Demonſtratio verò *Quia*, eſt quæ non procedit ex cauſis immediatis, ſed vel ab effectu, Vt cum demonſtramus hominem eſſe rationalem, quia eſt riſibilis; Vel à cauſa remota, quæ non eſt adæquata effectui, nec convertibilis cum eo; ut ſi quis probare vellet piſces reſpirare, quia ſunt animal, non enim eſſe animal eſt cauſa adæquata reſpirationis, ſed habere pulmonem, cujus affirmatio, eſt cauſa affirmationis reſpirationis.

Vtrique ſimpliciter, & eſſentialiter convenit ratio formalis Demonſtrationis, licet enim Demonſtratio *Quia*, non faciat ſimpliciter ſcire per comparationem ad demonſtrationem *propter quid*, facit tamen ſimpliciter ſcire in ratione ſcientiæ ut ſic, & in communi: atque adeo ratio communis demonſtrationis univoca eſt in ſuis ſpeciebus, quia ſimpliciter in utraque reperitur, cui non obeſt, quod una ex conjunctione ad differentiam perfectiorem perfectior evadat, ſicut ratio animalis perfectior redditur
in

in homine ob differentiam perfectiore
univoca ſit in ſuis ſpeciebus.

§. 17.

De Scientia, effectu Demon-tionis, ejuſque unitate, & ſu alternatione.

RESOLVTIO LVIII.

Definitur Scientia.

89 SCientia, proprius effectus demo-tionis, alia eſt actualis, cujus def-nem Reſolut. 56. ex Ariſtot. adduximu habitualis, quæ ſic communiter definit *habitus intellectus verus, certus & evid demonſtrationem acquiſitus.* Dicitur pri*bitus* in quo convenit cum cæteris hab Secundò, *intellectus*, per quam particula fert ab habitibus voluntatis & aliarum tiarum. Tertiò, *verus*, in quo differt ab qui eſt habitus intellectus falſus. Quartò *tus*, ut differat ab opinione, quæ eſt habi certus. Quintò, *evidens*, ut deſignetur di

tia ejus à fide, quæ eſt habitus inevidens. Dicitur denique *per demonſtrationem acquiſitus*; in quo differt ab omnibus alijs habitibus intellectualibus, ut ab intelligentia, ſapientia, prudentia &c,

RESOLVTIO LIX.

Declaratur unde deſumenda ſit unitas, & diſtinctio generica Scientiarum.

90 TAm unitas quam diſtinctio generica ſcientiarum in ratione ſcibilis deſumenda eſt ab unitate, & diverſitate abſtractionis à materia; cum enim materia obumbret, & impediat intelligibilitatem rei, oportet quod in tantum reddatur intelligibilis, in quantum eſt ſeparabilis & denudabilis, (puta per intellectum) à materia, præterea ſicut radix intelligibilitatis eſt immaterialitas, ita diverſæ intelligibilitatis eſt diverſa immaterialitas ſeu abſtractio à materia, non abſolutè conſiderata, ſed prout ex pręmiſſis deſcendit ad concluſiones.

91 Porro ejuſmodi genericæ abſtractiones communiter tres recenſentur. *Prima* eſt abſtractio à materia tam ſenſibili quam intelligibili,

bili, qualitate ſcilicet & quantitate, & hæc conſtituit lumen ſeu immaterialitatem metaphyſicam, quo modo abſtrahit objectum metaphyſicæ: *Alia* eſt à materia ſenſibili tantum, non autem intelligibili; & hęc conſtituit lumen ſeu immaterialitatem mathematicam, quæ convenit objectis geometriæ, & arithmeticæ; *Tertia* tandem eſt abſtractio à ſola materia ſenſibili, & intelligibili in ſingulari, concernendo eam in communi, quo modo conſtituit lumen ſeu immaterialitatem phyſicam, quę competit objecto phyſicæ, ſicque tria erunt lumina generica ſcientiarum, ſcilicet, phyſicum, mathematicum & metaphyſicum, quæ tamen plures ſub ſe habere poſſunt ſpecies infimas, ſicut conſtat de Arithmetica & Geometria, quæ licet ſpecie diſtinguantur, tamen ſub eodem lumine & abſtractione objecta ſua, illa videlicet, quantitatem diſcretam, hæc verò continuam, conſiderat.

RESOLVTIO LX.

De unitate ſpecifica Scientiarum.

92 VNitatem ſpecificam ſcientiarum ab objecto deſumendam eſſe, quemadmodum

modum potentiæ ab objecto ſuam ſpeciem ſortiuntur, docet S. Thom. [a] his verbis. *Vnde relinquitur, quod cujuſlibet ſcientia unitas* (intellige ſpecifica) *ſecundum unitatem ſubjecti eſt attendenda.* Quia verò objectum duobus modis conſiderari poteſt, ſemel formaliter & in eſſe ſcibilis, alio modo materialiter & in eſſe rei, ideo merito dubitatur, ſecundùm quam conſiderationem objecta ſcientijs ſuam tribuant unitatem. Cui dubitationi occurrit idem S. Doctor loc. cit. ita aiens, *Ad hujus ergo evidentiam ſciendum eſt, quod materialis diverſitas objecti non diverſificat habitum, ſed ſolum formalis.* Cum ergo ſcibile ſit proprium objectum ſcientiæ, non diverſificabuntur ſcientiæ ſecundùm diverſitatem materialem ſcibilium, ſed ſecundum diverſitatem eorum formalem. Vnde ſicut formalis ratio viſibilis ſumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio ſcibilis accipitur ſecundum principia ex quibus aliquid ſcitur.

93 Hinc ergo colligitur quod illa ſcientia ſit una ſpecie, quæ ſub eodem lumine & abſtractione omnes res, quæ ſub ejus conſideratione cadunt, definit & demonſtrat; ſicut phyſicus,

[a] *lib. 1. poſt. lib. 41.*

ficus, quia eôdem modô definit omnia, quæ in Philoſophia tractantur, ſcilicet ſub eadem abſtractione à materia ſenſibili in ſingulari, concernendo eam in communi, ideo omnes illæ definitiones ſunt ſimiles, & ejuſdem ſpeciei in modo definiendi, licet diverſæ ſint ex parte rei definitæ, quod unitati ſcientiæ non obeſt, ſicut non obeſt unitati ſpecificæ potentiæ viſivæ attingere diverſos ſpecie colôres, dummodo ſub communi ratione luminis conveniant.

RESOLVTIO LXI.

De ſubalternatione Scientiarum.

94 SCientia ſubalternans nihil aliud eſt, quam ſcientia ſub ſe alteram continens; Scientia verò ſubalternata, eſt ſcientia ſub altera nata; quare tot modis contingit ſcientias ſubalternari, quot modis una ſub altera continetur. Ad noſtrum tamen propoſitum, tunc propriè contingit unam ſcientiam alteri ſubalternari, quando objectum inferioris ſcientię addit differentiam accidentalem ad objectum ſuperioris, ita ut ex conjunctione ejus ad objectum ſuperioris conſtituatur ſpecia-

te genus ſcibilis, ex quo reſultent ſpeciales proprietates quæ de ipſo demonſtrentur: ſicut v. g. ſonoreitas addita numero conſtituit objectum Muſices, quæ ſubalternatur Arithmeticæ. Cujus ratio eſt, quia ſcientia inferior, & ſubalternata debet à ſuperiore, & ſubalternante mutuare principia per quæ ſuas concluſiones probet. *Nam ſcientia ſubalternans ſeparatim ſcit Quia, neſciens propter Quid: Sicut chirurgus ſcit quod vulnera circularia tardius curantur, non autem ſcit propter quid, ſed hujuſmodi cognitio pertinet ad Geometram.* S. Th.[a] Utique quia partes vulneris circularis longiùs diſtant, quæ diſtantia cauſat difficiliorem curationem: *Iam ſubſumo*; Sed ſi objectum ſcientiæ ſubalternatæ contineretur eſſentialiter ſub objecto ſcientiç ſubalternantis (quâ ratione continentur objecta cæterarum ſcientiarum ſub objecto metaphyſicæ, ideoque huic non niſi impropriè & ſecundum quid ſubalternantur) tunc ſcientia inferior non opus haberet mutuare à ſuperiori principia ut probet ſuas concluſiones, quia ſic utpote eſſentialiter diſtincta à ſuperiori, à ſeipſa ſua haberet principia, benè tamen opus habet ejuſmodi mutuò principiorum ac-

K ceptione,

a *l.1. poſt. l.&. 41. in princ.*

ceptione, ſi ſolum addat differentiam accidentalem, quia tunc objectum ſuperioris pertinet ad propriam naturam paſſionum, quæ in ſcientia inferiori demonſtrantur, ergo.

95 An verò ſcientia ſubalternata ſit verè ſcientia in illo, qui non habet ſubalternantem v. g. an Muſicus non habens Arithmeticam, ſed tantum procedit ex principijs per fidem à Magiſtro acceptis, habeat veram ſcientiam Muſicæ, etiam in dubium vertitur. Nos aſſerimus, quod cum actualis evidentia non ſit de eſſentia ſcientiæ, ſed ſufficiat, quod ex natura ſua poſtulet illam, eamque habere poſſit dum eſt in ſtatu perfecto, ideo benè poterit haberi ſubalternata abſque ſubalternante, licet non ita perfectè. Et hoc ipſum docet S. Th. [a] his verbis. *Ille qui habet ſcientiam ſubalternatam non perfectè attingit ad rationem ſciendi, niſi in quantum ejus cognitio continuatur quodammodo cum cognitione ejus, qui habet ſcientiam ſubalternantem.* Continuatur autem hęc cognitio per fidem humanam, qua Muſicus v. g. ſine hæſitatione credit Arithmetico, non qualitercunque ſed quatenus ſcientificus eſt, ſic enim ſuorum principiorum ab Arithmetico explicatorum habet

a q. 14. *de ver. a. 9. ad 3.*

habet quandam quaſi evidentiam in magiſtro atteſtante.

§. 18.

De habitu primorum principiorum alijſque habitibus intellectualibus.

RESOLVTIO LXII.

Explicatur habitus principiorum.

96 SVpponendum in primis, prima principia nil aliud eſſe, quam illas univerſales propoſitiones quæ ſtatim explicatis terminis cognoſcuntur, ſuntque bifariæ, aliæ ſpeculativæ, quę cum claræ ſint, ſolùm movent potentiam intellectivam ad ſui cognitionem, v. g. *omne totum eſt majus ſua parte*: aliæ practicæ, quę non ſolum movent ad ſui cognitionem, ſed etiam ad benè moraliter operandum, v. g. *omne bonum eſt faciendum*, De prioribus igitur in præſenti difficultas eſt, an ad eas cognoſcendas ſufficiat potentia intellectiva, an verò requiratur habitus ſuperadditus?

Digitized by Google

RESOLVTIO LXIII.

De conſiſtentia Scientiæ & Opinionis circa idem objectum.

97 IN eodem ſubjecto circa idem objectum non poteſt eſſe ſimul habitus ſcientiæ cum habitu opinionis. Sumitur ex S. Thom. [a] qui docet, quod de eodem ſecundum idem non poteſt in uno homine eſſe ſimul ſcientia cum opinione, quia de ratione ſcientiæ eſt, quod id quod ſcitur exiſtimetur eſſe impoſſibile aliter ſe habere, de ratione verò opinionis eſt, quod idem quod eſt opinatum exiſtimetur poſſibile aliter ſe habere. Attamen attendendo ad oppoſitionem quæ eſt inter habitum ſcientiæ, & actum opinionis, vel è contra, non repugnat eſſe ſimul ſcientiam, & opinionem in eodem intellectu, circa eandem veritatem & pro eodem tempore. Ratio deſumitur ex eodem S. Th. [b] ubi ait, quod D. Paulus in raptu cum habitu fidei ſimul habuerit actum claræ viſio-

a *22. qu. 1. a. 5. ad 4. & q. 14. de ver. a. 9. ad 6.* b *22. q. 171. a. 3. ad 3.*

nis Dei, hi verbis. *Dicendum quod quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, ſed ſolum habuit actum beatorum: conſequens eſt, ut ſimul tunc in eo non fuerit actus fidei*: fuit tamen ſimul tunc in eo fidei habitus.

Ergo ſimiliter poterit eſſe actus ſcientiæ cum habitu opinionis, vel è contra, cum habitus & actus non opponantur immediatè, ſiquidem etiam in homine probo & temperato poteſt eſſe actus intemperantiæ cum habitu temperantiæ.

98 Et hoc intelligendum eſt per ſe loquendo, quia per accidens benè poſſunt opponi & ſe mutuò expellere, quando unus actus ob ſuam efficaciam generat perfectum habitum, ſicut eſt actus ſcientiæ, qui hoc ipſo quod generat habitum ſcientiæ, deſtruit habitum opinionis, licet non è contra actus opinionis ob ſuam inefficaciam expellat habitum ſcientiæ.

Et hæc de opere logico atque Sapientiæ veſtibulo breviter libaſſe ſufficiant. Ad laudem omnipotentis Dei, qui eſt benedictus per ſecula, Amen.

PHI.

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS,

Hoc eſt,

PHYSICÆ

PARS PRIMA.

Complectitur difficultatum in octo libris Phyſicorum tractari ſolitarum Reſolutiones.

§. 1.

In quo difficultates procemiales expediuntur.

RESOLVTIO PRIMA.

Philoſophia naturalis, ſeu Phyſica, eſt verè & propriè dicta ſcientia, eaq; ſpeculativa.

1 PLacet à dignitate naturalis Philoſophiæ quã nunc explicare intendimus ordiri, atque initium ſummere, ideoq; contra veteres quoſ-

Digitized by Google

dam Philoſophos in rebus naturalibus inveſtigandis minùs exercitatos, indubitatè cum communi hâc noſtrâ ætate ſententiâ aſſerimus, eam in choro ſcientiarum ſpeculativarum numerandam atque collocandam eſſe. Cujus ratio non longè petenda, eſt enim habitus certus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus, certò & evidenter demonſtrans, mixta eſſe corruptibilia, quia conſtant contrarijs qualitatibus; Ignem eſſe levem propter raritatem materiæ, terram è contra gravem ob ſuæ materiæ denſitatem, aliaque multa, quod proprium ſcientiarum eſt, demonſtrativè oſtendit. Nec obſtat, quod res naturales, de quibus tractat Phyſica, videantur & ſint varijs mutationibus obnoxiæ, ac proinde contingentes; id enim ſolùm verum eſt de rebus in ſingulari, non verò in communi & juxta prædicata ſua quidditativa conſideratis, quô modô *nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem ſcientiam habere*, ait Angelicus noſter Præcept. [a]

2 Eſſe autem ſcientiam ſpeculativam, præterquam quod id aſſerat Ariſt. [b] & D. Th. [c] liquet ex fine ejuſdem qui eſt nuda contemplatio

a 1. *p. q.* 84. *a.* 1. *ad* 3. b *6. Met. c.* 1. c *ſuper Boëtium de Trin. q.* 5.

tio veritatis rerum naturalium, quæ non habent principium in nobis, ſicut moralia & artificialia, ſed inſeipſis; hinc nec Phyſica docet facere mundum, cœlos, aut elementa, nec producere animas, ſed ſolùm, quę à natura producta ſunt, docet inſpicere & contemplari, erit igitur merè ſpeculativa.

RESOLVTIO II.

Objectum Philoſophiæ naturalis eſt ens mobile, tum mobilitate ſubſtantiali, tum accidentali.

3 CIrca objectum Philoſophię naturalis varij variè ſentiunt, qui tamen diſſenſus potiùs verſari videtur circa voces, quàm circa rem ipſam, ſive enim ponas corpus mobile, Vel naturale, ſive ſubſtantiam mobilem, aut naturalem, ſive denique. Ens mobile, mobilitate intellige radicali, in re non diſſentis, ſicque etiam Ariſtot. & D. Thom. varijs in locis; modò hoc, modò illud ponunt; formaliùs tamen loquendo aſſerimus, illud melius explicari per ens mobile, quàm per aliquod prędictorum: rationem ſubminiſtrat Ang. Doctor

ctor [a] ita inquiens. Scientiæ naturalis *ſubjectum eſt ens mobile ſimpliciter. Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile eſſe corpus probatur in iſto libro, nulla autem ſcientia probat ſuum ſubjectum.* Quare cum ex mente S. Thom. illud debeat pôni objectum adæquatum Phyſicæ, quod in eâ preſupponitur & eſt notiſſimum, potiùs ens mobile ponendum erit, quia de mobili non probatur eſſe Ens, benè autem eſſe corpus, quia eſt diviſibile, & eſſe naturale, quia conſtat materia & forma. Quod ut magis percipiatur.

4 Obſervandum eſt, quod quamvis Ens mobile in voce ſit quid complexum, res tamen pro qua ſupponit eſt incomplexa, non enim dicit aliquid aggregatum ex entitate & mobilitate, ſed dicit eam entitatem quæ eſt principium *Quod* mobilitatis, habens in ſe principium *Quo.* Et præterea ly *Ens* non ſumitur hic in latiſſima ſua ſignificatione, ſed quatenus præcisè ſupponit pro ente perfecto & completo, ſive ſit mobile mobilitate ſubſtantiali ad formam ſubſtantialem, uti ſunt entia generabilia; ſive mobilitate accidentali ad formam ſcilicet accidentalem, ut alterabilia, loco mobilia

[a] *l. 1. Phyſic. lect. 1.*

Digitized by Google

bilia &c. hoc itaque ens mobile dicimus nos objectum formale & adæquatum Phyſicæ, quatenus omnia quęcunque phyſicæ conſiderationis ſunt, ſub formalitate mobilitatis, aut entis mobilis attinguntur.

5 Si objicias, plurima tractari in Phyſica, quæ tamen ſub ente mobili minimè compræhenduntur, ergo ens mobile non erit objectum ejus adęquatum, antecedens probatur. Nam in Phyſica etiam agitur de quieſcibili, item de DEO & Angelis, de materia prima, de loco & polis mundi, quibus ratio mobilitatis non ſolùm non convenit, ſed etiam repugnat, ergo.

Reſp. Non eſſe neceſſarium, ut omnia quæ ſub phyſica conſideratione cadunt, in recto ſunt mobilia, ſed ſufficere, ſi eis in obliquo conveniat ratio mobilitatis, hinc aliqua conſiderat tanquam principia, aut intrinſeca, ut materiam & formam; Aut extrinſeca motus efficientia, ut DEVM & Angelos; Aut etiam ut terminos motus; puta polos mundi, cum quo ſalvatur ens mobile eſſe objectum adęquatum, quatenus hęc omnia ordinantur ad ipſum: ſicut Theologiæ noſtrę objectum adæquatum eſt DEVS, non obſtante quod etiam diſputet de Angelis, de peccatis & Dœmonibus, in quibus

Digitized by Google

quibus Deitas per eſſentiam non invenitur; agit ergo de his quatenus ordinem dicunt ad ipſum Deum vel præmiantem, vel punientem, &c.

RESOLVTIO III.

Philoſophia naturalis quoad omnes ſuas partes ſubjectivas eſt una ſecundùm ſpeciem infimam ſcientia.

6 DVas præcipuas ſub ſe continet partes, & tractatus Philoſophia naturalis, in quarum prima agitur de ente mobili in communi, abſolviturque octo libris phyſicorum, ſeu de phyſica auſcultatione; Secunda pars quæ de ente mobili magis in particulari examen inſtituit, iterum ſubdividitur in tres alios tractatus, in quorum primo agit de ente ingenerabili, & ſolummodo mobili ad locum ut in libro de cœlo & mundo, in ſecundo de ente generabili, & corruptibili, ut in libris de Generatione, & denique in tertio de ente generabili animato, quò forte etiam pertinent alij minoris momenti tractatus, ut de Inceſſu animalium, de ſomno & Vigilia &c. Itaque de Philoſophia naturali, quatenus ad omnes has partes

partes & tractatus ſe extendit, dicimus eam eſſe unâ ſpecie infima ſcientiam. Ita Sanctus Thom. [a] qui omnes iſtos tractatus diſtinguit tanquam in partes unius ſcientiæ naturalis, in quarum una agitur de toto objecto adæquato in communi, quod in alijs applicatur ad objecta particularia ſub communi contenta.

6 Probatur etiam ratione; Nam quæcunque in iſtis tractatibus à Phyſica attinguntur, conveniunt ſub eadem ratione formali *Qua* puta mobilitatis, & ſub eadem ratione formali *Sub Qua*; id eſt; ſub eodem lumine & abſtractione à materia ſingulari; quare ſicuti potentia viſiva eſt una ſecundùm ſpeciem infimam potentia, quia omnia ejus objecta conveniunt & attinguntur ſub eâdem ratione formali *Sub Qua*, videlicet luminis, & etiam ſub eadem ratione formali *Qua*, puta colorati, licet particularia ejus objecta & colores inter ſe ſpecie differant, ita etiam Philoſophia naturalis erit una ſpecificè ſcientia; abſurdum enim eſſet dicere, aliam eſſe ſpecie Philoſophiam quæ tractat de materia, aliam quæ de forma, ſicut abſurdum eſſet aſſerere, alium eſſe viſum, qui album & alium qui nigrum con-

[a] 1. *Phyſ. lect.* 1.

contuetur. Videantur quæ dicta ſunt ſupra. [a]

Dices. Partes Phyſicæ differunt diverſis abſtractionibus, ut cœli abſtrahunt ab ortu & interitu, & anima rationalis quæ etiam eſt objectum alicujus partis, ab omni materia abſtrahit, ergo non datur eadem abſtractio in hac ſcientia.

Reſp. Illas partes & tractatus differre diverſis abſtractionibus intra eandem ſpeciem abſtractionis ſcilicet à materia ſingulari, quod non cauſat diverſitatem ſpecificam in genere ſcibilis. Et quamvis anima rationalis ſecundùm ſuam entitatem, & ut *Quod* ſit ſpiritualis, nihilominus non omnino abſtrahit à materia ſenſibili, quia ex propria natura petit eſſe forma rei corporeæ, eſtque principium motus & quietis, unde in iſtis tractatibus non eſt diverſitas niſi pœnes abſtractiones materiales non formales.

[a] *in Philoſ. Rat. Reſol. 59. & 60.*

LIBER

LIBER PRIMVS

PHYSICORVM

SEV

DE PHYCÀ

AVSCVLTATIONE.

8 PRIMA Phyloſophiæ naturalis Pars in octo libros Phyſicorum diſtribuitur, qui etiam juxta S. Thom. [a] *de Phyſico ſeu naturali auditu, quia per modum doctrinæ ad audientes traditi ſunt*, inſcibuntur, eò quod nemo facilè intellexerit eos, qui Ariſtotelem de his ipſis differentem non audierit. Hos igitur in hac prima parte ſummâ quâ poterimus brevitate & perſpicuitate explicare propoſitum eſt.

[a] *I. Phyſ. lect.* 1.

§. 2.

De Principijs entis mobilis in communi.

RESOLVTIO IV.

Principia entis naturalis ſunt ea quæ non ſunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia fiunt ex ipſis. Ariſtot. a *& D. Thom.* b

5 SVb allata principiorum definitione comprehenduntur ſolummodo prima & intrinſeca principia entis naturalis, quæ ſimpliciter habent rationem principij, ita ut nullô modô ſint principiata; quod intellige in eodem genere principiandi, unde formâ, licet dum eſt materialis, fiat ex materia, non tamen in eodem genere, in quo ipſa eſt principium, ſed in ſuo genere ipſa eſt primum principium: atque ob eandem cauſam ab hac definitione excluduntur principia, & cauſæ extrinſecæ, ut efficiens, & finalis; ſimiliter elementa, & ipſum cœlum, quæ licet ſint principia, non tamen

a *1. Phyſ. tex. 42.* b *ibid. lect. 10.*

men prima, ſed ex alijs prioribus conſtant, materiá ſcilicet & formá.

Nec tamen exiſtimes definitum hujus definitionis eſſe tantùm principia entis naturalis corruptibilis, imò verò ſunt principia in communi ſumpta, prout abſtrahunt à corruptibili & incorruptibili, ne excludantur corpora cœleſtia, quæ etiam ex materiâ & formâ coaleſcunt. Sed

Dices. Cum non fiant omnia ex materia & forma cœleſti, uti patet, quomodo eis data definitio quoad ultimam particulam competere poteſt. *Reſp.* Illam particulam *omnia fiunt ex ipſis* intelligendam eſſe per diſtributionem accommodam, ita ut ſi illa principia ordinentur ad conſtituendum ens generabile, & corruptibile, hoc fiat ex ipſis, ſi verò ordinentur ad componendum ens ingenerabile, & incorruptibile, ſicut eſt Cœlum, hoc ipſum etiam ex eis conſtituatur.

Digitized by Google

RESOLVTIO V.

Principia entis naturalis in fieri ſunt tria, entis autem naturalis in facto eſſe, ſunt duo ſolùm.

19 PRimam partem deducit S. Thom. [a] ex ratione generationis, cum enim generatio ſit eſſentialiter mutatio, ad mutationē autem, quæ eſt tranſitus ſubjecti de non eſſe ad eſſe, tria requirantur, videlicet terminus à quo, terminus ad quem, & ſubjectum utrique commune, hęc tria etiam ad ipſam generationem neceſſaria erunt, videlicet ſubjectum tranſiens à non eſſe ad eſſe, quod eſt materia prima; deinde non eſſe formæ connotando aptitudinem ad illam, in quo conſiſtit privatio: & tertiò terminus ad quem, id eſt forma ſubſtantialis, ad quam habendam mutatur materia, adeoque entis naturalis ſecundum ſtatum fiendi tria erunt principia, materia ſcilicet forma & privatio.

Secundam partem docet Ariſt. [b] cum ait, quamlibet rem, conſtitui in facto eſſe ex actu &

[a] *opuſc. 31. & 8. Met. lect. 1.* [b] *8. Met. c. 6.*

Google

& potentiâ, ſed in ente naturali in facto eſſe tantùm materia habet rationem potentiæ, & forma rationem ſubſtantialis actus, ergo tantùm ex illis duobus conſtituitur in facto eſſe. Quod etiam ex eo conſtat, quia tranſacta generatione non manet in compoſito niſi materia & forma, & facta iterum reſolutione, non niſi in materiam, & formam reſolvitur.

RESOLVTIO VI.

Principia à quibus dependet ens naturale in fieri ſunt contraria, ſecus autem ea, quæ conſtituunt ens naturale in facto eſſe.

11 Contrarietas dupliciter uſurpari ſolet, unô modô propriè, & rigorosè pro oppoſitione eorum, quæ ſe mutuò expellant ab eodem ſubjecto, qualis reperitur in contrarijs qualitatibus: Aliô modô minus rigorosè pro oppoſitione privativâ, quæ eſt inter res habentes oppoſitas & repugnantes rationes, ut ſimul ſe non compatiantur, licet etiam activè vel paſſivè ſe mutuò non expellant, ſicut lux & tenebræ: & ſecundùm hunc contrarietatis modum ſibi contrariantur principia entis natu-

ralis inſieri, non enim terminus à quo & terminus ad quem, privatio formæ, & forma ipſa ſe mutuò patiuntur in eodem ſubjecto, ſed accedente forma, neceſſariò deſinit eſſe ejus privatio in ſubjecto, ut generato igne ex ligno, deſinit privatio formæ ignis in ligno.

De principijs verò entis naturalis in facto eſſe clarum eſt, ea ſibi non contrariari, cum concurrant ad unum tertium conſtituendum, in quo tam materia quam forma intrinſecè remanent, & ſe mutuò amplectuntur.

§. 3.

De Principijs entis naturalis in particulari & inprimis.

De Materiâ primâ.

RESOLVTIO VII.

Datur Materia prima compoſitionis, & tranſmutationis in rerum natura.

12 SVpponendum eſt ens naturale duplici via prodire poſſe in theatrum hujus univerſi, vel via creationis, vel generationis; Priori modo ut fiat, non indiget materiâ præſuppoſitâ,

ſitâ, ſed creatur, creatio autem eſt productio totius entis ex nihilo, id eſt, nulla concurrente materia ad ejus productionem: Vt autem viâ generationis & naturalis transmutationis ens naturale prodeat, neceſſaria eſt materia prima, quæ amiſſibiliter & variabiliter recipiat formas ſubſtantiales, ſitque ſimul pars intrinſecè componens ens naturale: & hoc nemo facile ſine temeritatis nota negabit, quandoquidem veritatem hanc amplectuntur SS. PP. & Eccleſiæ Magiſtri D. Auguſtinus, Baſilius, Chryſoſt. &c. qui explicantes illa verba Sac. Script. [a] *In principio creavit DEVS cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua*, tenent eſſe in rerum natura aliquam materiam primam creatam à Deo, ex qua omnium rerum corruptibilium formæ tanquam ex quadam potentia educantur.

13 Definitur autem Materia prima ab Ariſtot. [b] eſſe *primum ſubjectum uniuſcujuſq; ex quo fit aliquid cum inſit, & non ſecundùm accidens.* In quâ definitione ly *ſubjectum* ponitur loco generis & ſimul excluditur forma, quæ ſubjectum non eſt. Dicitur *primum* ad excludendum ſub-

 jectum

[a] *Gen. 1. v. 1.* [b] *in hoc lib. tex. 82. S. Thom. ibid. lect. ult.*

jectum accidentium. Dicitur *ex quo fit aliquid* ut excludantur cauſę extrinſecæ. Dicitur, *cum inſit* ad excludendam privationem, quæ non ineſt enti naturali tanquam pars componens, ſed per formam expellitur. Dicitur denique, *& non ſecundum accidens*, ad deſignandum ex materiâ & formâ coaleſcere unum ens per ſe.

RESOLVTIO VIII.

Materia prima ſecundùm ſe ſumpta, nullum prorſus habet actum entitativum, ſed eſt pura & realis potentia.

14 NOmine actus entitativi, quem quidam Recentiores mordicus attribuunt materiæ primæ, intelligunt actum quendam, qui ſit univerſalis & tranſcendentalis reſpectu omnium rerum, putantque eum cuilibet rei, hoc ipſo quod realis entitas eſt convenire, etſi nec Ariſtot. nec D. Thomas ejuſmodi actum uſpiam agnoverint, ut meritò illum etiam materiæ primæ negemus. Ratio eſt, nam ideò ſecundùm alios materia prima includit actum entitativum, quia eſt entitas realis extra ſuas cauſas, ſed ex hoc non infertur quod ipſa

ipſa debeat eſſe, vel ipſe actus entitativus, vel illum in ſuo conceptu includere, ergo. Minor probatur & declaratur. Nam apud Ariſt. [a] Ens dividitur adæquatè in actum & potentiam, ita ut tota latitudo entis non per actum ſolùm, neque per potentiam præcisè ſed per utrumque quaſi per duas oppoſitas entis differentias exhauriatur, ergo hoc ipſo quod aliquid ſit ens, non infertur legitimè quod ſit actus quia ſtat eſſe potentiam realem, ſicut ex hoc quod aliquid ſit animal non infertur eſſe rationale, quia poteſt eſſe irrationale.

15. Nec poteſt dici; quod Ariſtot. nomine potentiæ intellexerit potentiam objectivam, alias diviſio entis non intelligeretur facta in diverſa entia, ſed ſolummodò in diverſos ſtatus entis, quatenus idem ens ut verè poſſibile & ut extra ſtatum poſſibilitatis conſideratur: relinquitur ergo quod nomine potentiæ intellexerit potentiam ſubjectivam nullum includentem actum, in qua materiæ eſſentia conſiſtit, uti manifeſtè docet S. Thom. [b] ita inquiens: *Materia prima eſt ſua potentia paſſiva, ſicut DEVS eſt ſua potentia activa.* Quæ verba

 hunc

[a] *lib. 1. de anima cap. 6. & alibi.* [b] *1. diſt. 3. q. 4. a. 2. ad 4.*

hunc reddunt ſenſum, quod ſicut Deus eſt puriſſimus actus nullam in ſe claudens potentialitatem, ita materia prima eſt puriſſima potentia omnem penitus excludens actualitatem.

16. Obijcies. Quicquid eſt extra ſtatum poſſibilitatis debet eſſe ens actu, ſed materia prima eſt aliquid extra ſtatum poſſibilitatis, cum non ſit nihil, ergo erit ens actu, & ergo in ſuo conceptu includit aliquam actualitatem.

Reſp. Diſt. majorem, debet eſſe actu tanquam ex ſe habens actum, neg. tanquam recipiens actum ſi eum ex ſe non habeat, cōceditur major, & conceſſa minori diſtinguitur eodem modo conſequens, ergo materia prima eſt ens actu, quaſi ex ſe habeat actum, negatur, ut recipient actum, conceditur conſequentia. Itaque quamvis omnis res poſita extra ſtatū poſſibilitatis debeat eſſe in actu, non tamen omnia eodē modo, aliquid enim eſt in actu ut ſuſcipiēs actū, ſicut materia prima, aliquid ut dans actum, uti forma, aliquid ut conſtitutū actu ſcilicet compoſitū. Et deinde materia prima ſe ſola nō creatur, ſed ut loquuntur Thomiſtæ concreatur & producitur dependenter à forma dante illi eſſe formaliter, uti docet S. Thom. a hiſce verbis,

Mate-

a *de pot. q. 3. a. 5. ad 3.*

Materia prima per ſe non creatur, ſed ex hoc non ſequitur, quod non creetur ſub forma: ſic enim habet eſſe in actu.

Inſtabis amplius contra datam doctrinam. Si materia prima ſit pura potentia & capacitas ſuſceptiva formę, quomodo intelligi poteſt cauſare materialiter ſuſcipiendo formam, ſi illa ante formam non ſit neque exiſtat?

Reſp. Vt materia dicatur realiter ſuſcipere formam, non eſſe neceſſarium ut illa duratione quadam, vel temporis, vel inſtantis realis præexiſtat, formę, imò hoc eſt impoſſibile, ut in ſequentibus dicemus, ſed ſufficere ut in eodem reali inſtanti temporis, in quo actus materiam informat, & materia actum recipit, una cum forma concomitanter exiſtat.

RESOLVTIO IX.

Actus ad quem eſt in potentia materia prima, eſt ſubſtantialis forma, & ideò potentia materiæ non eſt aliud quam ejus eſſentia S. Th. a

17 IN materiâ duplex ſolet diſtingui potentia, una per quam indeterminatè reſpicit

a 1. p. q. 77. a. 1. ad 2.

cit omnes formas ſubſtantiales ſine ulla limitatione ad unam potiùs quàm ad aliam, & hæc vocatur potentia remota vel radicalis: alia verò eſt, per quam ratione antecedentium diſpoſitionum unam potius quàm aliam, imò determinatam formam habet reſpicere, & dicitur potentia proxima vel particularis.

18. Dum ergo cum S. Thom. [a] aſſerimus, potentiam materiæ nihil aliud eſſe, quàm ejus eſſentiam, id intelligendum eſt de potentia remota & Vniverſali, hæc enim nullo modo eſt accidens materiæ ſuperadditum, ſed ipſa ejus Eſſentia. Quod inde liquet. Nam potentia per ſe & immediatè ordinata ad ſubſtantialem formam tanquam ad proprium actum, debet eſſe ſubſtantialis, quia actus & potentia ſunt in eodem genere, ut inquit Ariſtot. ſed potentia materiæ primæ per ſe & immediatè ordinatur ad formam ſubſtantialem tanquam ad proprium actum ſuumque ſpecificativum, uti habet S. Thom. ergo & ipſa potentia materiæ erit ſubſtantialis, adeoque ejus Eſſentia: quod egregio teſtimonio confirmat S. Tho. [b] dicens: *In rebus invenitur aliquid, quod eſt potentia tantùm, ut Materia prima, & aliquid quod eſt actus tan-*

a *loc. mox citato.* b *1. cont. Gent. cap. 43.*

tantùm, ut Deus, & aliquid quod eſt actus & potentia, ut cæteræ res. Si ergo ex mente S. Tho. Materia prima ſit tantùm potentia, erit utique ejus Eſſentia.

19. Porrò de potentia proxima libenter admittimus eam non eſſe de eſſentia materię, ſed eſſe aliquid eidem ſuperadditum ab eaque diſtingui diſtinctione reali includentis ab incluſo, ſiquidem hæc potentia, ſuper potentiam radicalem materiæ addit diſpoſitiones quaſdam accidentales ratione quarum eſt limitata ad certam formam, ut ſimul nequeat aliam ſuſcipere, poteſtque hæc potentia deſtrui illæſa manente eſſentia materiæ, quod manifeſtum ſignum eſt realis diſtinctionis.

Et quamvis potentia deſtinata ad agendum ſit accidentalis, pertineatque ad prædicamentum qualitatis, potentia tamen deſtinata ad eſſendum, & ad actum ſubſtantialem immediatè recipiendum, qualis eſt radicalis potentia materiæ primæ eſt ſubſtantialis indirectè pertinens ad prædicamentum Subſtantiæ.

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO X.

In materia prima eſt appetitus naturalis ſeu innatus ab ejus entitate indiſtinctus ad omnes formas, quæ eidem virtute agentis naturalis uniri poſſunt.

20 DVplex eſt appetitus, alius naturalis, alius elicitus. Naturalis eſt, qui conſequitur formam & entitatem rei, quô mediante res abſque ulla prorſus cognitione fertur in bonum ſibi proportionatum & conveniens, ſicut lapis in centrum. Elicitus eſt, qui fit ex prævia cognitione, ut dum canis inſequitur leporem, & hic, ſi ſequatur formam per ſenſum appræhenſam, vocatur animalis, ſi per intellectum pręconceptam, intellectualis dicitur.

Quia ergo *qualibet res ad ſuam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut quando non habet ipſam tendat in eam, & quando habet ipſam quieſcat in ea,* S. Thom.[a] ideò etiam hanc ipſam habitudinem & naturalem appetitum tribuimus ipſi materię reſpectu formarum ſubſtan-

[a] *1. p. q. 19. a. 1.*

Digitized by Google

ſtantialium, quas ei agens naturale tribuere poteſt. *Ratio eſt*, quia forma eſt maxima perfectio materiæ, & quaſi divinum quoddam bonum reſpectu ejus, ut loquitur Ariſtot. cum afferat ſecum Eſſentiam rei, ſpeciem completam, & materiam faciat in rerum natura exiſtere, ergo in hanc ſuam perfectionem naturali appetitu fertur ipſa materia, maximè cum non ſit neceſſarium ut appetitus iſte exerçeatur per actum aliquem ſeu impulſum actiuum, cujus materia eſt incapax, ſed ſufficiat habitudo & ordo, quem dicit materia ad illas formas tanquam ab bonum ſibi conveniens.

21 Eſt autem doctrina hæc limitanda & intelligenda de formis necdum amiſſis; ſi enim de iſtis eſſet ſermo, fatebimur libenter materiam eas appetitu naturali non appetere, eò quod in natura de privatione ad habitum non detur regreſſus; reſpiciet tamen adhuc eas appetitu obedientiali, quatenus per agens ſupernaturale eidem reuniri poſſunt, uti continget in reſurrectione mortuorum.

Dices. Poteſt agens naturale in generatione unire animam rationalem materiæ, ergo poterit etiam illam jam ſemel amiſſam eidem reunire. Probatur Conſequentia, quia utraque

que unio eſt ejuſdem ſpeciei, ſi ergo prima non excedit vires naturæ neque ſecunda excedet.

Reſpon. Negando Conſequentiam, ad probationem dicitur, illas uniones eſſe ejuſdem ſpeciei quoad ſubſtantiam, non verò quantùm ad modum, quia ſecunda unio formæ ſemel amiſſæ quoad modum eſt ſupernaturalis, quia fit abſque ullis prævijs diſpoſitionibus, quod ſuperat vires naturæ.

Appetitum autem naturalem ab entitate materiæ eſſe indiſtinctum, docet S. Thom. [a] his verbis inquiens. *Videmus quod inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei, non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ſed per materiam quæ appetit eſſe antequam habeat.* Quare ſicut inclinatio lapidis in centrum eſt ipſe lapis inclinatus in illud; ita appetitus, & inclinatio materiæ eſt ipſa materia tendens in formas tanquam in bonum ſibi proportionatum.

[a] *1. p. q. 59. a. 2.*

Digitized by Google

RESOLVTIO XI.

Etſi materia prima ſit primum, & radicale corruptionis, & generationis principium, ipſa tamen ſecundùm ſuam entitatem eſt prorſus ingenerabilis, & incorruptibilis.

22 NOn volumus dicere materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem poſitivè, quaſi videlicet habeat aliquod eſſe poſitivum actuale ingenerabile, & incorruptibile, per aliquam exiſtentiam ſibi propriam, ratione cujus perpetuò duret & in eſſe conſervetur, ſicut Angeli & Corpora cœleſtia; ſed ſolùm aſſerimus eam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem negativè, quia videlicet caret principijs generationis, & corruptionis, eſtque ante generationem; in quo differt à rebus per creationem productis; atque etiam manet poſt rei corruptionem, per quod differt à rebùs quæ per annihilationem deſinunt eſſe, in quâ totum deperditur, *eſt igitur impoſſibile materiam primam generari, vel corrumpi*, S. Thom. [a] Cum hoc tamen

[a] 1. *Phyſ. lect. 15. circa finem.*

tamen optimè cohæret eam eſſe primum & radicale principium corruptionis compoſiti, quatenus videlicet nullà formâ ſublunari ſatiatur, ſed quacunque habita, aliam, & aliam appetit; ut proptereà etiam à Philoſopho malefica nuncupetur, quia ut poſſit frui aliâ formâ, quam non habet, machinatur cœdem propriæ quam poſſidet: in quo differt à materia cœleſti, unam determinatam formam recipiente eamque ſatiante.

23 Obijcies I. Generatio eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe; ſed cum ex ligno fit ignis, materia ligni tranſit de non eſſe ignis ad eſſe ignis, ergo generatur. II. Sequeretur totum compoſitum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, quod probatur. Nam ex eo quod materia eſt entitas quædam materialis, totum compoſitum dicitur materiale, etſi altera pars videlicet forma ſit ſpiritualis, ut patet in homine; ergo pari ratione dicetur totum compoſitum incorruptibile, quia materia eſt incorruptibilis.

Reſp. Ad primam objectionem. Id quod generatur debere tranſire de non eſſe ad eſſe non ſolùm ſubjectivè, ſicut materia ligni in exemplo poſito, ſed terminativè, quâ ratione ignis

ignis tranſit, & ideò is propriè generatur, materia autem ut ſubjectum præſupponitur. *Ad ſecundam* objectionem negatur ſequela, ad cujus probationem negatur conſequentia, quia compoſitum non denominatur à partibus ſeorſim acceptis; ſed à conjunctione earum, quæ quia fit modo corruptibili & dependenti à materiâ, ideò totum dicitur materiale propter iſtam dependentiam, & corruptibile propter iſtam conjunctionem, non obſtante quod materia, & aliquando etiam forma, ſit incorruptibilis.

Petes, quî fit, quod compoſitum vocetur materiale, quia una pars eſt materialis, non verò ſpirituale, etſi altera pars, ut in homine anima, ſit ſpiritualis?

Reſp. Eſſe materiale eſſe denominationem de genere mali, quod conſurgit ex quocunque defectu, ſicut homo dicitur claudus, gibboſus aut luſcus; licet ſolummodò ſecundùm certas partes iſta homini conveniant: at verò eſſe ſpirituale eſt denominatio de genere boni, quod conſurgit ex integra cauſa, & ideò ut homo diceretur ſpiritualis, deberet abſolutè carere materia.

RESOLVTIO XII.

Materia prima ſecundùm ſe conſiderata, non habet exiſtentiam propriam, & partialem, per quam extra cauſas ſuas exiſtat.

24 IN duplici ſenſu agitatur quęſtio hęc celebris apud Philoſophos; *Primò* an defacto materia prima propriam habeat exiſtentiam independenter à forma? *Secundò* ſuppoſito quod non habeat, an ſaltem per potentiam Dei abſolutam in rerum natura exiſtere poſſit ſine forma? primum in præſenti, alterum autem in poſteriori reſolutione determinabimus. Itaque indubitanter aſſerimus cum Ang. noſtro Præceptore, materiam primam defacto nullam ſibi vendicare exiſtentiam propriam, idque toties, tamque expreſſis verbis docet S. D. ut mirum ſit non neminem ſub ipſa quaſi meridiana luce tantum cœcutire potuiſſe, ut aſſereret, D. Thom. immeritò pro hac ſententia citari. Quomodo enim apertiùs hanc veritatem exprimeret, quàm dicendo, *quicquid in rerum natura invenitur, actu exiſtit, quod quidem*

dem non habet materia niſi per formam, quæ eſt actus ejus, unde nec habet ſine forma in rerum natura inveniri. [a] Forſitan autem malles authoritatem ex ejuſdem Summa Theologica? hanc ſequentibus verbis accipe. *Dicendum quod materia prima non exiſtit in rerum natura per ſeipſam cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantùm. Vndè magis eſt aliquid concreatum, quàm creatum.* [b] De mente igitur S. Thom. nullatenus dubitandum eſt, quin ſententiæ hujus fidelem atq; ſtrenuum ſeſe profiteatur Patronum.

25 Eandem Veritatem rationibus iiſque firmiſſimis fulcire haud difficile eſt, quarum prima hæc eſto. Materia prima ſecundùm ſe nullam includit formam, ergo neque exiſtentiam, ant. patet. [c] probatur verò conſequentia, quia forma eſt ratio formalis conſtituens materiam capacem recipiendi exiſtentiam, ſicut diaphaneitas eſt ratio formalis conſtituens corpus capax recipiendi lucem, ergo. probatur antecedens, forma eſt ratio conſtituens materiam primam in determinatâ aliqua ſpecie, ſine qua ad nullam certam & determinatam ſpeciem ſpectabit, ergo eſt ratio formalis conſtituens ma-

[a] *q. 4. de pot. a. 1. in Corp.* [b] *1. p. q. 7. a. 2. ad 3.* [c] *ex Reſol. 8.*

Digitized by Google

materiam primam capacem exiſtentiæ. Conſequentia probatur quia nihil poteſt exiſtere in rerum natura niſi in certa aliqua & determinata ſpecie, niſi monſtrum monſtrorum producere intendas.

26 *Secunda ratio.* Si materia prima habere[t] propriam exiſtentiam eſſet maximè ideò, quia diverſa productione producitur à productione formæ, illa enim creatur, hæc verò de potentia materiæ educitur, atqui hoc eſt falſum loquendo de prima rerum & formarum productione, ergo materia prima non habet propriam exiſtentiam. Major eſt oppoſitum tenentium. Minor verò probatur quoad 1. p. ex S. Th. qui ubicunque agit de productione materiæ ſemper vocat eam concreatam, uti conſtat ex loco mox citato. Prędterea ex mente ejuſdem S. D. a *Illis propriè convenit fieri aut creari, quibus convenit eſſe, quod quidem convenit propriè ſubſiſtentibus.* Ad quę verba ſubſumimus; ſed materiæ primę non convenit ſubſiſtere, quia ipſa neque eſt perſona, neque hypoſtaſis, aut ſuppoſitum, uti hic ex Metaph. ſupponimus, ergo *ſicut accidentia & formæ & hujuſmodi quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quam entia,* id eſt per

a 1. p. q. 45. a. 4. in Corp.

Digitized by Google

per ſe exiſtentia, *ita magis debent dici concreata quam creata.* [a] Deinde probatur minor quoad 2. p. quod videlicet formæ ſubſtantiales in prima rerum productione non ſint eductę ex potentia materiæ. Nam ſi ibi interveniſſet eductio formæ, Vel illa fuiſſet ab aliquo agente creato educēte formam, Vel illa eductio fuiſſet à Deo exercente tunc officium educentis formam, & creantis materiam, ſed neutrum dici poteſt, primum quidem, quia tunc tale agens non dabatur; Secundum autem, quia ſic ſine fundamento multiplicaremus iſtas actiones, cum unica creativa totius compoſiti ſufficiat, quod innuunt ſac. pag. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* [b] Et quamvis abſolutè ita fieri potuiſſet, ut Deus in principio rerum crearet ſolam materiam, atque in eodem inſtanti educeret deinde formâm, uti contingit in generatione vermium ex ſpeciebus ſacramentalibus, ubi Deus in ultimo inſtanti generationis ſubrogat materiam; tamen decuit, & maximè conveniens fuit, ut prima rerum productio inciperet à creatione perfecta & abſolutâ, ut non ſolùm materia, ſed totum compoſitum crearetur.

27 *Tertia ratio.* Ex materia & forma fit & reſul-

[a] *S. Th. ibid. in fine Corp.* [b] *Gen. 1.*

reſultat unum ens per ſe, ergo ipſa materia nequit habere propriam exiſtentiam. Antecedens apud omnes eſt certum, probatur verò conſequentia, ex duobus entibus in actu non poteſt fieri unum ens per ſe, ut commune habet axioma, ſed ſi materia propriam haberet exiſtentiam eſſet ens in actu & ſimiliter forma, ergo tunc non fieret unum ens per ſe, ergo nullam habet propriam exiſtentiam.

Sed audio te ſubmurmurantem, majorem veram eſſe de entibus in actu completis, non autem incompletis, quorum quodlibet exiſtentiam partialem habeat & incompletam, quia tunc una exiſtentia comparatur ad aliam ut perfectibilis & alia ut perficiens, quô modô ſe habet exiſtentia materiæ ad exiſtentiam formæ. *Verùm* gratis iſta dicuntur, quandoquidem nulla exiſtentia poteſt habere rationem potentiæ reſpectu alterius exiſtentiæ, quod probatur, quia nulla res poteſt in eodem genere eſſe actus, & potentia ſimul, ſed quævis exiſtentia eſt actus in ordine exiſtentię, ergo non poteſt in eodem genere eſſe potentia. *Præterea*, implicat quod aliqua res actuata per ultimum actum alicujus generis ſit in potentia ad ulteriorem actum ejuſdem generis, ſed qualibet res exiſtens,

iſtens, ſive exiſtat ut pars, ſive ut totum, hoc ipſo eſt actuata per ultimum actum de genere exiſtentię, ergo nequit ulterius actuari per aliam exiſtentiam.

28 *Objicies* I. Niſi materię attribuas propriam exiſtentiam, ſed eam habeat à forma, ſequitur quod toties corrumperetur, quoties amittit exiſtentiam formæ, atqui hoc eſt contra ſuperius dicta, ergo, ſequela probatur; quia tunc res aliqua corrumpitur, quando amittit eſſe. II. Exiſtentia cujuſque rei non niſi ratione diſtinguitur à re, ergo etiam exiſtentia materiæ, ideoque non exiſtet per exiſtentiam à ſe diſtinctam.

Reſp. Ad primam objectionem, negando ſequelam, ad probationem diſting. antec. quando amittit eſſe, ita ut ei in eodem inſtanti non communicetur aliud eſſe; conc. ſi ei aliud eſſe communicetur, neg. antec. corrumpi ergo aliquam rem non eſt utcunq; amittere eſſe, ſed ita illud amittere, ut ei aliud Eſſe loco prioris non communicetur; eſt enim corruptio tranſitus ab eſſe ad non Eſſe: quia verò materia prima dum amittit unam formam ſtatim acquirit aliam à qua habeat ſuam exiſtentiam ideò nunquam

tranſit ab Eſſe ad non Eſſe.

Ad ſecundam objectionem neg. antec. dicemus enim in noſtris reſolutionibus metaphyſicis exiſtentiam pluſquam ratione ab Eſſentia differre. Et quamvis Eſſentia completa dicat immediatum ordinem ad exiſtentiam, tamen Eſſentia quæ de ſe non eſt capax exiſtentiæ, neque eſt in determinata ſpecie alicujus entis formalis, ſed ſolùm potentialis, ſicuti eſt eſſentia materiæ primæ, immediatè non eſt capax exiſtentiæ, ſed oportet quod prius actuetur forma, quam materia per ſe primò reſpicit & recipere debet, ut mediante illa ultimò actuetur per exiſtentiam.

RESOLVTIO XIII.

Dicere quod materia ſit in actu ſine forma, eſt dicere contradictoria eſſe ſimul, unde à Deo fieri non poteſt. a

29 EXplicato in priori reſolutione, quod materia prima de facto nullam ſibi vendicet exiſtentiam propriam, ut ejuſdem nuditatem, & ad propriam exiſtentiam incapacitatem

a *S. Thom. quodl. 3. ad 1.*

citatem ulterius declaremus, aſſerimus implicare prorſus contradictionem eam denudatam ab omni formâ in rerum natura exiſtere. Quod probamus efficaci ratione ex verbis S. Thom. petitâ. *Sub omnipotentiâ Dei non cadit aliquid, quod implicat contradictionem,* [a] ſed *dicere materiam præcedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem,* [b] ergo implicat materiam denudatam ab omni forma in rerum natura exiſtere. Minor præterquam quod ab authoritate A. D. ſuum habeat valorem, & certitudinem, probatur etiam ratione? *Nam* inprimis eſſet actu ut ſupponitur, deinde non eſſet actu, quod probatur: Illud quod non habet formam non eſt actu, nedum per actum ſubſtantialem, ut occurram cuidam inſtantiæ, verùm nec per actum exiſtentiæ, ſed materia prima in caſu poſito non haberet formam, uti quoque ſupponitur, ergo non exiſteret actu, etiam actu exiſtentiæ. Major quod 1. p. quod videlicet non eſſet actu per actum ſubſtantialem, etiam ab Adverſariis conceditur. *Probatur verò quoad 2. p.* Actus exiſtentiæ indiſpenſabiliter præſupponit actum Eſſentiæ, non minùs quàm operatio præſupponit potentiam operativam;

[a] *1. p. q. 25. a. 4. in 1.* [b] *in cap. p. q. 66. a. 4.*

tivam; ſed nequit alicui rei convenire operatio niſi mediante potentiâ operativâ, ergo etiam materiæ nequit convenire actus exiſtentiæ niſi mediante actu Eſſentiæ. Major ſi tibi videatur dubia probatur hoc modo. Nam actus exiſtentiæ non conſtituit rem intrinſecè, & eſſentialiter vel in ſua quidditate, aliàs eſſet neceſſarius, ſed eſſentiam jam conſtitutam in certa aliqua ſpecie extra ſuas cauſas ultimò conſtituit, ergò neceſſariò præſupponere debet actum Eſſentiæ, non cujuſcunque, ſed completæ & capacis exiſtentiæ, ac per conſequens formam ipſam. *Confirmatur*. Implicat quod aliquod individuum exiſtat in rerum natura, & quod non pertineat ad aliquam certam & determinatam ſpeciem, ſicut implicat dari aliquod animal, quod nec eſſet rationale; nec irrationale; ſed ſi materia exiſteret ſine forma, non pertineret ad aliquam ſpeciem, nec etiam reductivè, ergo implicat exiſtere ſine forma. Minor conſtat, quia nec eſſet vivens, nec non vivens, nec animata, nec inanimata, ergo.

30 *Obijcies 1.* Poteſt Deus accidens ſeparare à ſubjecto, illudque hôc modô ſeparatum conſervare, uti conſtat in Sacramento Euchariſtiæ, ergo etiam poterit materiam ſine formâ

con-

conſervare. II. Deus poteſt ſupplere effectum ſecundarium alicujus formæ, ſed exiſtentia eſt ſolummodò effectus ſecundarius formæ, non verò primarius, ergo poterit eam Deus ſupplere, prout de facto eam ſupplevit in humanitate Chriſti. III. In triduo mortis Chriſti Domini Verbum habebat ſibi unitam materiam abſque omni forma, quia ejus anima rationalis erat in lymbo, ergo poteſt per DEI potentiam materia prima exiſtere ſine omni forma.

31 *Ad primam* objectionem reſpondet S. Thom. [a] *quod accidens cùm ſit forma eſt actus quidam, materia autem ſecundùm id quod eſt, eſt ens in potentia: Vnde magis repugnat, eſſe in actu materia ſine forma, quàm accidens ſine ſubjecto.* Vtique quia materia ad nullam determinatam ſpeciem ſpectat, quam non niſi à forma habere poteſt; ſuſtentatio verò accidentis non pertinet ad ejus ſpecificationem, ſed ſolùm ad exercitium ponendi rem in eſſe, quod à Deo benè ſuppleri poteſt.

Ad ſecundam objectionem dicitur, verum eſſe Deum poſſe ſupplere effectum ſecundarium alicujus formæ, ſuppoſitô primariô, prout in exem-

[a] *1. p. q. 66. a. 1. ad 3 & quodl. 3. a. 1. ad 1.*

exemplo allato videre eſt, Deus enim non aſſumpſit ſolam materiam humanitatis ſed totam humanitatem per formam ſuam conſtitutam, cujus proinde ſubſiſtentiam & exiſtentiam ſubſtituendo ſuam propriam optimè ſupplere potuit.

Ad tertiam negatur Antec. uti enim docent Theologi [a] implicat à perſona divina aſſumi materiam primam denudatam omni forma, alias perſona divina deberet per ſeipſam ſupplere rationem cauſæ formalis dando ei eſſe ſpecificum, quod negat S. Th. [b] dicens, *Divinitas autem non habet vim vivificandi formaliter, ſed effectivè: non enim poteſt eſſe corporis forma.* Quare dicendum eſt, quod Verbum Divinum retinuerit ſibi unitam materiam & carnem humanam mediante forma cadaveris, quam ad tempus ob neceſſitatem materiæ per modum tranſeuntis aſſumpſit & in reſurrectione glorioſa iterum dimiſit.

[a] *3. p. q. 4. a. 1.* [b] *3. p. q. 50. a. 2. ad 3.*

Gerrola-

Digitized by Google

Corrolarium.

32 EX dictis in præſentibus reſolutionibus hujus §. aliqua minoris momenti notatu tamen digna colliguntur.

Primò. Materiam primam ſecundùm ſe & præciſè conſideratam ſine omni forma, nullam habere unitatem ſpecificam, vel numericam poſitivam; ſed ſolùm negativam, *dicitur enim una, non quia habet unam formam ſicut homo eſt unus, ab unitate unius formæ, ſed per remotionem omnium formarum*, S. Thom. * quia nimirum non includit in ſe principium aliquod unde plurificatio ſpecifica deſumitur, ſed potius negat & removet à ſe ejuſmodi principium, ut proinde ſolummodo unitatem negativam ſibi vendicet quæ conſiſtit in non repugnantia ut per formam fiat una poſitivè.

33 *Secundò* colligitur, quod quamvis tota materia ſublunaris una & eadem ſit (unitate videlicet potentiali) quatenus ſecundùm quamlibet ſuam portionem ut actum adæquatum reſpicit formam amiſſibiliter informantem: *non* tamen *eſt eadem materia corporis cæleſtis*

* 1. *p. q. 16. a. 7. ad 2.*

ſtis & elementorum, niſi ſecundùm analogiam, ſecundùm quod conveniunt in ratione potentiæ. S. Thom. [a] quia aliàs etiam corpora cœleſtia haberent materiam ſubjectam privationi, quam tamen forma cœleſtis ita perficit, quod nullô modô in ea remaneret potentia ad Eſſe, ſed ad Vbi tantùm. S. Thom. [b]

34 *Tertiò* tandem colligitur, Materiam primam ſecundùm ſe & ex proprijs meritis non poſſe imprimere in potentia cognoſcente ſpeciem impreſſam, *quia materia prima ſecundùm ſe neque eſſe habet, neque cognoſcibilis eſt.* [c] Et licet *habeat ideam in Deo, non tamen aliam ab idæa compoſiti.* [d] quare cognoſcitur ſemper in ordine ad aliud videlicet ad formam, ad quam eſſentialem dicit habitudinem.

Dices. Materia prima habet propriam ſpeciem expreſſam, quia ſecundùm ſuam naturam definibilis eſt, ergo etiam habebit propriam ſpeciem impreſſam.

Reſp. Negando conſeq. diſparitas eſt, quod ſpecies expreſſa producatur à potentia intellectiva, ſpeciés autem impreſſa ab objecto, & quia

[a] *1. p. q. 66. a. 2. in fine Corp.* [b] *Ex Ariſt. l. 1. de cœlo à tex. 20. uſque ad 32.* [c] *1. p. q. 15. a. 3. ad 3.* [d] *Ibid.*

quia in materia prima nulla eſt activitas per quam ejuſmodi ſpecies produci poſſit, inde fit, quod non detur propria ſpecies impreſſa reſpectu illius, bene tamen expreſſa propter perfectionem & fœcunditatem intellectus, qui non caret activitate.

§. 4.

De Forma, ſecundo Principio entis naturalis.

RESOLVTIO XIV.

Forma ſecundum principium entis naturalis eſt actus primus Materiæ primæ.

35 ALterum rerum nataralium principium eſt forma, ſic dicta quod formet & poliat nuditatem & deformitatem materiæ, & definitur quod ſit *actus primus materiæ primæ*, ubi ly *actus* obtinet rationem & locum generis, in quo convenit forma ſubſtantialis cum accidentalibus, quæ ſunt actus ſuorum ſubjectorum, differtque in eo à materia prima, quæ eſt pura potentia ut vidimus. *Primus* denotat

notat formam eſſe actum ſubſtantialem, in quo differt ab accidentalibus, ſicut enim ſubſtantia eſt prior accidentibus, ita actus omninò primus non poteſt non eſſe ſubſtantialis: diſtinguitur etiam forma per eandem particulam ab alijs actibus & terminis ſubſtantialibus ſubſiſtentia ſcilicet & exiſtentia, nam hi ſicut præſupponunt eſſe eſſentię, ita & actum primum ſcilicet formam, quæ ad ordinem Eſſentię pertinet, præſupponere debent: ultimæ particulæ *materiæ primæ* denotant, formam eſſe ens partiale incompletum ordinatum ad conſtituendum ſimul cum materia ſubſtantiale compoſitum, per quod differt à formis ſeparatis Deo ſcilicet & Angelis, qui ſunt actus ſubſtantiales completi intra genus ſubſtantię.

RESOLVSIO XV.

Formam educi de potentia materiæ eſt illam dependere à materia in Eſſe, fieri, & conſervari.

VT intelligatur quomodo naturaliter ex nihilo nihil fiat, explicare oporter, quid ſit formam aliquam educi ex potentia materiæ,

&

& quid ſit illam contineri in potentia materiæ?

Obſervandum eſt, quod contineri in potentia materiæ, ſicut & in potentia cauſę efficientis, non dicit aliquid actuale ex parte rei contentę, qua ratione aqua dicitur contineri in vaſe, quod enim hoc modo continetur in aliquo, jam actu eſt in illo, & non debet primùm inde educi: ſed contineri aliquid in potentia materiæ, eſt ſolùm contineri in illâ objectivè, non verò ſecundùm eſſe aliquod reale, & actuale, & dum ponitur in rerum natura dependet à materia in cujus potentia continebatur. Et hoc eſt quod docet S. Thom. [a] dicens *actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia.*

Dum ergo forma ita continetur in materia, ideò agens naturale intendens formam educere, præſupponit materiam jam ſub alia priori forma productam, quàm formam cum materia non derelinquat niſi prævijs quibuſdam diſpoſitionibus, & alterationibus tranſmutetur; hinc eſt quod illa eductio formæ ex potentia materiæ fieri nequeat, niſi præviâ aliquâ tranſmutatione, ad quam per ſe ſequitur forma il-

N la

[a] 1. *p. q. 90. a. 2. ad 2.*

la educenda, ut proinde neceſſarium ſit ante eductionem formę in materia præcedere privationem formę educendæ.

37 *Explicatur* tota res exemplô. Quando ex ligno debet generari ignis, tunc ignis præſupponitur in materia ligni, non ſecundùm aliquod eſſe actuale ſed ſolùm objectivè, ita ut dum forma ignis ponitur in rerum natura, illa neceſſario à materia ligni dependeat, quam tamen lignum non recipit, niſi prævijs diſpoſitionibus, calore ſcilicet & ſiccitate alteretur, & ad propriæ formæ derelictionem pręparetur, quâ recedente, immediatè forma ignis ſubſequitur, quæ tunc à materia ligni dependet in ſuo eſſe, fieri, & conſervari.

Hinc tres conditiones deducimus ad eductionem formę neceſſarias. *Prima* eſt, quod forma in ſuo eſſe & fieri dependeat à ſubjecto à quo educitur. *Secunda*, quod tale ſubjectum ſit connaturale & proportionatum tali formæ, & è contra forma illi; alioquin inde non poterit educi. *Tertia*, quod forma non veniat ab extrinſeco, ſed naſcatur ex ipſa materia & per ejus tranſmutationem fiat, quam conditionem inſinuat S. Thom. [a] inquiens *quod fieri forma-*

a *queſt, de Spiri. creat. a. 2. ad* 8.

formarum non ſubſiſtentium eſt ſecundùm quod materia vel ſubjectum reducitur de potentia in actum, & hoc eſt formam educi de potentia materiæ abſque additione alicujus extrinſeci.

RESOLVTIO XVI.

Forma cælorum & elementorum in prima ſui productione non ſunt educta de potentiâ materiæ, ſed ad creationem totius concreata.

38 ETſi hæc noſtra Reſolutio pluribus Recentioribus videatur ambigua, nobis tamen certa eſt & nota ex ipſa Sac. Script. in quâ [a] abſolutè aſſeritur, *In principio creavit Deus cælum & terram*: ſi autem Deus ſolam materiam creaſſet & formam inde eduxiſſet, allata verba abſolutè non verificarentur. Quod etiam convincit *ratio evidens*. Nam eductio eſt productio quædam tranſmutativa dicens ordinem ad duplicem cauſam ſcilicet ad efficientem à qua eſt, & ad materialem ex qua eſt, in quo per hunc ſecundum reſpectum differt à creatione quæ etſi dicat ordinem ad cauſam efficientem,

a Geneſ. 1. v. 1.

tem, neutiquam verô ad materialem, cum ſit productio totius entis ex nihilo, id eſt, ex nullo præſuppoſito ſubjecto, ſed formæ cœlorum & elementorum in prima ſui productione non dicunt ordinem ad cauſam materialem ex qua ſint, cum ſint ex nihilo, neque fiebant per tranſmutationem materię, ergo non ſunt eductę, ſed ad creationem totius concreatæ. Minor eſt S. Thom. a cum ait. *In prima corporalis creaturæ productione non conſideratur aliqua tranſmutatio de potentia in actum, & ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, ſunt immediatè à Deo productæ.*

39 *Dices*: Illæ formæ quæ dependent à materia in eſſe, fieri, & conſervari, educuntur ex potentia materiæ, ſed formæ cæleſtes, & elementorum dependent in fieri, eſſe, & conſervari à materia, ergo educuntur ex potentia materiæ. Minor conſtat; quia non poſſunt eſſe, nec operari, niſi dependenter à materia.

Reſp. Diſting. major. quę dependet in fieri à materia ex parte agentis tranſmutantis materiam, conc. quæ dependent à materia ex parte termini producti tantùm, negatur major; eodem modo diſtinguitur minor, & negatur conſequen-

a 1. *p. q.* 65. *a.* 4. *in fine Corp.*

ſequentia. Itaque non ſufficit ad eductionem formę ex materia, quod dependeat à materia ex parte termini producti, aliàs Deus non poſſet unum integrum corpus habens formam materialem creare, quia illa ſemper dependebit à materia ex parte termini producti. Requiritur ergo amplius, ut & ipſa actio eductiva dependeat à materia, atque per illam ex ipſis viſceribus materiæ extrahatur. Videnda ſunt quæ diximus ſupra. [a]

RESOLVTIO XVII.

Omnes formæ ſubſtantiales, quæ per generationem producuntur, exceptâ animâ rationali, educuntur ex potentia materiæ.

40 Reſolutio hæc facilè patere poteſt ex duabus anterioribus, ſiquidem omnes formæ ſubſtantiales, quæ per generationem producuntur (exceptâ animâ rationali quæ intra potentiam materiæ non continetur, neque ab ea dependet in eſſe, fieri, conſervari, & operari) habent omnes conditiones requiſitas ad

[a] §. prior. reſolut. 12. n. 26.

ad eductionem; In primis namque dependent à materia, quia ſunt materiales, nec ullam operationem extra materiam habere poſſunt, ut proinde materia ſit illis proportionata, quod eſt ſecunda conditio, & tertiò non veniunt ab extrinſeco, ſicut anima rationalis, ſed naſcuntur ex ipſa materia, & per hujus tranſmutationem fiunt, ergo omnes illæ educuntur ex potentiæ materiæ.

Objicies I. Anima rationalis habet operationes dependentes à materia, ut nutritionem, generationem &c. quæ extra materiam exerceri nequeunt, ergo & ipſa dependebit à materia. II. Anima rationalis eo modo producitur, quo anima leonis, videlicet ex vi actionis tranſmutantis materiam, ergo ſicut una anima leonis producit, & educit animam alterius leonis, idem erit dicendum de una anima rationali reſpectu alterius. III. Qui producit ultimam diſpoſitionem ad aliquam formam, producit formam ipſam, ſed homo generans producit ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem, ergo &c.

Reſp. Ad I. Quod ut probetur aliquam formam dependere à materia, oportet oſtendere quod omnis ejus operatio ab ea dependeat, & ideo

ideo licet anima rationalis ſecundum gradum vegetativum, & ſenſitivum exerceat operationes à materia dependentes, ipſa tamen ab ea non dependet.

Ad II. Dicitur quod licet una anima rationalis in perfectione & entitate non excedat alteram, datur tamen exceſſus in ratione effectus, eò quod modus producendi animam ſcilicet ex nihilo nulli creaturæ competere poſſit, ut videre eſt in Angelis, ubi Angelus ſuperior non poteſt producere Angelum inferiorem: leoni autem data eſt à natura virtus ſufficiens productiva reſpectu alterius, non tantùm quoad entitatem, ſed etiam quoad modum producendi.

Ad III. Diſting. major; qui producit ultimam diſpoſitionem ad hoc ut forma abſolutè ſit, & fiat, conceditur; ſi producat illam tantùm ad hoc ut uniatur, negatur: eodem modo diſtinguitur minor & negatur conſequentia.

42 *Objicies IV.* Contra alteram reſolutionis partem. Nihil formarum ſubſtantialium præexiſtit in materia, ergo non educuntur ex illa, ſed potius creantur. Antecedens conſtat ex dictis, probatur verò conſequentia. Illud creatur quod fit ex nihilo, ſed formæ illæ fierent ex ni-

hilo, ergo &c. *Reſp.* negando conſeq. ad probationem diſting. major. Illud creatur quod fit ex nihilo, hoc eſt ex non præſuppoſito ſubjecto concurrente in genere cauſę materialis; conceditur: quod fit ex nihilo ſui, ſeu rei quæ producitur, negatur major, eodem modo diſtinguitur minor, & negatur conſequentia.

43 *Inſtabis*. Quicquid non eſt actu, eſt nihil, ſed id quod præexiſtit in potentia materiæ non eſt actu, ergo erit nihil. *Reſp.* Quod licet formæ prout exiſtunt in potentia materiæ, in ſe ſint nihil, inde tamen non ſequitur, quod ex nihilo ſubjecti, ſeu materiæ ſint educendæ, uti contingit in creatione, ſed emergunt ex ipſa materia atque ex ejus tranſmutatione fiunt. *Inde* colligens etiam differentiam quæ eſt inter continentiam in principio activo, ex una, & paſſivo ex altera parte, quod effectus contentus ſolum in principio activo agentis, dicitur purum nihil in ſe, & ex nihilo producendus in illo genere, quæ continentia non repugnat creationi; quando verò continetur in principio paſſivo, ut in materia, non dicitur purum nihil objectivè, quia licet in ſe nihil ſit, eſt tamen ex aliquo producendus.

RESO-

RESOLVTIO XVIII.

Omnes formæ naturales accidentales quæ producuntur diſtinctâ actione ab eâ, quâ producitur ſubjectum, educuntur de potentiâ illius.

44 NOtanter addimus, *quæ producuntur diſtincta actione ab eâ quâ producitur ſubjectũ*, ſi enim ſermo ſit de formis accidentalibus connaturalibus ſuis ſubjectis. & quæ ab eorum eſſentia dimanant, quęque fiunt in eodem inſtanti cum ſubjecto; illę propriè non educuntur, ſed potius coeducuntur, ſi formæ eorum à quibus dimanant, educantur, uti eſt calor reſpectu formæ ignis; Vel etiam concreantur, ſi forma à qua dimanant creetur, uti eſt riſibilitas reſpectu animę rationalis. Ratio eſt, quia proprietates ex natura ſua petunt eâdem indiviſibili actione comproduci, quâ producuntur illorum ſubjecta, neque etiam naturaliter ſubjecta ſine illis produci poſſunt, ergo. *Quare* ſolum procedit noſtra reſolutio de formis accidentalibus, quæ diſtinctâ actione, & cauſalitate producuntur ab ea, quâ producitur ſub-

ſubjectum; & ratio eſt, quia omnes iſtæ formæ ſunt cum actione aliqua tranſmutativa ſubjecti, & dependens ab eo in ſuo eſſe, fieri, & conſervari, ergo inde educuntur.

RESOLVTIO XIX.

Forma quoque ſupernaturales accidentales, uti eſt gratia, & alij habitus infuſi, educuntur de potentia obedientiali animæ rationalis.

45 ETſi tractare de eductione & productione formarum ſupernaturalium potius ad Theologos ſpectet, quam ad Philoſophos, placet taman in præſenti ob connexionem materiæ nonnihil de ijs attingere. Supponimus itaque ex S. Th. [a] *Quod in tota creatura eſt quædam obedientialis potentia prout tota creatura obedit Deo ad ſuſcipiendum in ſe quicquid Deus voluerit.* Quam potentiam cũ etiam anima rationalis habeat, ideo aſſerimus gratiam, aliaſque virtutes ſupernaturales inde educi. *Quod ita probamus.* Nam forma quæ per ſe loquendo fit ex vi actionis tranſmutantis ſub-

[a] *q. 1. de Virt. in Com. a. 10. ad 13.*

ſubjectum, educitur de potentia ipſius, & ſi non poſſit inde educi niſi virtute agentis ſupernaturalis educitur de potentia ipſius obedientiali, ſed gratia habitualis fit per ſe loquendo ex vi actionis tranſmutantis ſubjectum, animam ſcilicet, & hæc tranſmutatio fieri non poteſt niſi virtute Dei ut agentis ſupernaturalis, ergo gratia habitualis educitur ex potentia obedientiali animę. Major eſt clara ex jam dictis, *minor verò probatur*, in primis quoad primam partem. Nam gratia eſt forma quædam accidentalis pendens tam in fieri, quam in ſuo eſſe à ſubjecto, debet proinde fieri ex vi actionis tranſmutantis ſubjectum. Secundam partem docet S. Thom. [a] his verbis. *Alio modo aliquid eſt in potentia in anima, quod non eſt natum educi in actum, niſi per virtutem divinam & ſic ſunt in potentia in anima virtutes infuſæ.* Eſt autem eadem ratio de gratia, atque de virtutibus infuſis.

46 *Sed ais.* Sacras paginas ſæpe ſępius aſſerere, gratiam & virtutes ſupernaturales creari, ut, *Cor mundum crea in me Deus.* [b] Et iterum dicitur de juſtis, *creati in operibus bonis.* [c] Ergo gratia & virtutes ſupernaturales non educuntur

[a] *loc. cit.* [b] *Pſal. 50.* [c] *Eph. 2.*

tur ex potentia obedientiali animæ. *Reſp.* Abſolutè negando gratiam creari, ſed impropriè. Nam iuxta S. Thom. [a] de facto humanitas Chriſti & Sacramenta novæ legis concurrunt inſtrumentaliter ad productionem gratiæ, ergo non creatur. Hinc ad loca ex Sac. Scriptura adducta facilè liquet reſponſio, dicuntur enim juſti creari, quatenus per gratiam evehuntur ad novam dignitatem filiorum Dei, ſicut dicuntur creari Epiſcopi & Cardinales, quando ad tales dignitates evehuntur, ſicque creatio æquivocè ſumitur. Vel ſecundo dicitur cum S. Thom. [b] quod *gratia dicitur creari ex eo, quod homines ſecundùm ipſam creantur, id eſt, in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt, non ex meritis, ſecundum illud,* [c] *creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Sed de hoc ampliorem ſermonem Theologis relinquimus, ad eoſque lectorem remittimus.

a *3. p. q. 3. a. 2. & q. 62. a. 3.* b S. D. *1. p. q. 45. a. 1. ad 1.* c *1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.*

§.V.

§. 5.

De tertio principio entis naturalis, nempe de Privatione.

RESOLVTIO XX.

Privatio tertium principium entis naturalis (intellige in fieri) eſt carentia formæ naturalis in ſubjecto apto nato habere illam.

47 NOmine *carentiæ* denotatur, quod privatio formaliter ſit non ens, in quo convenit cum Negatione; differt tamen ab ea, quia negatio dicit carentiam formæ ſine capacitate ad illam, ſicut lapis dicitur habere negationem viſus, non privationem; animal autem cæcum dicitur habere privationem, *ſi* tamen ſecundum rationem & naturam ſpecificam ſit capax formæ privatę; nam ſi ſolum ſit capax formæ ratione naturæ genericæ, ſicut talpa eſt capax viſus; non dicitur in rigore habere privationem illius formę. Deinde nomine *formæ naturalis*, denotatur, quod privatio, quæ eſt prin-

principium entis naturalis, non ſit carentia cujuſlibet formæ, ſed tantum phyſicæ, & naturalis; in quo differt à privatione formæ artificialis vel ſupernaturalis, quę phyſica privatio cenſenda non eſt. Per ultima verba, præterquam quod ſignificetur differentia privationis à negatione, etiam denotatur materiam quantumvis formæ omnis expertem, privationem tamen non eſſe, quia non eſt carentia entis, ſed eſt ens, & aliquid, neque poteſt eſſe in ſubjecto, cum ſit primum ſubjectum.

48 *Si autem petatur.* Num privatio ſit ens reale, an verò ens rationis? *Diſtinguendum erit,* Vel enim conſideratur ſecundum rationem ſuam eſſentialem, quatenus removet formam realem à ſubjecto; ſic indubiè eſt ante operationem intellectus, ut cæcitas, ſurditas &c. de quibus nullus negabit quod ſint in rerum natura, etiamſi à nullo intellectu intelligantur: Vel conſideratur, quatenus per modum formæ poſitivæ, & inhærentis rebus in prædicatione attribuitur, ut cum prædicamus hominem cæcum, ſurdum &c. ſic formaliter eſt aliquid rationis, quia cæcitatem non prædicamus per modum alicujus negationis, ſed potius per modum formæ, quam habere dicimus.

Neque

Neque obſtat privationem eſſe ens rationis, aut ens negativum, quo minus illa poſſit eſſe, & ſit principium per ſe generationis, ſeu entis naturalis in fieri. *Ratio eſt*, quia terminus à quo incipit mutatio, eſt principium per ſe illius mutationis, quandoquidem mutatio, quæ eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, ſine utroque termino conceptibilis non eſt, ſed privatio eſt terminus à quo generationis, quæ eſt ſubſtantialis mutatio. Ergo eſt principium per ſe illius.

Minor probatur, quia per adventum formæ privatio excluditur, ut dum ex ligno generatur ignis, privatio ignis quæ inerat ligno, per receptionem formæ ignis excluditur, quod proprium eſt terminorum ad quos in quacunque mutatione, ut excludant terminos à quibus, ut etiam patet in ipſa creatione, cujus terminus à quo eſt nihil, quod deinde par terminum ad quem, id eſt, ipſam creaturam excluditur.

§. 6.

§. 6.

De Compoſito ſubſtantiali.

RESOLVTIO XXI.

Totum Phyſicum intrinſecè & eſſentialiter componitur ex materia & forma tanquam ex duabus partibus eſſentialibus, quarum quælibet ſi abſit ſtatim ipſum evaneſcit.

49 . HÆc noſtrâ reſolutio infallibilem ſuam certitudinem trahit ex ipſo Dominicæ Incarnationis myſterio, de quo fide credimus, Verbum Divinum non aſſumpſiſſe ſolùm animam rationalem, ſed etiam corpus ex B. Virgine, unde integra, & totalis natura humana coaleſcit; ſi autem in ſolâ formâ, eſſentia & quidditas entis phyſici, & naturalis ſalvaretur, ut quidam antiquiores opinati ſunt, putantes materiam eſſe ſolùm de ratione totius, ut quid connotatum extrinſecè; jam ſequeretur Verbum Divinum plus aſſumpſiſſe, quam naturam humanam, imò quod Chriſtus

in

in triduo ſepulturæ manſiſſet homo, & nunquam mortuus fuiſſet; quia ejus anima rationalis non fuit dimiſſa à Verbo, neque periijt, quod eſt abſurdum, & contra fidem: ideoque dicendum eſt, quod tam materia, quam forma ſit de eſſentia totius phyſici ſubſtantialis, quandoquidem totum non poteſt intelligi ſine formâ, nec ſine materiâ; quod & S. Auguſtinus [a] confirmat dicens: *homo non eſt anima ſolum, neque corpus ſolùm, ſed ex utroque compoſitum.*

50 *Obijcies I.* Illud quo poſito ponitur, & quo ablato auffertur quidditas rei, eſt tota eſſentia rei, ſed poſitâ formâ ponitur, & ablatâ formâ auffertur quidditas entis naturalis, ut ablatâ animâ rationali auffertur homo, ergo ſola forma conſtituit totum. *II.* Illud quod eſt de eſſentia alicujus rei, eſt immutabile, ſemper fixum & permanens, ſed materia in toto compoſito, v. g. Petro non eſt talis, quia vi, & actione caloris naturalis deperditur & conſumitur; ergo illa non eſt de eſſentia illius.

Reſp. Ad 1. conceſsâ majori, diſting. minor. poſitâ formâ totius ponitur quidditas entis naturalis, conced. poſitâ formâ partis, negatur

O minor;

a *de Civ. D.* [illegible]

minor; non enim poſitâ animâ rationali ponitur totum compoſitum humanum, benè tamen poſitâ humanitate, quæ eſt forma totius. Et quamvis materia ſecundum ſe nequeat eſſe principium aliquod diſtinctivum, efficitur tamen tale prout eſt informata aliquâ formâ, adeo quod in obliquo & ex connotato hoc ei competat, ſicut parieti albo ex connotato competit diſgregare viſum.

51 *Ad 2. dicitur*, quod materia in Petro v. g. entitativè, & materialiter accepta, non maneat ſemper fixa, & ſtabilis in eò, manet tamen eadem formaliter, quia manet ſub eodem ordine, ſub eadem habitudine, & diſpoſitione, puta figurâ, continuitate & ſucceſſione ad præexiſtentem: ſicut *ſi combuſto uno ligno aliud ſubſtituatur, & ſic deinceps, quouſque omnia prima conſumantur, ſemper remanet idem ignis numero, quia ſemper quod additur, tranſit in praexiſtens.* S. Thom. a Ad quem modum fluvius etiam dicitur unus numero, etſi non ſemper adſit eadem aqua materialiter, & entitativè accepta.

Inſtabis contra. Si materia eſſet de eſſentia alicujus ſingularis individui, poſſet continge- re,

a. p. q. 119. a. 1. ad 5.

re, quod in ultima, & generali reſurrectione idem numero homo à mortuis non reſurgeret, in caſu quo ejus carnes ab alio homine fuiſſent devoratæ, & in ejus ſubſtantiam converſæ, uti apud Indos quondam mos erat. Ergo materia non eſt de eſſentia alicujus individui ſingularis.

Reſp. Quod in tali caſu caro illa tribuetur illi qui primum jus ad eam habet, Indus verò recuperabit alias partes materiæ, vel ex ijs, quas per nutritionem propriam illud individuum acquiſivit, vel quæ per calorem naturalem ſunt deperditæ: *vel ſi nullo cibo Vnquam paſtus fuiſſet, niſi carnibus humanis, divinâ virtute aliunde ſuppleretur, quantum indigerêtur ad perfectionem quantitatis, ſicut etiam ſupplet in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt. Nec per hoc aliquid præjudicatur identitati in numero; ſicut nec præjudicatur per hoc, quod partes ſecundùm materiam fluunt & refluunt*, S. Thom. a

a *In Supl. q. 80. a. 4. ad 3.*

RESOLVTIO XXII.

Materia & forma uniuntur inter ſe ſuis proprijs entitatibus, ita ut non intercedat nexus aliquis, vel modus unionis realiter, aut modaliter diſtinctus à partibus unitis.

191 NOn exigua pugna eſt inter Philoſophos hoc tempore, unianturnè materia, & forma ſeipſis immediatè, abſque interventu alicujus nexus, aut vinculi ab iis realiter, vel modaliter diſtincti; an verò ejuſmodi nexu, & vinculo diſtincto veluti glutino indigeant, quo materia, & forma formaliter inter ſe uniantur.

Nobis ſententia affirmativa, quam quidem plurimi defendere conantur, minimè placet, neque placere poteſt, utpote expreſsè contra S. Th. [a] ita formaliter docentem. *Forma per ſeipſam facit rem eſſe in actu, cum per eſſentiam ſuam ſit actus: nec dat eſſe per aliquod medium: Vnde unitas rei compoſitæ ex materia & forma eſt per ipſam formam, quæ ſecundum ſeipſam unitur materiæ ut*

actus

[a] 1. p. q. 76. a. 7. in C.

Digitized by Google

actus ejus. Nec eſt aliquid aliud uniens niſi agens, quod facit materiam eſſe in actu. Quibus verbis S.D. ut patet, nullius medij ſeu vinculi intervenientis mentionem facit, neque aliam cauſam adducit, quâ ex materia, & forma fiat unum, niſi agentem quæ matariæ formam communicat. Vnde & merito nos vinculum iſtud tanquam minus neceſſarium, imò ſuperfluum & inutile ad uniendnm materiam cum forma reijcimus, ducti ſequentibus rationibus.

53 *I.* Materia, & forma ſeipſis, ſuiſmet proprijs entitatibus ſunt inter ſe unibiles, ergo non indigent aliquo nexu ſeu vinculo medio, quo uniantur. Conſequentia patet, probatur verò antecedens *primò.* Nam unio non conſtituit extrema unibilia, ſed ſupponit ea unibilia. *Secundò*; forma per ſeipſam intrinſecè, & eſſentialiter, eſt actus incompletus immediatè reſpiciens materiam, & materia per ſe ipſam intrinſecè, & eſſentialiter eſt potentia immediatè reſpiciens actum primum cum quo componat totum; ergo ſeipſis, & non per aliquid ſuperadditum habent totum fundamentum & capacitatem intimæ communicabilitatis, ut poſſint inter ſe uniri. *Con-*

firmatur. Nam eâ ratione inter ſe uniuntur forma & materia, quâ ratione ſunt ſubſtantialis actus, & potentia, ſed forma ſeipſa eſt ſubſtantialis actus, & ſimiliter materia ſeipsâ eſt ſubſtantialis potentia, & non per aliquid ſuperadditum; ergo etiam ſeipſis immediate uniuntur.

54 *Dices*. Verum eſſe formam ſeipsâ eſſe actum, & ſimiliter materiam ſeipsâ eſſe potentiam, non tamen eſſe de eſſentia ſive formę, ſive materiæ, ut actu ſint unitæ, ſed hoc ei accidere. Ergo ut actu, & formaliter ſint unitæ, neceſſarium eſt eis aliquid ſuperaddi per modum nexus, quo formaliter uniantur.

Reſp. Admittendo quod unio in materia, & forma ſit illis contingens, & extra conceptum earum, quod defacto uniantur; hoc tamen non obſtat, quo minus immediatè, & ſeipſis uniantur: & licet ipſis debeat aliquid ſuperaddi per modum actionis, & paſſionis, aut applicationis extremorum, facientis ea indiſtantia, ex quo deinde etiam reſultat relatio unitorum, ad activam, & paſſivam extremorum unitionem conſecuta, nullatenus tamen ſuperadditur ijs aliquid per modū nexus, ſeu vinculi reducentis extrema ad unitatem.

I I. Ille modus & nexus, aut eſt ſubſtantia aut accidens ; hoc ſecundum non poteſt dici, quia accidentia ſequuntur poſt exiſtentiam, exiſtentia poſt informationem, & informatio poſt unitionem: Neque poteſt dici primum, quia tunc, vel eſt terminus, vel actus ſubſtantialis ; non terminus, quia nec eſt exiſtentia, nec ſubſiſtentia. Nec eſt actus ſubſtantialis, quia materia ante formam ſubſtantialem nullum actum habet. Ergo cum nihil horum ſit, nullâ ratione admittendus erit iſte modus unionis.

55. *I I I.* Iſta entitas modalis ab alijs materiæ & formæ ſuperaddita, intricatas & inexplicabiles ſecum adfert difficultates, v. g. *An hac entitas ſit una, aut multiplex? an in homine ſit ſpiritualis vel materialis? an ſubjectetur in uno, vel utroque extremo? &c.* Et plures alias, quas hic brevitati ſtudentes omittimus, poteris tamen eas videre in Theſibus, *de neceſſitate non multiplicandi perperam entia.* Dilingæ impreſſis, Anno 1652. Menſe Iunio, quas Præſes earum R. P. Guilielmus à VVolckenſtain ad longum deducit & diligenter enucleat, aliaſque rationes pro hac noſtra ſententia ſtabilienda proponit, atque ab

adverſariorum telis defendit. Ergo ejuſmodi entitas modalis inter materiam, & formam tanquam ſuperflua, & inutilis penitus reijcienda, eſt, non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, quomodo oppoſitum tenentes ſine cauſa faciunt.

56 *Obijcies.* Exiſtente entitate materię & formę, quandoque exiſtit unio inter illas, quandoque verò non exiſtit, ut unio animæ rationalis, cum materia D. Petri modo non exiſtit; ergo unio diſtinguitur realiter à materia, & forma.

Reſp. Diſting. antec. exiſtente entitate materiæ, & formæ cum omnibus connotatis, neg. ſi non adſint omnia connotata, conc. antec. & neg. conſ. quia materia & forma non dicuntur unita per receptionem alicujus intrinſeci ab ipſis diſtincti, ſed per puram connotationem alicujus extrinſeci, quod cõnotatum eſt ſola actio agentis ab extrinſeco adveniens copulans, & uniens entitatem materiæ, & formæ, quâ poſitâ, mutuas ſuas cauſalitates exercent per ſeipſas, forma videlicet materiam informando, materia autem formam recipiendo, quas cauſalitates prius non exercebant. *Nec obſtat,* quod materia & forma poſt unionem aliter ſe habeant, ac ante unionem: hæc enim immutatio non

non provenit à modo unionis, ſed oritur inprimis ab actione unitiva utrinque, ideſt in utroque extremo recepta ab agente. *Secundò* à connotatione reciproca, quatenus poſt unionem, forma intrinſecè immerſa eſt materię, & è contra. *Tertiò*, ab exercitio cauſalitatis tam materialis, quam formalis. *Et denique quartò*, à relatione unionis, quà formaliter unitæ dicuntur cujus relationis fundamentum eſt ipſa materia ut unita formæ, præſuppoſita tamen actione unientis, quâ tractę ſunt ad mutuam communicationem.

RESOLVTIO XXXIII.

Totum Phyſicum ſubſtantiale non diſtinguitur realiter tanquam res à re à ſuis partibus ſimul ſumptis, & intellectis cum unione, ſed eſt ſuæ partes ſimul ſumptę.

57 COnſultò addimus (*à partibus ſimul ſumptis*) quia certum eſt apud omnes, totum, ſive compoſitum ſubſtantiale realiter diſtingui à ſuis partibus diſtributivè, & ſeorſim acceptis, v. g. homo à materia, quia pręter materiam includit etiam animam rationalem,

nalem, quare comparamus partes ſimul ſumptas, & unitas ad totum, non quatenus ſubſiſtens eſt, ſed quatenus preciſè ſignificat naturam totalem, dicimuſque totum non adferre tertiam quandam entitatem ex partibus ſimul ſumptis reſultantem, ſed eſſe ipſam materiam, & formam unitas. Et ita expreſſe docet S. Thom. [a] inquiens. *De humanitate non eſt intelligendum, quod ſit quædam forma conſurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quaſi realiter, ſit alia ab utraque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia entitas formam conſequens, non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.* Ex quibus verbis talis formatur ratio, Si totum diſtingueretur realiter à partibus ſimul ſumptis tanquam tertia quædam entitas ſeu forma ex illis reſultans, ſequeretur quod non eſſet aliquid ſubſtantiale, ſed accidentale; ſed hoc non eſt afferendum, ergo. *Prob. ſequela.* Nam in tali caſu totum adveniret enti jam conſtituto in actu, videlicet materiæ, & formæ unitis; forma enim eo ipſo quod unitur materiæ, conſtituit eam in actu, ſed quicquid advenit enti jam conſtituto in actu, non conſtituit unum per ſe, quale debet eſſe ſubſtantia, ſed

[a] *3. contra Gent. c.* 81. *ad* 2.

Digitized by Google

ſed conſtituit ens per accidens. Ergo tunc totum non eſſet per ſe. *Accedit* quod talis entitas ſine partibus neque eſſe, neque intelligi poſſit, quod manifeſtum ſignum eſt, eam non eſſe quid realiter diſtinctum à partibus unitis.

58. *Relinquitur* ergo, quod totum ſolummodo diſtinguatur à partibus unitis & intellectis cum unione, diſtinctione rationis ratiocinatæ, penes explicitum & implicitum, quatenus partes ſimul ſumptæ magis clarè & explicitè dicunt eſſentiam totius, quę in toto implicitè continetur, ſicut animal rationale differt ab homine, quia magis clarè & explicitè dicit id, quod definitum implicitè continet.

Quod ſi prætendas, omnem cauſam debere realiter diſtingui à ſuo effectu & è contra, materia autem & forma unitæ ſint cauſa totius, igitur debebit inter materiam, & formam ex una, & totum ex altera parte, intercedere aliqua diſtinctio realis. *Reſp.* Majorem ſolùm veram eſſe de cauſis extrinſecis, non verò de intrinſecis, quæ cauſant non per emiſſionem alterius entitatis à ſe, ſed per communicationem ſui in entitate quam conſtituunt, quomodo etiam prædicata eſſentialia dicuntur conſtituere quidditatem; & ſimiliter albedo dici-

tur

tur cauſa formalis parietis, quatenus ipſum intrinſecè perficit propriam entitatem illi communicando, & paries dicitur cauſa materialis albedinîs, quatenus illam recipiendo propriam entitatem illi intrinſecè ſubſtituit.

Si autem urgeas, & diſtinctionem realem etiam inter cauſas intrinſecas earumque effectum qui eſt ipſum totum, ponere velis; *Tunc dicendum eſt*, id etiam admitti poſſe, dum modò una ſumatur in recto, & altera in obliquo, nam ſi utraque ſumatur in recto; dicendo forma, & materia unitæ, tunc nulla cauſalitas illarum formaliter explicatur, nec ſunt conſtitutivæ totius, ſed potius ipſum totum conſtitutum: at verò unâ ſumpta in recto, & alterâ in obliquo, dicendo. forma informando materiam cauſat totum, & materia recipiendo formam cauſat totum. verè explicantur cauſalitates illarum reſpectu totius, ſicque admittere poſſumus diſtinctionem aliquam realem, quod non eſt contra nos, qui loquimur de partibus unitis, & intellectis cum unione.

LIBER

LIBER SECVNDVS.
DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 7.

De Natura, & Arte.

RESOLVTIO XXIV.

Natura accepta pro princip'o, ſive. activo, ſive paſſivo motus eſſentialiter ſic definitur ab Ariſt. a Eſt principium, & cauſa motus &, quietis ejus in quo eſt primò & per ſe & non ſecundum accidens.

60 NOmen naturæ varias ac multiplices acceptiones ſortitur. Aliquando enim ſumitur pro univerſitate rerũ creatarum; Aliquando pro ipſa origine totius naturę, Deo ſcilicet; Aliquando pro nativitate ſeu generatione; Aliquando verò pro quidditate, ſeu eſſentia.

a *lib. 2. t. 3.*

Digitized by Google

ſentia. Sed omnibus iſtis acceptionibus relictis ad præſens propoſitum ſumitur pro principiò intrinſeco cujuſlibet motus; Sive illud ſit activum, ut formæ viventium; Sive paſſivum, ut materia, & formæ non viventium, eique ſic acceptę data definitio optimè congruit, ita ut dicatur principium, & cauſa motus & quietis, non collectivè, *quaſi in quolibet quod movetur naturaliter, natura ſit etiam principium quieſcendi, quia corpus caleſte naturaliter movetur, ſed non naturaliter quieſcit.* [a] Sed diſtributivê, diſtributione accommodâ, ita quod in aliquibus ſit principium motus, in alijs verò quietis, ad eum modũ quo anima definitur ab Ariſt. [b] *Eſſe principium quo vivimus, ſentimus, movemur & intelligimus*; non quod omnis anima cauſet prædictos effectus, ſed quod omnes illæ operationes, ubicunque reperiuntur ſive collectivè, ſive diviſivè, producuntur ab anima tanquam à principio proprio. Ly *ejus in quo eſt*, deſignat naturam eſſe principium motus interni in eo, in quo eſt ipſa natura, per quod excluduntur à ratione naturæ principia extrinſecâ, motus efficientia, ut Angeli & artificialia. Ly *primò* appellat ſuper principium & cauſam, facitque ſen-

[a] S. Th. hic lect. 1. [b] l. 2. de anima.

ſenſum, naturam eſſe principium primum, hoc eſt radicale motus, ut excludantur formæ accidentales, ut gravitas in lapide. Denique ly *per ſe, & non ſecundum accidens.* denotat, quod natura debeat eſſe cauſa motus ex principijs connaturalibus, & non ex accidenti extrinſeco, quâ ratione etiam medico convenit curare ſeipſum, non à natura, ſed ab arte.

RESOLVTIO XXV.

Materiæ prima, & ſimiliter omnibus formis ſubſtantialibus, tam completis, quam incompletis, etiam ipſi animæ rationali, ſecundum ultimum gradum rationalitatis convenit eſſe naturam.

61 MAteriæ, ſicut & formæ competere definitionem naturę docet Ariſt. [a] dividens naturam in materiam & formam. Quod etiam D. Thom. [b] fatetur hoc diſcurſu. *Naturalis Philoſophus debet conſiderare de natura, ſed natura eſt tam forma quam materia, ergo debet tam de materia, quam de forma conſiderare.*

[a] *Tex.* 4. & 7. [b] *lect.* 4. *in princ.*

derare. Quod etiam ratione comprobatur. Nam materia prima eſt radix, & principium recipiendi motum in ipſo compoſito; niſi enim ex materia conſtaret, ſenſibilem motum neutiquam in ſe reciperet: & ſimiliter forma eſt principium primum, & cauſa motus, & quietis naturalis in illo ente quod conſtituit, anima enim vegetativa eſt cauſa nutritionis, & accretionis; Anima ſenſitiva eſt cauſa motus progreſſivi, & omnium ſenſationum, Anima verò rationalis qua talis eſt principium & cauſa admirationis, fletus, riſus, locutionis &c. ut proinde etiam S. Thom. [a] aſſerat, quod *uſque ad animum rationalem ſeſe extendat conſideratio naturalis, quæ eſt de formis*: & denique formæ inanimatorum, ut formæ ignis, & lapidis ſunt principium, & cauſa motus ſurſum, & deorſum, ergo omnibus prædictis competit ratio naturæ.

62 *Major* poſſet eſſe difficultas de forma totali, ſeu completa, an eidem etiam conveniat allata Naturę definitio. *Ratio* dubitandi eſt, quia id quod eſt natura, debet eſſe principium *quo* non qualitercunque, ſed principium *quo* ſimpliciter primum, ſed forma totalis

[a] *lect.* 4. *in fine.*

talis v. g. humanitas non eſt tale principium, ſed potius principiatum, ut proinde etiam S. Thom. [a] aſſerit, quod *compoſitum ex materia & forma non eſt ipſa natura, ſed aliquid à natura: quia natura habet rationem principij, compoſitum, habet rationem principiati. Ergo formæ totali non competit eſſe naturam.*

63 Verum hoc non obſtante aſſerimus etiam formæ totali competere naturæ definitionem. Ita enim expreſsè docet S. Thom. [b] his verbis inquiens. *Non ſolum forma partis dicitur natura, ſed ſpecies ipſa quæ eſt forma totius, ut ſi dicamus, quod hominis natura non ſolum eſt anima, ſed humanitas & ſubſtantia quam ſignificat definitio.* Idipſum docet in præſenti libro, [c] dum ait. *Natura quæ eſt forma dupliciter dicitur, ſcilicet de forma incompleta & forma completa.* Quid apertius pro noſtra ſententia dici poſſit, non apparet. *Accedit etiam ratio.* Nam humanitas aſſumpta à Verbo Divino verè eſt principium *quo* plurimarum operationum, & motuum, qui media humanitate Verbo Divino conveniunt, ſed illa eſt forma completa, & totalis, ergo competit formæ

a *lect. 2. hujus lib.* b *5. Metaph. lect. 5.* c *lect. 2. in fine.*

mæ completæ eſſe naturam.

Ad rationem in oppoſitum adductam *Reſp.* de ratione naturæ non eſſe, quod ſit primum principium partiale, & per modum primi elementi ipſius motus, ſed ſufficere, quod ſit primum ſubſtantiale ſeu radicale principium, prout opponitur accidentali, ſeu inſtrumentali, quod cum etiam conveniat formæ totali & completæ, & ipſa natura erit. Dum verò S. Thom. ait, *compoſitum ex materia & forma non eſt ipſa natura*, ſumit ibidem compoſitum pro ſuppoſito ſubſiſtente in concreto, ut conſtat ab exemplo quod adducit, dicit enim. *Compoſitum ex materia & forma ut homo &c.* & de hoc loquendo libenter fatemur cum Ariſtot. [a] *quod compoſitum natura quidem non eſt, ſed eſt & conſtat natura, ut homo*, utique quia ut ſic eſt principium *Quod*, non *Quo*, operationum & motuum.

a. *in hoc lib. tex. 12.*

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO XXVI.

Ars imitatrix naturæ, ſive ſumatur activè pro habitu intellectuali; ſive paſſivè, pro effectu ipſo artificioſo ad extra producto, nequit ex vi ſuæ formæ efficere opera naturæ.

64 COlligitur ex Ariſtot. in præſenti libro & D. Thom. [a] in nullo alio differre naturam ab arte, niſi quia natura eſt principium intrinſecum, & ars extrinſecum. *Et probatur ratione.* Nam natura verè cauſat motum, vel effectivè in illum influendo, vel ſubjectivè recipiendo; ſed forma artificialis, ſive ſumatur activè pro habitu in intellectu reſidente, ſive paſſivè pro ipſa forma artificiali ad extra, nequit eſſe principium, ſive effectivum, ſive ſubjectivum motus; ergo nequit etiam efficere opera naturæ. Minor prob. Nam ars ſaltandi v. g. non efficit motum ſaltationi, ſed ſolum dirigit pedes, quomodo ſecundum artem moveri debeant, motus autem ipſe efficitur ab anima tanquam à principio vitali. Ergo. P 2 Eſt

[a] *lect. 1.*

Eſt autem obſervandum, motum ſaltandi v. g. ſicut & quemlibet alium artificialem, dupliciter conſiderari poſſe, primò quoad ſubſtantiam, quatenus eſt motus quidam vitalis procedens à principio vitali, ſicque ab arte effici non poteſt: *Secundò* conſiderari poteſt, quoad modum eidem ſuperadditum, qui eſt taliter vel taliter movere pedes, & ſecundum hunc modum libenter admittimus motum procedere poſſe, & de facto procedere ab arte, non effectivè, ſed directivè.

65 Inde tamen non negamus quin ars producere poſſit plurima opera naturæ applicando naturalia activa naturalibus paſſivis: *quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendos veros & naturales effectus.* S. Thom. [a] quo in caſu effectus illi producti reducuntur in artem velut in conditionem ſine qua Non, ſicut cum per virtutes naturales herbarum, & lapidum humanis corporibus arte medicinæ applicatas producitur ſanitas, quæ eſt forma naturalis; tunc hæc forma reducitur tanquam in propriam cauſam in herbas & lapides, in artem autem medicinæ non niſi in cauſam applicantem ut conditionem ſine qua non.

Nec

[a] *22. q. 77. a. 2. ad 1.*

Nec propterea inferas per artem Alchimiſticam poſſe produci verum & phyſicum aurum, quia *ſunt quædam formæ ſubſtantiales, quas nullo modo poteſt ars inducere, quia propria activa & paſſiva invenire non poteſt, ſed in his poteſt aliquid ſimile fieri, ſicut Alchimiſtæ faciunt aliquid ſimile auro, quantum ad accidentia exteriora, ſed tamen non faciunt verum aurum, quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo utuntur Alchimiſtæ, ſed per calorem ſolis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis*, S. Th. [a]

§. 8.

De Cauſis in Communi.

RESOLVTIO XXVII.

Optima eſt definitio cauſæ in communi quam tradit S. Thom.* [b] *dicens, Cauſa eſt id ad cujus eſſe aliud ſequitur.

66 EXplicatur definitio. Prima particula, *id*, ſubintellige principium ponitur loco generis, omnis enim cauſa eſt principium

[a] *in 2. d. 7. q. 3. a. 1. ad 5.* [b] *opus 31. & 2. Phyſ. l. 10.*

cipium, ſed non è converſo. Ly, *ad cujus eſſe*, ſignificat omnem cauſam debere habere aliquod eſſe, cum enim tribuat eſſe effectui, illud prçhabere debet vel à parte rei, vel in intentione, ut etiam cauſa finalis ſub hac definitione comprehendatur, quæ movet ut apprehenſa. Ly, *aliud*, denotat effectum debere eſſe diverſum à ſua cauſa non ſolum in ſuppoſito, ſed etiam in eſſentia & natura ſive numero ſive ſpecie. Ly, *ſequitur*, denotat, quod effectus debçat ſequi ad cauſam cõſecutione phyſicâ cum reali derivatione, & dependentia cauſati à cauſa, & non ſolum conſecutione logicâ, ſicut concluſio ſolet ſequi ex prçmiſſis, *hoc enim nomen cauſæ importat influxum quendam, intellige phyſicum ad eſſe cauſati.* S. Th. [a] Vnde per hoc differt à cauſa in cognoſcendo, quç etiam vocari ſolet cauſa dialectica, vel logica, ut dum cognoſcimus cauſam per ſuum effectum rationale v. g. per riſibile. Sic ergo explicata definitio cauſæ, verè convenit cum ea quam tradunt alij, videlicet: *Cauſa eſt principium alicujus per modum influxus ſeu derivationis, ex qua natum eſt conſequi aliquid ſecundum dependentiam in eſſe.*

RESO-

a 5. *Metaph. lect. 1.*

RESOLVTIO XXVIII.

Omnis cauſa formaliter ſumpta in ratione cauſæ aliqua prioritate eſt prior & etiam nobilior ſuo effectu.

67 DVplex quantum ad præſens attinet eſt prioritas, una *In quo*, & alia, *à quo*. Illa conſiſtit in eò, quod res quæ eſt prior alterâ verè in illo priori præſupponatur, & ſit ſine illa: hæc verò (quæ etiam prioritas cauſalitatis & dependentiæ nuncupari ſolet) in eo conſiſtit, quod una res ab alia dependeat, ſicut proprietates ab eſſentia, etſi ſimul in eodem inſtāti reali reperiantur, unde hæc prioritas non eſt prioritas in exiſtendo, ſed cauſalitatis & dependentiæ, ad quam ſufficit, ut unum dependeat ab alio, illud verò ab hoc ſit independens.

Quare juxta hanc doctrinam aſſerimus, omnem cauſam eſſe priorem ſuo effectu, aliquando quidem tempore, ut cum eſt in actu primo ſolùm cauſans, quâ ratione, pater, ut homo, prior eſt ſuo filio: Aliquando verò naturâ, ut dum eſt in actu ſecundo cauſans, ſic enim eſt ſimul tempore cum effectu, & præcedit ſolum

prioritate naturæ, quæ eſt prioritas independentię; effectus autem poſterioritate naturę eſt poſterior, quatenus in eodem inſtanti à cauſa ſit dependens. *Cauſam* verò quâ talem ſemper eſſe nobiliorem ſuo effectu, ex eodem principio probatur, quia illa eſt ſemper independens ab effectu, hic vero quâ talis dependens & contentus intra virtutem cauſæ, etſi nonnunquam effectus entitativè ſpectatus in perfectione excedere poſſit ſuam cauſam, ſicut filius oculatus patrem cæcum excedit.

RESOLVTIO XXIX.

Genus cauſa eſt quadruplex, ſcilicet, finalis, formalis, efficiens & materialis, S. Thom. a

68 QVaternarium numerum cauſarum inde deducere, liquet. Nam cum entia naturalia non fiant ex nihilo, neceſſe eſt quod fiant ex materia, cum porrò materia non ſit totum compoſitum, ſed tantùm una pars, debebit habere aliam compartem, quę eſt forma, atqui hę duę partes non uniunt ſeipſas in genere cauſæ

a 1. 2. q. 27. a. 3. in Corp.

cauſę efficientis: Ergo adducere oportet cauſam efficientem, quæ illas uniat: cumque efficiens non agat temerè & fortuitò, ſed propter aliquem finem, etiam dabitur cauſa finalis, ſicque habebimus quatuor genera cauſarum, utpote materialis, formalis, efficientis & finalis: materia quidem & forma, ut cauſæ intrinſecæ, efficiens & finis ut cauſę extrinſecæ, ad quæ genera reliquę omnes cauſarum ſpecies reducendæ, ſunt, ſiquidem data diviſio non eſt ſecundum ſpecies infimas, ſed ſubalternas.

§. 9.

De cauſis in particulari, & primò de cauſa materiali & formali.

RESOLVTIO XXX.

Materia prima non conſtituitur in actu primo cauſans per aliquid ejus entitati ſuperadditum, ſed per ſuam nudam puramq́; entitatem ſubſtantialem.

69 VT reſolutionem noſtram explicemus ſciendum eſt in qualibet cauſa tria proportionaliter reperiri. *Primum* eſt entitas

ſeu

ſeu ſubſtantiæ cauſæ, *Secundum* eſt virtus per quam conſtituitur in actu primò cauſans: *Tertium* eſt actuale exercitium hujus virtutis, id eſt actualis cauſatio. *Declaratur* hoc exemplo ignis, in quo habes primò ſubſtantiam ignis, nimirum materiam, & formam ejus; deinde virtutem influendi calorem, in aquam v. g. quæ eſt naturalis ejus caliditas; & denique tertiò adeſt actualis influxus & cauſatio, dum unitur aquæ.

70 Itaque aſſerimus, materiam primam non conſtitui in actu primo cauſantem per virtutem aliquam ejus entitati ſuperadditam, quemadmodum in igne videre eſt, ſed per ſuammet nudam puramque entitatem. *Ratio eſt.* Quia materia prima eâ ratione dicitur habere vim cauſandi, quâ ratione vim habet recipiendi formam, & conſtituere intrinſecè compoſitum, in hoc enim conſiſtit cauſalitas materiæ; ſed hæc vis, & virtus competit materiæ, non per aliquid ejus entitati ſuperadditum, ſed per ſuammet entitatem: Ergo per eam conſtituitur in actu primo cauſans. *Minor prob.* Nam virtus cauſandi convenit materiæ quatenus eſt primum ſubjectum & potentia, ſed hęc eſt ab ejus entitate indiſtincta, uti ſupra * dictum, ergo.

* *reſol. 9. n. 18.*

71 Hinc

71 Hinc colligitur differentia quæ eſt inter cauſam efficientem ex una, & materialem ex altera parte, quod, quia principium agendi in cauſa efficiente eſt accidens, quemadmodum & actus ejus accidens eſt, ideo illa conſtituitur proximè potens cauſare per aliquid à ſe realiter diſtinctum: at verò quia actus ad quem per ſe ordinatur materia non eſt accidens, ſed de genere ſubſtantię, utpote ſubſtantialis forma; ideo etiam in materia principium proximum cauſandi non eſt accidens, ſed eſt ipſa ſubſtantialis potentia materiæ ab ejus entitate indiſtincta.

RESOLVTIO XXXI.

Cauſalitas materiæ conſiſtit in concurſu paſſivo ab ejus entitate indiſtincto, quatenus ſeipſam exhibendo formæ recipit illam, eamque limitat, atque unà cum ipſa forma totum compoſitum conſtituit.

72 EXplicato in priori reſolutione per quid cauſa materialis conſtituatur potens & fœcunda in actu primo ad cauſandum, nunc oſtendere oportet per quid ipſa in actu ſecundo

do ſeu in exercitio conſtituatur in eſſe cauſæ. Vnde ſciendum eſt, in materia eſſe varias virtutes ſeu munia; *Primum* eſt ſuſtentare ſeu recipere formam; *Secundum* eſt limitare infinitatem formæ; (forma namque ante ſui receptionem in materia eſt quodãmodo infinita quoad potentiam informandi, id eſt, non eſt definita ad aliquam certam portionem materiæ, ſemel tamen recepta in hac portione, jam non ſe extendit virtus illius informativa ad ulteriorem portionem materiæ informandam, & hâc ratione dicitur per materiam limitari) *Tertium* munus materiæ eſt una cum forma conſtituere totum ens naturale.

73 *Dicimus* ergo cauſalitatem materię conſiſtere in ejus concurſu paſſivo, quatenus tria prædicta munia ordine quodam exercet. Dico (*ordine quodam*) quia prius intelligimus materiam recipere formam, deinde illam limitare, ac tandem cum ea componere totum. *Ratio eſt*. Nam illud eſt cauſalitas materiæ primæ, quod cõſtituit materiam in actu ſecundo cauſantem; ſed concurſus paſſivus, ſeu ipſa entitas materiæ primæ, quatenus prædicta munia exercet, conſtituit materiam in actu ſecundo cauſantem; Ergo ille concurſus paſſivus eſt ejus

cauſa-

cauſalitas. *Major conſtat. Minor verò prob.* Antequam materia prima reciperet formam, erat in potentia ſeu in actu primo; Ergo quando concurrens paſſivè actu recipit, limitat formam, & totum conſtituit, erit in actu ſecundo cauſans, ſic enim exercitium ſuæ cauſalitatis abſolvit.

RESOLVTIO XXXII.

Ratio ſeu principium cauſandi in forma per modum actus primi, eſt ipſamet actualitas formæ per ſeipſam.

74 QVod de cauſa materiali diximus, idipſum proportionaliter de cauſa formali dicendum eſt. Quapropter aſſerimus, eam non habere ſuam vim cauſativam, ſeu non conſtitui in actu primo cauſantem per aliquid ejus entitati ſuperadditum; ſed vim cauſandi in forma eſſe ipſam actualitatem formæ per ſeipſam, quę actualitas nō eſt quid diſtinctum, & ſuperadditum entitati formæ, ſicut nec potentialitas materiæ. Et ita docet S. Thom. [a] inquiens. *Forma per ſeipſam facit rem eſſe in actu, cum*

[a] *1. p. q. 76. a. 1.*

Digitized by Google

cum per eſſentiam ſuam ſit actus. Et ratio eſt. Quia forma habet vim cauſativam in quantum eſt actus, ſicut materia habet eandem in quantum eſt potentia, ſed forma eſt actus à ſeipſa, & nõ ab alio habet rationem actus, cum non ſit magis in actu per aliquid ſuperadditum, quam per ſeipſam. Ergo à ſeipſa habet vim cauſativam.

RESOLVTIO XXXIII.

Conſtituitur quoque forma in actu ſecundo ſeu in exercitio cauſalitatis per ſeipſam, quatenus ſe uniendo materiæ informat eam, limitat eam, & una cum ipſa totum compoſitum conſtituit.

75 VEritas hujus reſolutionis facilè conſtare poterit ex prædictis. Illud namque eſt cauſalitas formę, per quod conſtituitur forma in actu ſecundo cauſans ſuum effectum primarium, ſed hoc præſtat per enumerata, dum videlicet informat materiam &c. ergo per enumerata verè explicatur cauſalitas formæ *Minor prob.* Effectus primarius formę eſt informare ac limitare materiam & cum ea con-

conſtituere totum, effectus autem ſecundarius ejuſdem, eſt tribuere toti compoſito ſubſiſtentiam, & exiſtentiam; ſed forma per ſuammet entitatem conſtituitur in actu ſecundo cauſans ejuſmodi effectus, illa enim non dat eſſe ſpecificum materiæ per aliud, ſed per ſeipſam. Ergo.

76. *Dices*. Materiæ eſt limitare formam, quomodo ergo forma habet limitare materiam? *Reſp.* materiam limitare formam per modum ſubjecti, formam autem limitare materiam per modum actus, quatenus trahit illam ſecum ad certam ſpeciem, atque illius vagam & quodammodo infinitam potentiam determinat, conſtringit ac limitat ad ſubſtandum uni particulari formæ tribuendo eidem ultimam & eſſentialem actualitatem, ſicque in diverſo genere cauſæ accidit iſta reciproca, & mutua limitatio.

77. *Tandem* etiam colligitur, quod quamvis cauſalitas tam materiæ quàm formæ, ſi conſideretur ſecundum id quod dicit eſſentialiter & in recto, non ſit aliquid diſtinctum ab entitatibus materiæ & formæ, id tamen quod connotant, videlicet ipſa immutatio & applicatio facta ab agente, eſt aliquid diſtinctum, unde quod non ſint ſemper in actu ſecundo cauſantes,

tes, non provenit ex defectu alicujus in recto requiſiti ad cauſandum, ſed ſolummodo defectu hujus applicationis, ſicut quod ignis non ſemper comburat lignum, non eſt defectus ex parte virtutis combuſtivæ ignis, ſed ex defectu agentis extrinſeci ignem ad ligna non applicantis. Videnda ſunt dicta ſupra. [a]

§. 10.

De Cauſa Efficiente.

RESOLVTIO XXXIV.

Cauſa efficiens benè definitur eſſe id à quo primò incipit motus.

78 EXplicatur definitio. Ly, *id*, (intellige *principium*) ponitur loco generis, in quo convenit efficiens cum reliquis cauſarum generibus; per ly, *primò*, differt ab illis, quia ab efficiente incipit primò motus ordine executionis, non intentionis, ſicut à cauſa finali; & deinde, licet materia & forma etiam ſint principium primum motus in ſuo genere, quia nec materia aliam materiam, nec forma aliam formam

[a] *l. 1. hujus 1. part. ſ. 22. per totã. & reſol. 23. n. 59.*

formam præſupponit, tamen non cauſant niſi præſuppoſitâ actione efficientis, ſcilicet unitione, & ideo cauſa efficiens eſt id unde incipit motus abſolutè ordine executionis, hæc enim cauſalis vera eſt, quia efficiens agit, materia patitur & forma educitur ex potentia materiæ. *Denique* ab hac definitione excluditur privatio, quæ non dicit originem à quo, ſed tantum derelictionem termini à quo, & ideo nequit habere rationem cauſæ.

79 *Dividitur* porro multipliciter cauſa efficiens; & primò quidem in *Efficientem per ſe*, à qua ſecundum quod talis procedit effectus, ut ſtatua à ſtatuario; & *per accidens*, quę conjungitur per accidens cauſæ per ſe, ſicut ſi ſtatuarius ſimul ſit muſicus, muſica eſt cauſa, per accidens ſtatuæ.

Secundò in *principalem* quę propriâ virtutę operatur effectum, ſine adminiculo alterius ejuſdem ordinis, ſicut pater reſpectu filij; Et *Inſtrumentalem*, quæ in virtute alterius effectum producit, ſicut calamus reſpectu ſcripturæ. Et hæc iterum eſt duplex, *Alia conjuncta*, ut manus, brachium in homine, & humanitaș in Chriſto ad opera miraculoſa, *Alia ſeparata* ab agente, ut calamus, ſecuris &c.

Digitized by Google

Tertio ſubdividitur principalis, in primam, & ſecundam, in univerſalem, & particularem, in Vnivocam, & Æquivocam, in Totalem, & Partialem, in Liberam & Neceſſariam; in eſſentialiter & accidentaliter ſubordinatas, quarum omnium ratio ex ipſis terminis nota eſt.

RESOLVTIO XXXV.

Non eſt denegandà rebus creatis vera efficientia circa proprios & ſibi connaturales effectus.

80 HAnc reſolutionem ſtatuimus contra quoſdam antiquos, qui aſſerebant cauſas ſecundas nihil agere, ſed tantum Deum ad præſentiam illarum; Vnde ſecundum illos, non eſt ignis qui aquam calefacit, lignumque comburit, ſed Deus ad præſentiam ignis. *Verum* hæc poſitio expreſsè eſt contra S. Scripturam, quę multoties veram efficientiam tribuit rebus creatis, ut cum dicit Deus, [a] *producat terra herbam virentem*, quibus verbis, ut rectè notat Baſilius [b] acceperunt res naturales efficaciam continuò efficiendi generationes & corruptio.

[a] *Gen. 1.* [b] *hom. 9.*

ruptiones rerum: & ideo in Sacris litteris [a] dicitur de arboribus, quod producant ex ſe fructus, *Item* fides in Concil. Trid. [b] damnat eos, qui dicunt, voluntatem hominis nihil omnino agere, ſed merè paſſivè ſe habere, quod tamen ex oppoſita ſententia ſequitur.

Neque obſtat D. Paulus [c] aſſerens, quod Deus omnia operetur in nobis. *Item*, quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Non obſtat*, inquam, quia ex iſtis locis tantum infertur dependentia cauſæ ſecundæ à Deo in operando, non uerò tollitur omnis efficientia ex parte cauſæ.

RESOLVTIO XXXVI.

Forma ſubſtantialis eſt quidem principium radicale, non verò proximum, ſed accidentia, quæ mediant inter ſubſtantiam & operationem ſunt principia proxima operandi.

81 Volumus dicere, quod quamvis creaturæ in ſeipſis habeant virtutem effe-

a Luc c. 21. b Seſſ. 6. c. 4. c 1. ad Co. 13.

ctuum ſibi connaturalium, nullam tamen ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam, in quo vel maximè differt à ſubſtantia increata, quod hæc, ſcilicet Deus immediatè operetur per ſuam ſubſtantiam, creata verò ſemper medijs accidentibus. Et hæc eſt expreſſa ſententia S. Th. [a] dum ait. *Forma ſubſtantialis eſt primum principium actionis, ſed non proximum, & ſecundum hoc Philoſophus* [b] *dicit, quod anima eſt id quo intelligimus & ſentimus*. Quibus verbis ſignificare intendit, quod anima ſit principium radicale, non verò proximum intellectionis aut ſenſationis.

82 *Probatur etiam ratione*. Vnius potentiæ unus eſt tantum proprius, & immediatus actus, ut intellectus eſt intelligere, & viſus videre; ſed eſſentiæ ſubſtantiæ creatæ proprius & immediatus actus eſt eſſe ſeu exiſtentia, hæc enim eſt quæ illam actuat, & de potentia ad actum reducit. Ergo præter hunc actum nullum alium proximum & immediatum habebit, adeoque operari, non poterit eſſe actus proximus, & immediatus ſubſtantiæ creatæ.

Nec poteſt dici, eſſe, & operari habere ſe inſtar

a 1. p. q. 77. a. 1. ad 4. b *l.* 2. *de anima tex.* 24. *tom.* 2.

ſtar actus primarij, & ſecundarij reſpectu ejuſdem virtutis & potentiæ: *Nam actus* primarius & ſecundarius ſub eadem ratione formali reſpiciuntur à potentia tanquam unum ſpecificativum, ut patet in charitate, quę ſub eadem formali ratione, ſcilicet bonitatis divinæ reſpicit Deum & proximum, eſſe autem & operari ſub diverſa ratione reſpiciuntur ab eſſentia, & potentia operativa, eſſe videlicet ſub ratione ultimò actuantis eſſentiam, operari autem ſub ratione producibilis, & licet etiam ipſum operari ſit actus primarius in ſpecificando, non tamen eſt actus ſpecificativus ipſius ſubſtantiæ, quæ non ſpecificatur ab aliquo extra ſe, ſed tota ejus ſpecificatio eſt ante operationem; igitur prȩter ſubſtantiam debet aſſignari aliud principium, quod per ſe ab operatione ſpecificetur, quod eſt potentia operativa.

83 *Secunda ratio.* Forma ſubſtantialis de ſe eſt indifferens ad multas operationes, ergo neceſſe eſt, dum elicit unam, quod determinetur ad eam per aliquod accidens ei ſuperadditum. Antecedens eſt certum, & conſtat in anima rationali, quæ abſque potentijs ſuperadditis non eſt magis determinata ad intelligendum, quam ad amandum; *prob. verò conſeq.* nam id quod

Digitized by Google

de ſe eſt indifferens, non eſt major ratio, quare hanc potius, quam aliam operationem exerceat, niſi per aliquid ad hanc potius, quam ad aliam determinetur. Ergo.

84 *Tertia ratio* ſumitur ab experientia: Nam ſi ab anima ſeparetur potentia intellectiva, illa non intelligit, ſi ab homine potentia viſiva vel auditiva, neque videt neque audit, ſi ab igne ſeparetur calor, non producet alium calorem, ergo ſignum evidens eſt, quod hæ potentiæ ſint conceſſæ ſubſtantijs, ut medijs ijs operationes ſuas producant & exerceant.

85 *Obijcies I.* S. Thom. oppoſitum, ut tibi imaginaris, expreſsè docentem, cum ait. [a] *Si formæ accidentales quæ ſunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones, multò magis forma ſubſtantialis habebit propriam actionem, per quam ſimilis forma introducatur in generationem.* Ergo formæ ſubſtantiali oportet admittere aliquem proprium & immediatum influxum in operationem. *II.* Eſſentia efficit immediatè ſuas paſſiones & virtutes, v.g. anima intellectũ, & voluntatem, ergo. *III.* Accidens ſe ſolo, remoto omni influxu ſubſtãtiæ non eſt ſufficiens producere effectum ſubſtantialem, quandoquidem ipſum

[a] *3. cont. Gent. c. 69.*

Digitized by Google

ipſum nequit eſſe cauſa principalis ſubſtãtialis effectus, v. g. calor ſe ſolo nequit eſſe cauſa principalis ſubſtantialis effectus v. g. calor ſe ſolo nequit producere ignem, ergo oportet quod ignis prius influat in calorem virtutem productivam alterius ignis, ſicque ignis erit immediatè & proximè operativus.

86 *Ad primam* objectionem ex S. Thom. deſumptam. *Reſp.* S. Thomam loqui ibidem de operatione radicali, quę ſubſtantiæ tanquam cauſæ principali competit, & ratione cujus per generationem fit aſſimilatio, non verò de proxima, ſi enim ſubſtantia creata eſſet ſimul immediatè ratio eſſendi, & operandi, deberet eſſe infinita in genere entis, hanc autem eſſe mentem S. D. conſtat ex ſequentibus verbis, dum ait. [a]. *Quod agit in virtute alterius, producit effectum ſimilem non ſibi tantum, ſed magis ei in cujus virtute agit, ſicut ex actione inſtrumenti fit in artificiato ſimilitudo artis.*

Ad ſecundam Reſp. proprias paſſiones effectivè non produci ab eſſentia, ſed ab ea dimanare per modum naturalis reſultantiæ & ſequelæ. Et quamvis dimanatio ſit actio, non tamen eſt actio diſtincta ab actione generantis ſubſtantiam, ſed eâdem actione, quâ generans im-

a §. *ſimiliter &c.*

mediatè producit ſubſtantiam, mediatè producit paſſiones, & ſic dimanatio reſpectu eſſentiæ non eſt vera actio, ſed eſt tantum quædam neceſſaria connexio paſſionum cum eſſentia, qui enim dat formam, dat etiam conſequentia ad eam.

87 *Ad tertiam Reſp.* quod accidens ſit virtus immediata & proxima producendi ſubſtantiam, dependens tamen à radicali ipſius ſubſtantiæ, uti patet in calore reſpectu ignis, à quo calor in productione alterius ignis dependet. Nec tamen ignis debet phyſicè influere in calorem, ſed ſufficit, quod in ipſo calore velut in ſuo vicario ſit præſens & intimè conjunctus, ratione cujus conjunctionis, & intimæ elevationis calor potius habet producere ignem, quam carnem, lac vel aliquid aliud, quod calor ob ſimilem conjunctionem in animali præſtat, hinc etiam S. Thom. [a] docet, *quod cogitativa & memorativa in homine habet aliquam eminentiam, non per id quod eſt proprium partis ſenſitivæ, ſed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem ſecundum quandam refluentiam.* Quibus verbis expreſsè docet unum accidens aliquando perfectius evadere ob intimam

[a] 1. p. q. 78. a. 4. ad 5.

Digitized by Google

timam conjunctionem ad perfectius ſubjectum.

RESOLVTIO XXXVII.

Actio ut exercita ab agente, eſt cauſalitas cauſæ efficientis, & meliùs explicatur per agere, quam per actionem.

88 EXplicatâ tam virtute agendi radicali, quam etiam proximâ cauſæ efficientis, breviter etiam ejusdem cauſalitatem & exercitium virtutis declarabimus. *Dicimus* ergo cauſam efficientem conſtitui in actu ſecundo cauſantem per actionem ut exercitam, hâc enim poſitâ intelligitur ipſa actu cauſans ſmodo diverſo ab alijs cauſarum generibus: proinde melius explicatur ejus cauſalitas per agere, quod etiam notat S. Thom. [a] dicens. *Motivum dicitur ſecundum potentiam; in quantum ſcilicet poteſt movere, movens autem in ipſo agere, id eſt in quantum agit actu.* Vtique quia actio eſt abſtractum quid, ſignificans ad modum per ſe ſtantis, agere verò eſt concretum ſignificans cum modo adjacentiæ, qui modus non eſt aliud,

[a] *l. 3. Phyſ. l. 4. cir. fin.*

aliud, quam egreſſus, & influxus actionis ab agente in ordine ad paſſum, ſicque melius exprimit cauſalitatem efficientis.

§. II.

De Cauſa Inſtrumentali.

RESOLVTIO XXXVIII.

Propria & formalis ratio cauſæ inſtrumentalis, prout diſtinguitur à principali, conſiſtit in eo, quod operetur ut mota à principali agente.

89 QVia inſtrumenta ad genus cauſę efficientis reducuntur, cum etiam efficienter attingant effectum, placuit de ijs in præſenti tractare, & quæ pro eorum notitia faciunt, reſolvere.

Eſt ergo obſervandum, hic non eſſe ſermonem de inſtrumentis moralibus, ut ſunt orationes, & interceſſiones Sanctorum; ſed de phyſicis, quorum triplex datur differentia, Alia enim ſunt naturalia, vt cælum reſpectu viventium eſt inſtrumentum naturale intelligentiæ: Alia ſunt ſupernaturalia, ut Sacramenta novę legis

ref-

reſpectu gratiæ: Alia denique artificialia, ut malleus, ſerra &c. reſpectu artefaciendorum.

90. *Cenſemus* itaque de omnibus iſtis inſtrumentis, ea non ſolum differe â cauſa principali in hoc quod ordinentur ad effectum nobiliorem ſe, quem in ſua virtute non continent, ſed vel maximè per hoc quod agant ut mota à principali agente, ita vt tota ratio agendi, quâ conſtituuntur in actu primo, ſit ipſa motio. Ita S. Th. plurimis in locis expreſsè docet, maximè verò in ſua Sūma his verbis [a] *Cauſa inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo movetur à principali agente, unde effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed principali agenti.* Eandem doctrinam pulchris exemplis declarat in quæſtionibus diſputatis [b] ita inquiens. *Inſtrumentum tamdiu à principali agente moveri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impreſſam, unde ſagitta tamdiu movetur à proïciente, quamdiu manet impulſus proïcientis, ſicut etiam generatum tamdiu movetur à generante in gravibus, & levibus, quamdiu retinet formam ſibi traditam à generante.* Igitur ex mente S. Thom. tota ratio agendi in inſtru-

[a] 3. p. q. 62. a. 1. [b] q. 3. de pon. a. 11. ad 5.

inſtrumentis eſt ipſa motio à principali agente in ipſa inſtrumenta derivata.

91 *Probatur idipſum ratione.* Inſtrumentum debet aliquo modo intrinſecè continere effectum, non quidem principaliter, ſed miniſterialiter, quia reducitur ad genus cauſæ efficientis, ſemper intrinſecè, id eſt, intra ſe effectum ſuum continentis, ſed non continet ipſum ratione propriæ entitatis præcisè. Ergo debet ei aliquid ſuperaddi à principali agente per modum motionis ratione cujus contineat effectum. *Minor prob.* Nam inſtrumentum quà tale ſemper ordinatur ad effectum nobiliorem ſe, & quem in ſua virtute non continet. Ergo ut illum contineat, debet ei ab agente principali aliquid ſuperaddi, alias manebit in eadem impotentia. *Confirmatur* in inſtrumentis artis. Nam calamus v. g. antequam elevetur & applicetur à ſcribente, nullâ ratione in ſua entitate continet ſcripturam artificioſam, niſi valde remotè. Ergo continet illam ratione motionis, & virtutis à ſcribente ſibi impreſſæ.

92 *Dices.* Calor in animali eſt inſtrumentum ad producendam carnem, ſanguinem &c. & tamen nullam recipit motionem à ſubſtantia, alias

aliàs ſubſtantia eſſet immediatè operativa. Ergo, *Reſp.* Non eſſe hic ſermonem de inſtrumentis conjunctis, quæ in rigore inſtrumenta non ſunt, ſed potiùs appellantur virtutes ipſarum cauſarum, quæ hôc ipsô quod ſunt conjunctæ, vel ab ipſa ſubſtantia profluentes, ſine alia motione ſuperadditâ, virtutem agendi habent ab ipſa ſubſtantia, quia ſunt virtus illius. Vide quæ paulò ante dicta ſunt. [a]

RESOLVTIO XXXIX.

De ratione inſtrumenti eſt habere aliquam actionem propriam, quæ ſit prævia ad actionem principalis agentis.

93 VOlumus dicere, quod inſtrumentum præter actionem & motionem principalis agentis, per modum tranſeuntis ſibi communicatam, requirat etiam ex parte ſui actionem aliquam ſeu virtutem propriam, & effectivam, ipſi per modum permanentis conceſſam, & debitam, mediante quâ ipſum inſtrumentum operetur aliquid præviè & propriè circa effectum principalis agentis.

Sit

[a] *reſol. 36. n. 87.*

Sic ergo declarata noſtra reſolutio, etſi aliquibus diſpliceat, placet tamen pluribus in locis Ang. Doct. potiſſimum verò in ſua Summa [a] ubi ſic habet. *Inſtrumentum habet duas actiones, unam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis: aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundùm propriam formam, ſicuti ſecuri competit ſcindere, ratione ſuæ acuitatis: non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam.* Hæc ibi.

94 *Probatur ratione.* Ideo ſecundum S. Thom. [b] Deus non poteſt aſſumere creaturam tanquam inſtrumentum ad creandum, quia inſtrumentum *non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis.* Ergo evidens eſt, quod omne inſtrumentum ex mente S. Thom. debeat habere actionem aliquam præviam ad actionem principalis agentis, ſi enim hæc non requireretur, poſſet etiam creatura tanquam inſtrumentum à Deo aſſumi ad creandum, quod eſt contra S. Thom. quia creatura non poteſt operari circa nihilum, ex

[a] *3. p. q. 62. a. 1. ad 2.* [b] *1. p. q. 45. a. 5.*

ex quo tanquam ex termino à quo fit creatio.

95 *Præterea*: Vt aliquid aſſumatur tanquam inſtrumentum ad aliquem effectum producendum, neceſſe eſt ut circa illum effectum etiam aliquid operetur, & non ſit planè otioſum, ſed effectus ei ſub aliqua ratione correſpondeat; hinc S. Thom. [a] docet, quod *Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem, ex virtute divina circa animam, ſicut aqua baptiſmi abluendo corpus ſecundùm propriam virtutem, abluit animam in quantum eſt inſtrumentum virtutis divinæ*: ſed niſi detur aliqua actio propria & prævia in inſtrumento, nihil operabitur tale inſtrumentum, ſed erit planè otioſum, & fruſtra adhibebitur. Ergo neceſſe eſt dicere, quod habeat actionem aliquam propriam.

96 *Nec ſufficit reſpondere*, quod deferat actionem principalis agentis; *Nam* deferre non eſt agere, inſtrumentum, autem, cum reducatur ad genus cauſæ efficientis, debet aliquid propria virtute agere circa effectum principalem, attingendo illum ſecundum id, ad quod inſtrumentum habet vim proportionatam.

Con-

[a] *3. p. q. 62. a. 1. ad 2.*

Confirmatur. Calamus v. g eſt inſtrumentum ſcribentis, prinſquam autem ille elevatur & movetur à ſcribente ad formandos characteres, præhabet actionem aliquam præviam ſibique propriam, nimirum formam & acutiem ſuam, mediante quâ ipſe calamus aliquid propriè & præviè operatur circa effectum principalem, ſcilicet delineando, quæ delineatio non excedit vires calami, ſed habet ad eam vim proportionatam, licet non ad ſcribendum: ſi autem calamus non haberet actionem præviam ad ſcribendum, poſſet æquè adhiberi calceus ad ſcribendum, quam calamus.

97 *Dices.* Delineatio illa, ſicut & ipſa artificioſa ſcriptio non eſt à calamo per propriam formam, ſed utrumque habet à principali agente ſicut & motum, Ergo ſicut ſcriptio non eſt principaliter à calamo; ſed tantùm inſtrumentaliter, ita etiam ipſa declinatio. *Reſp.* Quod licet calamus tam ad delineandum quàm ad ſcribendum moveatur à principali agente, inde tamen non ſequitur, quod delineationem nonniſi inſtrumentaliter attingat, aliàs omnes cauſæ ſecundæ cum moveantur à Deo ad ſuos effectus, eſſent cauſæ inſtrumentales; ſufficit ergo ut calamus dicatur cauſa principalis delineationis,

neationis, quod habeat vim proportionatam reſpectu illius, & non excedat illam: reſpecta tamen ſcriptionis artificioſæ concurret inſtrumentaliter, quia hęc excedit vires illius, proinde correſpondet illi agenti, in quo ars ſcribendi formaliter reperitur. Exemplum poteſt dari de calore, qui reſpectu calefactionis eſt cauſa principalis, reſpectu verò generationis ignis, inſtrumentalis.

§. 12.

De Cauſa Finali.

RESOLVTIO XL.

Finis, qui definitur eſſe id cujus gratiâ aliquid fit, eſt vera & realis cauſa Phyſica.

98 ABſolutis tribus prioribus generibus cauſarum, de quarto nunc, Fine, ſcilicet, agendum eſt, qui licet prior ſit ordine intentionis, in executione tamen poſterior eſt cęteris, & meritò ab Ariſtot. [a] inter quatuor genera cauſarum phyſicarum numeratur. *Cuius ratio eſt.* Nam effectus veram & phyſicam ha-

[a] *hic tex. 29.*

Digitized by Google

bet dependentiam à fine: Ergo finis eſt verè & realis cauſa phyſica. *Antec. prob.* Effectus qui fiunt ab agentibus propter finem, taliter ſunt gratia illius finis, ut illo ceſſante non ponerentur effectus in ſuo eſſe reali, & phyſico, neque enim volitio medicinæ propter ſanitatem poneretur in ſuo eſſe phyſico; niſi à ſanitate, quę eſt finis illius, moveretur voluntas. Ergo ſic eſt, quod effectus verè & phyſicè in ſuo eſſe dependeat à fine.

99 Et quamvis finis aliquando non habeat intrinſecè virtutem aliquam cauſativam realem, ſed ſit quid chimericum, vel ens rationis, ut patet in eo qui appetit eſſe Angelus, habet tamen virtutem motivam extrinſecè, & in cauſando, quatenus habet movere in ratione objecti, trahendo & alliciendo agens; in quo differt à cauſa efficiente quod hæc ſemper debeat movere per aliquem influxum à propria, & ſibi intrinſeca entitate manantem: ad finem autem ſufficit, ſi habeat exiſtentiam in intellectu, & objectivè reluceat ſub aliqua ratione boni ſaltem apparentis, eſtò in re ſit impoſſibile. Nec propterea reduci debet ad genus cauſæ formalis extrinſecæ, quia non cauſat objectivè tribuendo ſpeciem, ſed movendo & allicien-

do

do voluntatem ad ſui amorem, quod conſtituit genus cauſæ finalis.

RESOLVTIO XLI.

Bonitas eſt ratio formalis, mediante quâ finis, conſtituitur in actu primo cauſans, connotat tamen apprehenſionem intellectus tanquam conditionem omnino neceſſariam ad hoc, ut in actu ſecundo cauſet.

100 QVia nihil volitum quin prꝍcognitum, ideò finis nequit movere voluntatem, niſi objectivè exiſtat in intellectu, & ab eo, voluntati, quæ eſt potentia cæca, prꝍſentetur & oſtendatur, ut ſic oſtenſum, invitet voluntatem, eamque ad ſui amorem alliciat, non quidem, quaſi hæc oſtenſio & intellectus appræhenſio ſit ratio formalis motiva voluntatis, quia voluntas non movetur ad appræhenſionem finis, nec gratia ipſius cognitionis ſanitatis v. g. operatur, nec etiam infirmus quieſcit habitâ cognitione ſanitatis, nec in ordine ad eam, medicinam & alia media adhibet, ſed ipſa realis bonitas in objecto appræhenſo ſpe- R 2 ctata,

ctata, eſt ipſa ratio formalis motiva voluntatis, quâ adeptâ voluntas quieſcit: apprehenſio verò intimè applicat bonum reale finis intenti ipſi voluntati, facitque illud exiſtere ſub ratione appetibilitatis proximæ, & ſic eſt ſolummodò intrinſeca conditio ad hoc petita, ut bonitas finis moveat voluntatem. Vnde etiam Ariſt. [a] dicit. *Appetibile non movere, niſi mente aut imaginatione præconceptum.*

RESOLVTIO XLII.

Cauſalitas finis conſiſtit in motione metaphorica, quæ nihil aliud eſt, quam ipſe actus voluntatis paſſivè pendens ab appetibili, ſeu fine.

101 DVplex eſt motio, alia phyſica & propria, alia metaphorica & impropria. Illa eſt verus & phyſicus influxus in effectum, qualis competit cauſæ efficienti: hæc verò eſt aliquid per modum influxus, qui modus explicatur per hoc, quod finis attrahat, alliciat & ducat poſt ſe voluntatem per amorem & deſiderium. Et in hac dicimus conſiſtere formaliter

[a] *3. de anima cap. 1.*

ter cauſalitatem finis. *Quod probatur*. Nam cum finis cauſet, in quantum eſt appetibile & bonum, cenſebitur tunc cauſare in actu ſecundo, quando reducit hanc appetibilitatem ad actũ; ſed appetibilitas reducitur in actum per actualiter amari & appeti, quando nimirum voluntas actu paſſivè dependet ab appetibili tanquam à bono trahente & alliciente ipſam; in qua allicientia conſiſtit motio metaphorica, ergo cauſalitas finis conſiſtit in motione metaphorica. *Minor. prob.* Nam iſtâ motione & allicientiâ poſitâ ex parte boni appetibilis, v. g. ſanitatis, intelligitur voluntas propter ipſam operans, ita ut media ad eam habendam eligat, ergo.

RESOLVTIO XLIII.

Quamvis neceſſe ſit omnia agentia agere propter finem, proprium tamen eſt naturæ rationalis, ut tendat in finem, quaſi ſe agens vel ducens in finem, S. Thom. a

102 QVatuor diſtingui poſſunt ordines agentium propter finem. *In primo* collocantur ... locantur

a 1. 2, q. 1, a. 2.

locantur ea, quæ non habent in ſe principium activum intrinſecum ſui motus, ſed paſſivum tantùm, ſicut non viventia, ut gravia & levia. *In ſecundo* conſtituuntur ea, quæ cum habeant principium activum ſui motus, activè etiam ſe moveant, ſine ulla tamen cognitione, ut arbores, plantæ &c. & quæcunque vivunt vitâ vegetativâ. *In tertio* reponuntur ea, quæ præter principium activum ſui motus intrinſecum, quô ſe activè movent, habent etiam cognitionem aliquam, licet imperfectam, quâ apprehendunt finem, licet non perfectè, ſed materialiter ſolùm; & hujuſcemodi ſunt ea, quæ vivunt vitâ ſenſitivâ tantùm, ut bruta; Nam hirundo nidulum conſtruit, aranea telam contexit, formica alimentum colligit, utique gratiâ finis cujuſdam. *In quarto* denique ordine conſtituuntur ea, quæ præter jam dicta habent perfectam cognitionem finis & mediorum, poſſuntque unum præ alio eligere, quia cognoſcunt in uno medio eſſe majorem proportionem cum fine, quam in alio, & ad hunc ordinem ſpectant ſola agentia libera & rationalia.

103 Itaque de omnibus iſtis agentibus aſſerimus, quòd agant & operentur gratiâ finis, ſive enim ſit ſermo de agentibus naturalibus

cogni-

Digitized by Google

cognitione præditis, ſive eâ carentibus, certum eſt operationes ſuas non in incertum operari, nec caſualiter evenire, ſed eas provenire ex certa propenſione, & determinata ratione ſuæ naturæ, quod habeant determinatum modum operandi. Vnde optimè docet S. Th. [a] quod *ſicut, motus ſagittæ ad determinatum finem demonſtrat apertè, quod ſagitta dirigitur ab aliquo cognoſcente; ita certus curſus naturalium rerum cognitione carentium manifeſtè declarat, mundum ratione aliquâ gubernari.*

104 *Eſt tamen* adhuc differentia benè obſervanda inter hæc agentia, quod agentia primi generis aguntur potius in finem, quam quod ſeipſa in eum moveant; Secundi generis verò etſi activè ſe moveant in finem, non tamen cognoſcunt finem: Agentia tertij generis cognoſcunt quidem finem, ſed non perfectè, quia non cognoſcunt proportionem mediorum cum fine: quare tanquam certum relinquitur, quod ſola agentia quarti generis propriè agant propter finem, quia ſolummodo opera iſtorum agentium prout ab ipſis egrediuntur virtute propriâ ſunt, & fiunt propter finem, atque etiam certo quodam iudicio cognoſcunt ipſam

R 4 con-

[a] *1. p. q. 103. a. 1. ad 1.*

convenientiam, & proportionem mediorum cum fine.

105 *Hinc etiam colligitur*, quod quamvis canis utatur curſu, tanquam medio neceſſario ad aſſequendum leporem, & araneus texat telam miro artificio idoneam implicandis muſcis; non tamen cernunt hujuſmodi aptitudinem & relationem in opere ſuo, ſed ſimpliciter naturali inſtinctu araneus v. g. conficit ſtamen ſuum, quò deinceps muſcæ per accidens involuuntur, & canis ſolo impetu naturali, vel iræ vel odij ad lædendum, vel voluptatis & gulæ ad edendum, curſum proſequitur, abſque hoc quod cognoſcat proportionem curſus cum lepore capiendo, unde hæc non intendunt propriè finem ut finem, nec medium, ut medium, etſi cognoſcant, & appetant rem illam, quæ eſt finis, & medium.

§. 13.

§. 13.

De Comparatione cauſarum inter ſe & cum effectibus.

RESOLVTIO XLIV.

Cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ, vel quantum ad eſſe, vel quantum ad cauſalitatem.

106 PErvulgatum eſt axioma inter Philoſophos, cauſas eſſe ſibi invicem cauſas, quod etiam S. Tho. [a] docet inquiens. *Eſt igitur efficiens cauſa finis, finis autem cauſa efficientis, & ſimiliter materia & forma, nam forma dat eſſe, materia autem recipit.* Vnde ut hoc ipſum clariùs explicetur obſervandum eſt duobus modis unam cauſam poſſe alterius cauſam vocari, Semel quoad eſſe, quando una cauſa entitatem alterius cauſæ producit, Aliô modô quoad cauſalitatem, quando in alterius cauſalitatem influit, eamque producit & cauſat.

107 *Dicimus ergò*, quod cauſæ intrinſecæ, hoc eſt materialis, & formalis, ſunt ſibi invicem cauſæ

[a] 5. *Metaph. l. 2.*

cauſæ quoad eſſe, quia forma, ſi eſt materialis, educitur de potentia materiæ, & deinceps dependet in ſuo eſſe ab ea: & è contra forma eſt cauſa formalis materiæ quoad eſſe ſpecificum, & determinatum; item quoad eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ. Ergò quoad eſſe, cauſæ intrinſecæ ſunt ſibi invicem cauſæ. *De cauſis* verò extrinſecis, & in primis de efficiente, aſſerimus, quod illa ſit cauſa finis quoad eſſe; nam ignis productus, qui eſt finis ignis producentis, eſt effectus illius in genere cauſæ efficientis; & ſimiliter medicamenta cauſant ſanitatem; quæ eſt finis illorum: contra verò finis eſt cauſa efficientis quoad cauſalitatem, quæ conſiſtit in actione vel in agere; actio autem eſt effectus finis, quandoquidem efficiens operatur gratiâ alicujus finis, & ita cauſæ erunt ſibi invicem cauſæ, non quidem in eodem genere cauſandi, ſed in diverſo, prout etiam juxta Ariſt. *a labor eſt cauſa bonæ valetudinis, quia efficit ipſam, & bona valetudo eſt cauſa laboris, tanquam finis ejus.*

108 *Sed dices.* Sequitur quod idem ſit cauſa ſui ipſius, quod probatur ex illo axiomate non minus certo, quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam

a 2. *Phyſ. t.* 30.

etiam cauſa cauſati. Ergo ſi materia eſt cauſa formę, & forma iterum eſt cauſa materiæ, jam materia erit cauſa ſui mediatè. *Reſp.* Neg. ſequelam, ad prob. dicitur, illud axioma ſolum verificari, quando illud quod ſemel cauſatum eſt, cauſat aliud in eodem genere cauſæ, in quo ipſum fuit cauſatum, ſicut dum ignis cauſat calorem in aqua in genere cauſæ efficientis, & calor aquæ in eodem genere cauſat calorem in manu: Quando verò illud quod cauſatur, cauſat è contra aliud in alio genere cauſę, diſcontinuando cauſalitatem prioris cauſæ, tunc non verificatur dictum axioma: *Exemplum* habemus in Deo, qui eſt cauſa hominis, & homo cauſa peccati, & tamen Deus non eſt cauſa peccati, quia homo cauſatus à Deo, in cauſatione peccati ſubtrahit ſe ab ordine cauſalitatis divinæ.

RESO-

RESOLVTIO XLV.

Nonſolùm naturaliter, verùm etiam ſupernaturaliter repugnat, duas cauſas totales ejuſdem ordinis collectivè ſumptas, adæquatè concurrere ad eundem numero effectum.

109 *Vpponimus I.* tanquam certum plures cauſas diverſi ordinis, ut v. g. Deum, & agens creatum poſſe producere unum eundemque effectum. II. Etiam plures cauſas partiales, & inadæquatas poſſe dari reſpectu ejuſdem effectus, ut duo trahentes unam navim: quare notanter loquimur in reſolutione noſtra de pluribus cauſis totalibus; & adæquatis ejuſdem ordinis, & de ijs negamus, quod totaliter, & adæquatè poſſint concurrere ad unum numero effectum, v. g. duo patres, vel genitores ad unum filium, ita quod ab utroque totaliter dependeat.

110 *Probatur nunc prima pars*, quod id naturaliter repugnet. Nam Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ſed ſi duæ cauſæ totales ad unum numero effectum concurrerent, una

earum

earum foret fruſtranea; ergo naturaliter id fieri nequit. *Minor prob.* Nam cauſa totalis eſt & dicitur, quæ totam, & ſufficientem virtutem habet tam in actu primò, quàm in actu ſecundo, ut ponat effectum in rerum natura. Ergo altera earum erit penitus fruſtranea. *Exemplum* quod in contrarium ſolet adduci de pluribus architectis, qui unam, & eandem numero domum conſtruere poſſunt, nullum habet robur, quia unitas numerica domus dependet à lapidibus, & lignis hoc, vel illo modo diſpoſitis, unde architectus non producit niſi applicando partes; ſed cauſæ naturales principales producunt per verum influxum, & ideo ſicuti eſt diverſa virtus productiva, debet etiam eſſe diverſus effectus numero.

III. *Probatur II.* pars, quod id repugnet ſupernaturaliter. Et in primis ita ſentire videtur S. Thom.[a] dum ait. *Impoſſibile eſt quod duæ cauſæ completæ ſint immediatè unius, & ejuſdem rei.* Loquitur autem ibidem de cauſis ejuſdem ordinis. *Deinde* rationibus, quarum *prima* eſt. Si idem effectus, v. g. idem filius præter naturalem ſuum genitorem, poſſet ſimul habere alium, à quo ſimiliter in ratione principij acti-

vi

[a] *1. p. q. 52. a. 3.*

Digitized by Google

vi ſuum haberet eſſe, tunc quilibet illorum eſſet cauſa totalis, & non eſſet cauſa totalis filij, ſed hoc planè implicat, ergo *Prob. ſequela.* In primis, quilibet illorum eſſet cauſa totalis ex hypotheſi, deinde neuter illorum eſſet, *quod probatur.* Nam ille non eſt cauſa totalis alicujus effectus, qui relinquit locum cauſalitati alterius totalis cauſæ reſpectu ejuſdem effectus, ſed hoc quilibet in præſenti faceret, ergo.

112. *Dices* cum aliquibus in ſuis Manuſcriptis. Vtrumque fore cauſam totalem, neque enim eſſe contra rationem cauſæ totalis, habere concurſum alterius ſimilis, *modò ipſa actu operetur totâ virtute neceſſaria in illo ordine ad effectum.* Placet hæc ſolutio, vel maximè ob conditionem appoſitam, *modò ipſa actu operetur &c.* circa hoc namque potiſſima controverſia eſt, an ambæ cauſæ ſimul concurrant, virtuteſque ſuas exerceant circa eundem numero effectum, quod nos eâdem facilitate negamus, quâ id ab alijs aſſeritur. *Deinde* etiam verum non eſt, utramque fore cauſam totalem, quia aliàs utraque deberet eundem numero, & individuum effectum in ſua virtute continere, quod eſt impoſſibile, propter limitatam

tatam virtutem cujuſlibet cauſæ creatæ; requiritur ergo ad ejuſmodi numericam continentiam effectuum cauſarum ſecundarum virtus divina; & planè infinita, quæ ſola totum individuum effectum ſecundæ cauſæ, ſicut cùm illa, ita ſine illa producere poteſt.

113 *Aliqui* eò uſque fugam capiunt, quod dicant in tali caſu duas cauſas totales ſe invicem penetrare, ut ſic idem numericus effectus ab ijs dependere poſſit.

Sed quæro, tum admiſsâ tali cauſarum penetratione, illæ concurrerent per modum unius, an verò per modum duarum cauſarum? ſi dicis primum, tollitur ſtatus quæſtionis; ſi ſecundum aſſeris, non erit neceſſaria hęc penetratio; ſi enim ſemel poſſibile ſit effectum dependere à duplici cauſa totali, poterit id fieri ſine earum penetratione, ideoque abſque cauſa ad ſimilem cauſarum penetrationem refugium ſuſcipitur.

114 *Secunda ratio* adfert implicantiam ex parte actionis: Nam eſſet duplex actio, & non eſſet duplex actio; Eſſet duplex, quia à duplici principio totali procederet; Non eſſet duplex, quia ad eundem effectum numero terminaretur, ſed eſſe duplicem & non eſſe duplicem

plicem actionem implicat, ergo. *Dices*, fore duas actiones, quia poteſt unus numero effectus fieri per duas, vel plures actiones, non tantùm ſucceſſivè, ſed etiam ſimul. *Sed ſic* reſpondere eſt petere principium: Nec præter ejuſmodi ſolutiones ſolida aliqua & evidens ratio contrarium probans adducitur.

115 *Tertia ratio* adducit repugnantiam ex parte effectus. Idem numero effectus per ſe dependeret, & non per ſe dependeret à qualibet illarum cauſarum, ſed hoc implicat, ergo. *Dices*, quod ab utraque dependeret per ſe. *Contra*. Ille effectus non dependet per ſe ab aliqua cauſa, qui produceretur, & eſſe poſſet independenter ab illa, ſicut ſi mundus eſſe poſſet independenter à Deo, non dependeret per ſe à Deo Creatore ſuo; ſed in caſu poſito, quamcunque duarum prædictarum cauſarum ſumpſeris ſigillatim, & ſeorſim, independenter ab ea poteſt eſſe effectus per aliam cauſam quę reſtat, quia eſt cauſa totalis continens in ſua virtute effectum, uti caſus argumenti concedit, ergo à nulla dependeret per ſe.

116 *Argumentum* quod in oppoſitum ex S. Thom. [a] adducitur de pluribus baptizantibus unum

[a] *3. p. q. 67. a. 6. & q. 82. a. 2*

Digitized by Google

unum numero hominem, & pluribus ſacerdotibus conſecrantibus unam hoſtiam, quorum quilibet eſt cauſa totalis, non militat contra nos, quia omnes illi, ſive baptizantes, ſive conſecrantes, non ſunt cauſę totales principales, ſed ſolummodo inſtrumentales; non repugnat autem unum numero effectum dependere à pluribus cauſis inſtrumentalibus, à quibus effectus non ſumit ſuam individuationem, ſed à cauſa principali; unde idem numero ſacramentum erit, ſive iſta hoſtia conſecretur ab iſto ſacerdote, ſivę ab alio, propter unicam virtutem principalis agentis.

117 *Aliter* reſponderi poteſt, quod omnes iſti ſacerdotes & miniſtri integrent unicum totale inſtrumentum, licet enim quilibet ſit cauſa totalis, veluti in actu primo ratione characteris, quando tamen operatur ſimul cum alijs, Deus attemperat ſuam elevantem virtutem, & illam quam unicuique ſeorſim operanti dediſſet, quodammodo partitur in omnes, ut proinde ratione hujus in actu ſecundo ſolùm partialiter concurrant.

S RESO-

RESOLVTIO XLVI.

Similiter repugnat ſupernaturaliter, quod idem numero effectus, fiat diviſim à duplici cauſa totalis ejuſdem ordinis.

118 VOlumus dicere, pariter implicare, quod idem effectus in individuo ita contineatur intra ſphæram duplicis cauſæ totalis, ut ſicut producitur ab hac cauſa, etiam ab alia ſub eadem individuatione producatur. *Impoſſibile enim eſt*, ait S. Th. a *eundem filium naſci, ſive ſit alius pater, ſive alia mater, ſicut etiam non eſt idem numero ſigillum, ſive ſit alia cera, ſive aliud corpus ſigilli, ex cujus impreſſione cera ſigillatur.* Et ratio eſt, quia unus & idem numero effectus petit neceſſariò produci ab una, & eadem numero virtute; ſed duæ cauſæ totales non habent nec poſſunt habere eandem numero virtutem, ſed tantùm ſimilem in ſpecie, ſicut nec habere poſſunt eandem numero eſſentiam, quamdiu duæ cauſæ ſunt, ergo effectus productus ab una cauſa, non poterit idem numero produci ab alia cauſa. Minor per ſe conſtat. *Major*

a *quodlib. 5. a. 8.*

Digitized by Google

jor verò prob. Idem numero effectus debet produci ab ea virtute, in qua ipſe cum ſua individuatione continetur, ſed non continetur, neque poteſt contineri cum tota ſua individuatione in duabus, aut pluribus virtutibus, diverſitas enim virtutis denotat diverſitatem eſſendi effectus, ergo ut producatur idem numero effectus, debet ab eadem virtute produci.

119 *Præterea*: Nulla cauſa creata poteſt in ſe eminenter continere virtutem alterius cauſæ ſui ordinis, niſi ſit cauſa increata, & ſuperioris ordinis, quâ ratione ſolus Deus continet virtutes omnium cauſarum ſecundarum, ergo impoſſibile eſt, quod una cauſa producat eundem numero effectum, quem alia ſui ordinis producit, adeoq; implicat, quod Petrus eundem numero filium producere potuiſſet, quem Paulus v. g. produxit. *Patet conſeq.* Quia in quo non eſt virtus productiva effectus, neque ab eo effectus produci poteſt; *prob. verò antec.* Nam ſi una cauſa eminenter poſſit in ſe continere virtutem alterius cauſæ, non eſt major ratio, quare non etiam ſic continere poſſet virtutes omnium aliarum cauſarum, ſicut etiam ex ſententia aliquorum ponentium unum corpus poſſe eſſe in duobus locis, benè infertur, quod etiam

poſſit eſſe in infinitis locis, atqui impoſſibile eſt, quod una cauſa creata eminenter contineat omnium aliarum cauſarum virtutes, ſiquidem ad hanc continentiam deſideratur virtus infinita, quæ ſoli Deo propria eſt, ergo una cauſa creata nequit continere virtutem alterius cauſæ creatæ.

120 *Neque* exinde inferas, ſequi ex hoc, quamlibet cauſam creatam non poſſe niſi unicum numero effectum producere. *Imo verò* poteſt infinitos ſyncathegorematicè producere, intra eandem tamen ſeriem & multitudinem, quæ ſibi & non alteri cauſæ cerreſpondet, nam individuatio non deſtruit virtutem activam ſpeciei, ſed eam ſolùm veluti in plures partes partitur, & ita quouſque talis virtus deſtructa non ſit, poterit ſemper alios & alios effectus producere intra ſuam ſpeciem. Quare autem potiùs hunc quam alium effectum producat, fit ex determinatione cauſæ primæ, quę indifferentiam, & indeterminationem cauſæ ſecundæ tollit, & potiùs ad hunc numero effectum, filium v. g. & non filiam generandam determinat, licet tam filia quam filius in ejus virtute generativa contineretur.

Corollar

Corollarium.

121 EX dictis in duabus prioribus reſolutionibus, aliqua alia notatu digna colliguntur.

Primò. Etiam implicare contradictionem, quod vel duę formæ ſint ſimul in eadem materia; Vel una forma ſubſtantialis actuet plures materias totales & adęquatas. Priorem partem expreſsè docet S. Th. [a] inquiens. *Impoſſibile eſt in uno & eodem eſſe plures formas ſubſtantiales*. Et ratio implicationis eſt, quia implicat in eadem materia reperiri plures actus poſitivè primos, ſed omnis forma ſubſtantialis eſt poſitivè primus actus ſubſtantialis materię, ergo implicat &c. *Major prob.* quia actus poſitivè primus eſt ille, qui eſt ante omnes tales actus in ſubjecto, ſed quando duæ formæ ſubſtantiales eſſent in eadem materia, ut actus poſitivè primi, tunc neuter eorum eſſet ante alium, alias unus eorum non eſſet poſitivè primus, ergo.

122 *Poſteriorem partem* hâc ratione ſuademus. Nam forma non habet niſi unicam virtutem informandi unam materiam totalem, quæ vir-

a quodlib. 1. a. 6.

virtus eſt de eſſentia formæ, ergo ſi ſupernaturaliter deberet informare ſimul duas materias, vel illa virtus deberet intendi, quod eſt impoſſibile, cum ſit ipſa ſubſtantia formæ, quę non ſuſcipit magis & minus; Vel deberet formæ ſuperaddi alia virtus ſimilis. quod etiam implicat, cum vis informandi materiam ſit aliquid eſſentiale in forma, Deus autem nullũ prædicatũ eſſentiale rei prę exiſtenti addere poteſt, ergo.

123 *Nec eſt* eadem ratio de duobus corporibus per divinam potentiam ſe invicem penetrantibus, & poſtea in eodem loco circumſcriptivè conſiſtentibus; *Illa enim* in ratione locabili & circumſcriptibili habent ſe ac ſi eſſent unum: at verò duæ formę v. g. hominis, & equi in vi informandi ſemper ſunt duæ, neque poſſunt fieri unum, quia ſemper informant ut diſtinctæ in ſpecie.

124 *Secundò* colligitur etiam repugnare duas dari cauſas finales totales, & adęquatas reſpectu ejuſdem actionis humanæ. *Ratio eſt*; quia ſic ſe habet finis in moralibus; ſicut principium in ſpeculabilibus, ſed non poteſt vna, & eadem concluſio inferri ex duobus principijs diſparatis, & non ſubordinatis, quorum utrumque ſit totalis cauſa concluſionis, ergo etiam in moralibus

ſibus non poteſt eadem actio reſpicere plures fines totales æquè principaliter intentos, & non ſubordinatos per modũ termini primarij & ſecundarij, ſive principalis & minùs principalis.

Confirmatur. Non poteſt idem motus tendere in plures, & diverſos terminos & nullô modô ſubordinatos, ergo ſimiliter nec actio humana in plures fines. *Conſeq. patet*, quia actio humana eſt motus quidam.

125 *Dices.* Poteſt aliquis ex duplici motivo adæquato idem iter ſuſcipere, v. g. videndi civitatem, & ibidem ſollicitandi pecunias, ita ut etiamſi unus illorum deeſſet, adhuc tamen eò iter ſuum dirigeret, ergo dari poſſunt plures fines ejuſdem actus. *Reſp.* Quod iſta motiva ſint ſolummodo inadæquata & partialia, non totalia, & licet uno ceſſante adhuc ſequatur actus, id non erit ex vi primæ illius volitionis, ſed ex vi alterius volitionis denuo habitę, quæ tantum terminatur ad unum ex illis motivis tanquam ad finem totalem & adæquatum.

126 *Inſtabis.* Vnus idemque actus humanus poteſt habere finem bonum & malum, ut cum quis intendit furari ad dandam eleemoſynam, talis enim intentio habet pro fine furtum & largitionem eleemoſynę, ergo *Reſp.* Quod unus

 idem-

idemque actus poſſit habere finem bonum & malum, quorum tamen unus ad alterum ordinetur, & ita eſt in illo qui furatur ad dandam eleemoſynam, talis enim ordinat furtum ad dandam eleemoſynam: quod ſi quis nihilominus velit furari, etiamſi non det eleemoſynam, jam ibi adeſt novus actus voluntatis, quo tantùm velit furari.

LIBER TERTIVS.

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 14.

De Quidditate & Natura Motus.

RESOLVTIO XLVII.

Motus definitur ab Ariſtotele, quod ſit actus entis in potentia ſecundùm quod in potentia. a

127 EXplicatis in præcedentibus libris, omnium entium naturalium ſive mobilium

a *l. 3. Phyſ.*

Digitized by Google

lium principijs, illorumque cauſis tam intrinſecis, quam extrinſecis, ſequitur nunc, ut de communibus proprietatibus eorundem ſermonem habeamus, inter quas præcipua paſſio eſt motus: cujus naturam ut explicemus, prænotare oportet, quod res aliqua conſiderari poſſit in triplici ſtatu, *Primò* in potentia tantùm ſine reductione ad actum; *Secundò* in actu ultimò; *Tertiò*, mediô modô, quando eſt partim in actu, partim in potentia; ſit exemplum in aqua, quæ priuſquam incipiat calefieri, eſt tantùm in potentia, & ad calefieri, & ad calidum eſſe; quandò verò calefit, jam eſt, partim in actu & partim in potentia ad calidum eſſe, ſicque dicitur moveri motu alterationis: quandò verò eſt calida, tunc eſt in actu ultimo, ſicque ceſſat motus, Quò ſuppoſitô explicatur nunc definitio motus per omnes particulas.

128 Dicitur primò *actus*, quia de eſſentia motus eſt, quod ſit veluti forma quędam actuās ſubjectum, quod movetur; in quo convenit cum alijs formis tam ſubſtantialibus quam accidentalibus, ſumitur autem actus pro actu imperfecto, qui adhuc relinquit mobile in potentia ad ulteriorem actum. Dicitur *ſecundò*. *Entis in potentia*, paſſiva ſcilicet, tam ad ipſum motum

tum antecedenter ad ejus receptionem, quam ad terminum motus poſt ejus receptionem. Dicitur *tertiò, ſecundùm quod in potentia*: per quam particulam datur intelligi, motum taliter relinquere ſubjectum in potentia ad terminum, ut formaliter & ex ſua intrinſeca ratione, quatenus ſcilicet eſt via & actus imperfectus, ordinet, promoveat & ducat mobile ad terminum, in quo differt motus ab alijs formis, quę non ita actuant, ut relinquant ſubjectum in potentia & formali tendentia ad aliud.

RESOLVTIO XLVIII.

Definitio motus tradita non ſolùm convenit mutationibus ſucceſſivis, ſed etiam inſtantaneis.

129 NOmen motus dupliciter uſurpari ſolet, *Primò* ſtrictè, ut ſtet pro ſolis mutationibus ſucceſſivis, quę ſunt inter duos terminos poſitivè oppoſitos, habentes latitudinem non ſtatim, ſed ſucceſſivè pertranſibilem, quomodo generatio, & corruptio motus non ſunt: *Secundò* ſumitur largiùs, pro quacunque phyſica mutatione, ſive ſucceſſiva, ſive inſtanta-

ſtantanea, ſicque ambit ſub ſe omnes ſpecies motus, etiam ipſam generationem ſubſtantialem, corruptionem &c.

130 Et in hac acceptione dicimus Motum ab Ariſtot. fuiſſe definitum, quod fatetur D. Thom. [a] dum inquit. *Accepit nomen motus, ſecundùm quod eſt commune omnibus ſpeciebus mutationis*. Et ratio eſt. Quia mutationes inſtantaneæ ſunt verè actus entis in potentia prout in potentia, ergo. *Prob. Antec.* Nam licet generatio ita actuet ſubjectum, ut in eodem inſtanti ſimul ſint fieri & factum eſſe, noſtrô tamen concipiendi modô cum fundamento in re, prius intelligitur fieri, quàm factum eſſe, adeoque in illo priori intelligitur ſubjectum in actu per generationem, & ſimul in potentià reſpectu termini ad quem, qui per ipſum fieri acquiritur, ergo ſic erit actus entis in potentia prout in potentia.

131 *Dices*. Per mutationem inſtantaneam ſimul acquiritur totus terminus, & non per partes aut gradus, prout contingit in alteratione, augmentatione &c. ergo illa non erit actus entis in potentia prout in potentia. *Reſp*. Quod ſit mutationi inſtantaneæ data & explicata definitio

a 5. *Phyſic. lect.* 2.

finitio motus conveniat, non requiritur, quod illa in tempore aut etiam per partes inducat formam, ſed ſufficit quod mutatio & forma ſint duo actus, forma quidem perfectus, mutatio verò imperfectus & ad formam ordinatus; & præterea quod mutatio, & fieri formæ ſit prius natura, quàm ipſa forma in facto eſſe, ſic enim optimè ſalvatur, quod prius natura conſtituat ſubjectum in actu imperfecto, ordinando illum ad perfectum, quod eſt eſſe actum entis in potentia prout in potentia.

RESOLVTIO XLIX.

Motus eſt quidem realiter entitativè idem cum ſuo termino, diſtinguitur tamen ab eo diſtinctione reali modali.

132 PRiorem partem manifeſtè docet S. Thom. [a] dum ait. *Ipſe igitur actus imperfectus caloris in calefactibili exiſtens eſt motus, non quidem ſecundum id quod actu tantùm eſt, ſed ſecundùm quod jam in actu exiſtens habet ordinem ad ulteriorem actum.* Accedit & ratio. Nam calor in fieri & fluxu diſtinguitur realiter entitativè

[a] l. 3. lect. 2.

vè à ſeipſo ut in facto eſſe, ſed calor in fieri eſt ipſemet motus calefactionis, & idem ut in facto eſſe eſt terminus ad quem ejuſdem calefactionis, ergo ſunt idem entitativè & realiter.

133 *Præterea*. Res in fieri non eſt diverſa realiter à ſeipſa ut in facto eſſe, aliàs nunquam verificaretur, quod iſta res, quæ modò eſt conſummata, aliquando fuerit inchoata & in fieri; ſed ſic ſe habent motus calefactionis & ejuſdem terminus, ergo non diſtinguntur tanquam res à re. *Poſterior pars etiam prob.* Nam illa diſtinguntur diſtinctione reali modali, quando unum includit aliquam formalitatem, vel modum, quem non includit alterum, ſed ſic ſe habet motus & terminus ejus ad quem, ergo. *Minor prob.* Quia motus includit hanc formalitatem, quod ſit ens ſucceſſivum & viale, terminus verò, quod ſit ens permanens, ergo.

RESOLVTIO L.

Motus localis non eſt in ſpatio per quod fit Motus, ſed ſubjectatur in mobili.

134 DE augmentatione & alteratione certum eſt apud omnes, eas ſubjectari in mobili, de motu autem locali ſentiunt nonnulli

nulli eum ſubjectari non in mobili, ſed in corpore locante, etſi contrarium doceat Ariſtot. [a] dicens. *Motus actus mobilis eſt, in quantum eſt mobile.* Quod & ipſum aſſerit S. Thom. [b] his verbis. *Quia enim motus eſt actus exiſtentis in potentia, exiſtens autem in potentia eſt mobile, ſequitur quod motus eſt actus mobilis in quantum hujuſmodi.* Probatur ratione. Effectus formalis motus communicatur mobili, non verò ſpatio aut corpori circumſtanti, ergo in mobili & non in alio intrinſecè reperitur motus tanquam in ſubjecto. *Antec. prob.* Nam effectus formalis motus eſt conſtituere rem in via & tendentia, in tranſitu & in acquiſitione formæ, ſed mobile eſt illud, quod eſt in via & acquiſitione formæ, ergo.

135 *Dices.* Terminus eſt extrinſecus mobili, videlicet locus, à quo motus dicitur localis, ergo etiam motus. Antecedens docet S. Thom. [c] dum ait *Mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum ſcilicet locum, ergo Reſp.* Antecedens verum eſſe de termino extrinſeco, qui eſt locus vel ſpatium, non verò de intrinſeco

[a] *hic ca.* 2. [b] *ibid. lect.* 4. *in princ.* [c] 1. *p. q.* 110. *a.* 3.

co motus localis, qui eſt ubi ſeu præſentia ad talem locum, hic enim eſt intrinſecus in re Vbicata, S. Thomas autem loquitur ſolum de termino extrinſeco.

§. 15.

De Actione & Paſſione.

RESOLVTIO LI.

Motus non eſt aliquid ſuperius genericum reſpectu actionis, & paſſionis, ſed habet ſe veluti ſubiectum reſpectu earum.

136 QVia tam actio quam paſſio per motum definiuntur, eſt enim Actio *motus procedens ab agente*, Paſſio verò *motus receptus in paſſo*, ideo merito dubitatur, ſitnè motus eſſentialiter ſuperius quid ad actionem & paſſionem. *Dicimus* illum non eſſe quid ſuperius per modum generis; quia cum actio & paſſio conſtituant duo diverſa prædicamenta & ſuprema genera, nequeunt habere ſupra ſe rationem aliquam communem genericam: ideo-

ideoque ſolummodo comparatur motus ad actionem, & paſſionem, veluti ſubiectum earum *Quo*, non *Quod*: ſicut enim quantitas eſt ſubjectum *Quo* reſpectu aliorum accidentium corporeorum, mediante quã illa in ſubſtantia recipiuntur, ita etiam motus eſt ſubjectum, mediante quo actio, & paſſio inſunt primæ ſubſtantiæ, habent enim ſe ad motum, tanquam conditiones, & affectiones quædam intrinſecæ illius, ad quas ſe habet motus velut ſubjectum *Quo*.

137 *Nec tamen* neceſſarium eſt, quod tribuant ipſi motui ſuam denominationem, ſed ſufficit quod ſubjectum *Quod* ab illis denominetur; ſicut etiam figura, licet ſit in quantitate tanquam in ſubiecto *Quo*, ſuam denominationem tamen ei non tribuit, ſed ſubſtantiæ.

RESOLVTIO LII.

Actio & paſſio non diſtinguuntur inter ſe & à motu realiter tanquam res à re, ſed ſolum modaliter, ſeu realiter formaliter.

138 HAnc reſolutionem, quaſi in terminis docet S. Thom. a cum inquit. *Actio &*

a 1.p.q.45.a.2.ad 2.

& paſſio conveniunt in unica ſubſtantia motus, & differunt ſolùm ſecundùm diverſas habitudines, & ita oportet, quod ſubtracto motu non remaneant niſi diverſa habitudines. Docet ergo, quod motus, actio & paſſio conveniant realiter in una & eadem realitate motus, differant autem realiter formaliter, quatenus quælibet præter entitatem motus quandam ſingularem habitudinem involuit; nam motus eſſentialiter dicit viam, fluxũ, & tẽdentiam ad terminũ; *Actio verò ſecundùm primam nominis impoſitionem importat originem motus* [a] S. Th. eſt enim motus procedens ab agente; paſſio deniq; involuit reſpectũ, & habitudinem ad paſſum, quatenus eſt motus receptus in paſſo.

139. *Prob. nunc prima pars*, quod non diſtinguantur realiter. Nam eodem motu quo agens agit, patiens patitur, cum de ratione motus ſit, non ſolum concernere agens, ſed etiam paſſum, ergo eſt eadem entitas motus, actionis & paſſionis. *Quod* verò realiter formaliter diſtinguantur, etiam probatur. Nam ut aliqua hoc modo diſtinguantur, ſufficit nova modificatio, ſeu reſpicientia, & habitudo ejuſdem realitatis; ſed hæc inveniuntur in tribus prædictis, motus enim dicit formaliter habitudinem viæ, & tendentiæ, actio verò importat eundem

[a] *S. Thom. ſup.*

motum ſecundum rationem originis, & paſſio ſub ratione receptibilis; ergo.

RESOLVTIO LIII.

Actio formaliter tranſiens non eſt in agente, ſed in paſſo tanquam in ſubjecto.

140 IN hac reſolutione diſſentiunt Philoſophi, aliqui enim, etiam ex Thomiſtis exiſtimant cum Cajetano [a] actionem tranſeuntem ſubjectari in ipſo agente, nobis tamen verius videtur dicendum cum S. Thom. [b] Quod *Actio & paſſio eſt in patiente & non in agente, ut in ſubjecto, ſed ſolum ut in principio à quo.* Idem ſæpius repetit alibi. Ratio eſt. Quia actio immanens, & tranſiens adæquatè dividunt actionem ut ſic, ergo conſtituuntur per modos immediatè oppoſitos, ſed actio immanens, hoc ipſo quod eſt immanens, eſt perfectio intrinſeca agentis, & in illo manet, ergo actio tranſiens, hoc ipſo quod eſt traſiens, non eſt perfectio intrinſeca agentis, ac proinde non erit in agente, ſed in paſſo.

141 *Quod ſi* Ariſtot. & D. Thom. quandoque contrarium videantur inſinuare, ut cum Ariſt.

[a] *1 p. q. 25. a. 1.* [b] *de anima l. 3. lect. 2.*

Ariſt.[a] ait: *Actum eſſe in eo cujus eſt actus*, quod etiam S. Thom. variis in locis repetit, *Intelligendi ſunt*, quod ſit in eo cujus eſt actus inchoativè, & tanquam in principio emanationis, non verò tanquam in ſubjecto inhæſionis, ſic enim eſt in paſſo, in quo actio conſummatur.

Dices. Actio non tribuit ſuam denominationem paſſo, ſed agenti, ergo in agente erit inhæſivè, & tanquam in ſubjecto. *Reſp.* Quod actio tranſiens denominet extrinſecè ipſum agens, intrinſecè verò paſſum hâc denominatione, quod ſit effectum actione, nec requiritur quod aliam denominationem tribuat paſſo ob ejus incapacitatem, ſicut ſi per impoſſibile, vel ſupernaturaliter poneretur viſio in lapide, tunc lapis non denominaretur videns, ſed habens viſionem.

142 *Inſtabis.* Actio eſt perfectio agentis, quia eſt actus ſecundus agentis, ergo eſt intrinſeca illi. *Reſp.* Quod ſit perfectio agentis, non quia ei inhæreat, ſed quia per eam producit effectum, quem in ſua virtute continebat, & quia eſt ultima ejus actualitas per modum cauſalitatis, ideoque ſufficit quod procedat ab illo,

[a] 2. *de anima tex.* 24.

illo, nec opus eſt quod agenti intrinſecè inhæreat. Vnde etiam S. Thom. [a] dat differentiam inter actionem tranſeuntem & immanentem, dicitque. *Quod prima non eſt perfectio agentis*, intellige per inhæſionem, *ſed ipſius moti, ſecunda autem actio eſt perfectio agentis.*

§. 16.

De Infinito.

RESOLVTIO LIV.

Naturaliter non datur, neque dari poteſt infinitum in actu, ſive in magnitudine, ſive in multitudine, ſive in intenſione.

143 COlligitur hæc veritas ex S. Scriptura, in qua [b] dicitur. *Omnia feciſti in numero pondere & menſura.* Idem confirmat S. Thom. [c] *Contra rationem facti eſt, quod aliquid creatum ſit ſimpliciter infinitum.* Ratio eſt. Nam quælibet res creata habet finitam & limitatam eſſentiam, quia non poteſt eſſe tam perfecta, ut

a 1. p. q. 18. a. 3. ad 3. b Sap. 11. c 1. p. q. 7. a. 2.

Digitized by Google

ut careat genere & differentia, ſed eſſentia finita & limitata, connaturaliter ſaltem loquendo, finita & determinata poſtulat accidentia, ergo naturaliter non poterit dari aliqua res, quæ ſit infinita aut ſecundum magnitudinem, aut multitudinem, aut ſecundum intenſionem.

Et quamvis defacto detur infinitum in potentia, non tamen ſequitur, quod hoc ſecundum ſe totum debeat reduci ad actum completum, ſed ſufficit, ſi reducatur per ſucceſſionem ad actus incompletos, qui ſemper ſunt admixti potentialitati, per quos quidem potentia eſt in ſatiari, nunquam tamen in ſatiato eſſe, quâ ratione materia eſt in potentia ad infinitas formas.

RESOLVTIO LV.

Implicat contradictionem, quod detur aliqua creatura, quæ ſit infinita in actu, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundum magnitudinem multitudinem, aut intenſionem.

144 PRob. *prima pars.* Nam implicat quod aliqua creatura ſit in aliquo genere,

T 3 &

idemque actus poſſit habere finem bonum & malum, quorum tamen unus ad alterum ordinetur, & ita eſt in illo qui furatur ad dandam eleemoſynam, talis enim ordinat furtum ad dandam eleemoſynam: quod ſi quis nihilominus velit furari, etiamſi non det eleemoſynam, jam ibi adeſt novus actus voluntatis, quo tantùm velit furari.

LIBER TERTIUS.

DE PHYSICA AUSCULTATIONE.

§. 14.

De Quidditate & Natura Motus.

RESOLUTIO XLVII.

Motus definitur ab Ariſtotele, quod ſit actus entis in potentia ſecundùm quod in potentia. a

127 EXplicatis in præcedentibus libris, omnium entium naturalium ſive mobilium

a *l. 3. Phyſ.*

lium principijs, illorumque cauſis tam intrinſecis, quam extrinſecis, ſequitur nunc, ut de communibus proprietatibus eorundem ſermonem habeamus, inter quas præcipua paſſio eſt motus: cujus naturam ut explicemus, prænotare oportet, quod res aliqua conſiderari poſſit in triplici ſtatu, *Primò* in potentia tantùm ſine reductione ad actum; *Secundò* in actu ultimò; *Tertiò*, mediô modô, quando eſt partim in actu, partim in potentia; ſit exemplum in aqua, quæ priuſquam incipiat calefieri, eſt tantùm in potentia, & ad calefieri, & ad calidum eſſe; quandò verò calefit, jam eſt, partim in actu & partim in potentia ad calidum eſſe, ſicque dicitur moveri motu alterationis: quandò verò eſt calida, tunc eſt in actu ultimo, ſicque ceſſat motus, Quò ſuppoſitô explicatur nunc definitio motus per omnes particulas.

128 Dicitur primò *actus*, quia de eſſentia motus eſt, quod ſit veluti forma quędam actuãs ſubjectum, quod movetur; in quo convenit cum alijs formis tam ſubſtantialibus quam accidentalibus, ſumitur autem actus pro actu imperfecto, qui adhuc relinquit mobile in potentia ad ulteriorem actum. Dicitur *ſecundò*. *Entis in potentia*, paſſiva ſcilicet, tam ad ipſum motum

tum

tum antecedenter ad ejus receptionem, quam ad terminum motus poſt ejus receptionem. Dicitur *tertiò, ſecundùm quod in potentia*: per quam particulam datur intelligi, motum taliter relinquere ſubjectum in potentia ad terminum, ut formaliter & ex ſua intrinſeca ratione, quatenus ſcilicet eſt via & actus imperfectus, ordinet, promoveat & ducat mobile ad terminum, in quo differt motus ab alijs formis, quę non ita actuant, ut relinquant ſubjectum in potentia & formali tendentia ad aliud.

RESOLVTIO XLVIII.

Definitio motus tradita non ſolùm convenit mutationibus ſucceſſivis, ſed etiam inſtantaneis.

129 NOmen motus dupliciter uſurpari ſolet. *Primò* ſtrictè, ut ſtet pro ſolis mutationibus ſucceſſivis, quę ſunt inter duos terminos poſitivè oppoſitos, habentes latitudinem non ſtatim, ſed ſucceſſivè pertranſibilem, quomodo generatio, & corruptio motus non ſunt: *Secundò* ſumitur largiùs, pro quacunque phyſica mutatione, ſive ſucceſſiva, ſive inſtanta-

ſtantanea, ſicque ambit ſub ſe omnes ſpecies motus, etiam ipſam generationem ſubſtantialem, corruptionem &c.

130 Et in hac acceptione dicimus Motum ab Ariſtot. fuiſſe definitum, quod fatetur D. Thom. [a] dum inquit. *Accepit nomen motus, ſecundùm quod eſt commune omnibus ſpeciebus mutationis*. Et ratio eſt. Quia mutationes inſtantaneæ ſunt verè actus entis in potentia prout in potentia, ergo. *Prob. Antec.* Nam licet generatio ita actuet ſubjectum, ut in eodem inſtanti ſimul ſint fieri & factum eſſe, noſtrô tamen concipiendi modô cum fundamento in re, prius intelligitur fieri, quàm factum eſſe, adeoque in illo priori intelligitur ſubjectum in actu per generationem, & ſimul in potentià reſpectu termini ad quem, qui per ipſum fieri acquiritur, ergo ſic erit actus entis in potentia prout in potentia.

131 *Dices*. Per mutationem inſtantaneam ſimul acquiritur totus terminus, & non per partes aut gradus, prout contingit in alteratione, augmentatione &c. ergo illa non erit actus entis in potentia prout in potentia. *Reſp*. Quod ut mutationi inſtantaneæ data & explicata definitio

a 5. Phyſic. lect. 2.

finitio motus conveniat, non requiritur, quod illa in tempore aut etiam per partes inducat formam, ſed ſufficit quod mutatio & forma ſint duo actus, forma quidem perfectus, mutatio verò imperfectus & ad formam ordinatus; & præterea quod mutatio, & fieri formæ ſit prius natura, quàm ipſa forma in facto eſſe, ſic enim optimè ſalvatur, quod prius natura conſtituat ſubjectum in actu imperfecto, ordinando illum ad perfectum, quod eſt eſſe actum entis in potentia prout in potentia.

RESOLVTIO XLIX.

Motus eſt quidem realiter entitativè idem cum ſuo termino, diſtinguitur tamen ab eo diſtinctione reali modali.

132 PRiorem partem manifeſtè docet S. Thom. a dum ait. *Ipſe igitur actus imperfectus caloris in calefactibili exiſtens eſt motus, non quidem ſecundum id quod actu tantùm eſt, ſed ſecundùm quod jam in actu exiſtens habet ordinem ad ulteriorem actum.* Accedit & ratio. Nam calor in fieri & fluxu diſtinguitur realiter entitativè

a *l. 3. lect. 2.*

vè à ſeipſo ut in facto eſſe, ſed calor in fieri eſt ipſemet motus calefactionis, & idem ut in facto eſſe eſt terminus ad quem ejuſdem calefactionis, ergo ſunt idem entitativè & realiter.

133 *Præterea.* Res in fieri non eſt diverſa realiter à ſeipſa ut in facto eſſe, aliàs nunquam verificaretur, quod iſta res, quæ modò eſt conſummata, aliquando fuerit inchoata & in fieri; ſed ſic ſe habent motus calefactionis & ejuſdem terminus, ergo non diſtinguntur tanquam res à re. *Poſterior pars etiam prob.* Nam illa diſtinguntur diſtinctione reali modali, quando unum includit aliquam formalitatem, vel modum, quem non includit alterum, ſed ſic ſe habet motus & terminus ejus ad quem, ergo. *Minor prob.* Quia motus includit hanc formalitatem, quod ſit ens ſucceſſivum & viale, terminus verò, quod ſit ens permanens, ergo.

RESOLVTIO L.

Motus localis non eſt in ſpatio per quod ſit Motus, ſed ſubjectatur in mobili.

134 DE augmentatione & alteratione certum eſt apud omnes, eas ſubjectari in mobili, de motu autem locali ſentiunt nonnulli

nulli eum ſubjectari non in mobili, ſed in corpore locante, etſi contrarium doceat Ariſtot.[a] dicens. *Motus actus mobilis eſt, in quantum eſt mobile.* Quod & ipſum aſſerit S. Thom.[b] his verbis. *Quia enim motus eſt actus exiſtentis in potentia, exiſtens autem in potentia eſt mobilè, ſequitur quod motus eſt actus mobilis in quantum hujuſmodi.* Probatur ratione. Effectus formalis motus communicatur mobili, non verò ſpatio aut corpori circumſtanti, ergo in mobili & non in alio intrinſecè reperitur motus tanquam in ſubjecto. *Antec. prob.* Nam effectus formalis motus eſt conſtituere rem in via & tendentia, in tranſitu & in acquiſitione formæ, ſed mobile eſt illud, quod eſt in via & acquiſitione formæ, ergo.

135 *Dices.* Terminus eſt extrinſecus mobili, videlicet locus, à quo motus dicitur localis, ergo etiam motus. Antecedens docet S. Thom.[c] dum ait *Mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum ſcilicet locum, ergo Reſp.* Antecedens verum eſſe de termino extrinſeco, qui eſt locus vel ſpatium, non verò de intrinſe-

co

[a] *hic ca.* 2. [b] *ibid. lect.* 4. *in princ.* [c] 1. *p. q.* 110. *a.* 3.

co motus localis, qui eſt ubi ſeu præſentia ad talem locum, hic enim eſt intrinſecus in re Vbicata, S. Thomas autem loquitur ſolum de termino extrinſeco.

§. 15.

De Actione & Paſſione.

RESOLVTIO LI.

Motus non eſt aliquid ſuperius genericum reſpectu actionis, & paſſionis, ſed habet ſe veluti ſubiectum reſpectu earum.

136 QVia tam actio quam paſſio per motum definiuntur, eſt enim Actio *motus procedens ab agente*, Paſſio verò *motus receptus in paſſo*, ideo merito dubitatur, ſitnè motus eſſentialiter ſuperius quid ad actionem & paſſionem. *Dicimus* illum non eſſe quid ſuperius per modum generis; quia cum actio & paſſio conſtituant duo diverſa prædicamenta & ſuprema genera, nequeunt habere ſupra ſe rationem aliquam communem genericam: ideo-

ideoque ſolummodo comparatur motus ad actionem, & paſſionem, veluti ſubiectum earum *Quo*, non *Quod*: ſicut enim quantitas eſt ſubjectum *Quo* reſpectu aliorum accidentium corporeorum, mediante quã illa in ſubſtantia recipiuntur, ita etiam motus eſt ſubjectum, mediante quo actio, & paſſio inſunt primæ ſubſtantiæ, habent enim ſe ad motum, tanquam conditiones, & affectiones quædam intrinſecæ illius, ad quas ſe habet motus velut ſubjectum *Quo*.

137 *Nec tamen* neceſſarium eſt, quod tribuant ipſi motui ſuam denominationem, ſed ſufficit quod ſubjectum *Quod* ab illis denominetur; ſicut etiam figura, licet ſit in quantitate tanquam in ſubiecto *Quo*, ſuam denominationem tamen ei non tribuit, ſed ſubſtantiæ.

RESOLVTIO LII.

Actio & paſſio non diſtinguuntur inter ſe & à motu realiter tanquam res à re, ſed ſolum modaliter, ſeu realiter formaliter.

138 HAnc reſolutionem, quaſi in terminis docet S. Thom. a cum inquit. *Actio &*

a 1.p.q.45.a.2.ad 2.

& paſſio conveniunt in unica ſubſtantia motus, & differunt ſolùm ſecundùm diverſas habitudines, & ita oportet, quod ſubtracto motu non remaneant niſi diverſæ habitudines. Docet ergo, quod motus, actio & paſſio conveniant realiter in una & eadem realitate motus, differant autem realiter formaliter, quatenus quælibet præter entitatem motus quandam ſingularem habitudinem involuit; nam motus eſſentialiter dicit viam, fluxũ, & tẽdentiam ad terminũ; *Actio verò ſecundùm primam nominis impoſitionem importat originem motus* [a] S. Th. eſt enim motus procedens ab agente; paſſio deniq; involuit reſpectũ, & habitudinem ad paſſum, quatenus eſt motus receptus in paſſo.

139. *Prob. nunc prima pars*, quod non diſtinguantur realiter. Nam eodem motu quo agens agit, patiens patitur, cum de ratione motus ſit, non ſolum concernere agens, ſed etiam paſſum, ergo eſt eadem entitas motus, actionis & paſſionis. *Quod* verò realiter formaliter diſtinguantur, etiam probatur. Nam ut aliqua hoc modo diſtinguantur, ſufficit nova modificatio, ſeu reſpicientia, & habitudo ejuſdem realitatis; ſed hæc inveniuntur in tribus prædictis, motus enim dicit formaliter habitudinem viæ, & tendentiæ, actio verò importat eundem

[a] *S. Thom. ſup.*

motum ſecundùm rationem originis, & paſſio ſub ratione receptibilis, ergo.

RESOLVTIO LIII.

Actio formaliter tranſiens non eſt in agente, ſed in paſſo tanquam in ſubjecto.

140 IN hac reſolutione diſſentiunt Philoſophi, aliqui enim, etiam ex Thomiſtis exiſtimant cum Cajetano [a] actionem tranſeuntem ſubjectari in ipſo agente, nobis tamen verius videtur dicendum cum S. Thom. [b] Quod *Actio & paſſio eſt in patiente & non in agente, ut in ſubjecto, ſed ſolum ut in principio à quo.* Idem ſæpius repetit alibi. Ratio eſt. Quia actio immanens, & tranſiens adæquatè dividunt actionem ut ſic, ergo conſtituuntur per modos immediatè oppoſitos, ſed actio immanens, hoc ipſo quod eſt immanens, eſt perfectio intrinſeca agentis, & in illo manet, ergo actio tranſiens, hoc ipſo quod eſt traſiens, non eſt perfectio intrinſeca agentis, ac proinde non erit in agente, ſed in paſſo.

141 *Quod ſi* Ariſtot. & D. Thom. quandoque contrarium videantur inſinuare, ut cum Ariſt.

a *1 p. q. 25. a. 1.* b *de anima l. 3. lect. 2.*

Ariſt. [a] ait. *Actum eſſe in eo cujus eſt actus*, quod etiam S. Thom. varijs in locis repetit, *Intelligendi ſunt*, quod ſit in eo cujus eſt actus inchoativè, & tanquam in principio emanationis, non verò tanquam in ſubjecto inhæſionis, ſic enim eſt in paſſo, in quo actio conſummatur.

Dices. Actio non tribuit ſuam denominationem paſſo, ſed agenti, ergo in agente erit inhæſivè, & tanquam in ſubjecto. *Reſp*. Quod actio tranſiens denominet extrinſecè ipſum agens, intrinſecè verò paſſum hâc denominatione, quod ſit effectum actione, nec requiritur quod aliam denominationem tribuat paſſo ob ejus incapacitatem, ſicut ſi per impoſſibile, vel ſupernaturaliter poneretur viſio in lapide, tunc lapis non denominaretur videns, ſed habens viſionem.

142 *Inſtabis*. Actio eſt perfectio agentis, quia eſt actus ſecundus agentis; ergo eſt intrinſeca illi. *Reſp*. Quod ſit perfectio agentis, non quia ei inhæreat, ſed quia per eam producit effectum, quem in ſua virtute continebat, & quia eſt ultima ejus actualitas per modum cauſalitatis, ideoque ſufficit quod procedat ab illo,

[a] 2. *de anima tex*. 24.

illo, nec opus eſt quod agenti intrinſecè inhæreat. Vnde etiam S. Thom. [a] dat differentiam inter actionem tranſeuntem & immanentem, dicitque. *Quod prima non eſt perfectio agentis*, intellige per inhæſionem, *ſed ipſius moti, ſecunda autem actio eſt perfectio agentis*.

§. 16.

De Infinito.

RESOLVTIO LIV.

Naturaliter non datur, neque dari poteſt infinitum in actu, ſive in magnitudine, ſive in multitudine, ſive in intenſione.

143 COlligitur hæc veritas ex S. Scriptura, in qua [b] dicitur. *Omnia feciſti in numero pondere & menſura.* Idem confirmat S. Thom. [c] *Contra rationem facti eſt, quod aliquid creatum ſit ſimpliciter infinitum.* Ratio eſt. Nam quælibet res creata habet finitam & limitatam eſſentiam, quia non poteſt eſſe tam perfecta, ut

[a] 1. *p.* q. 18. *a.* 3. *ad* 3. [b] *Sap.* 11. [c] 1. *p.* q. 7. *a.* 2.

ut careat genere & differentia, ſed eſſentia finita & limitata, connaturaliter ſaltem loquendo, finita & determinata poſtulat accidentia, ergo naturaliter non poterit dari aliqua res, quæ ſit infinita aut ſecundùm magnitudinem, aut multitudinem, aut ſecundùm intenſionem.

Et quamvis de facto detur infinitum in potentia, non tamen ſequitur, quod hoc ſecundum ſe totum debeat reduci ad actum completum, ſed ſufficit, ſi reducatur per ſucceſſionem ad actus incompletos, qui ſemper ſunt admixti potentialitati, per quos quidem potentia eſt in ſatiari, nunquam tamen in ſatiato eſſe, quâ ratione materia eſt in potentia ad infinitas formas.

RESOLVTIO LV.

Implicat contradictionem, quod detur aliqua creatura, quæ ſit infinita in actu, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundum magnitudinem multitudinem, aut intenſionem.

144 PRob. *prima pars;* Nam implicat quod aliqua creatura ſit in aliquo genere,

& non ſit in aliquo genere, quod conſtet genere, & differentia, & non conſtet; ſed ſi daretur aliqua ſubſtantia infinita, illa eſſet in aliquo genere, & non eſſet, conſtaret genere & differentia; & non conſtaret, ergo implicat. *Minor prob.* Inprimis non conſtaret, uti ſupponitur, quia eſſet infinita, nullisque clauderetur terminis, conſtaret autem genere & differentia, quia eſſet creata & univoce conveniret cũ alijs ſubſtantijs creatis, ergo. Alias partes expreſsè docet, S. Thom. a ita inquiens. *Impoſſibile eſt aliquod corpus naturale infinitum eſſe ſecundum magnitudinem; aut eſſe multitudinem infinitam actu etiam per accidens*: & eadem ratio eſt de intenſione, hæc enim omnia exigunt eſſentiam illimitatam & infinitam; quæ cum ſit impoſſibilis, etiam accidentia impoſſibilia erunt.

145 *Sed ais.* Potentiæ infinitæ debet correſpondere effectus infinitus, ſed potentia Dei actu eſt infinita, igitur etiam ſaltem aliquis ejus effectus actu infinitus eſſe debet. *Reſp.* quod ut ſalvetur infinitas potentiæ, non requiritur, quod effectus in ſe ſit infinitus, ſed ſatis eſt quod producatur ex nihilo, qui modus producendi infinitam virtutem exigit.

Quod

a *loc. cit. a. 3.*

Digitized by Google

Quod ſi verò per impoſſibile darentur aliqua infinita, eſſetnè unum majus altero? Reſp. Vnum infinitum non fore majus alterô formaliter, infinitum enim eſt quod caret terminis, in quo non detur magis & minus; foret autem unum majus alterô materialiter, ut ſi eſſet infinita multitudo camelorum, eſſet infinities major numerus pilorum & crinium, utraque tamen multitudo foret infinita & careret terminis.

LIBER QVARTVS.

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 17.

De Natura & quidditate Loci.

RESOLVTIO LVI.

Locus eſt ſuperficies ultima, & immobilis corporis continentis. a

146 EXplicatis in priori libro proprietatibus intrinſecis entis naturalis, agen.

a *Ariſt. 4. phyſ. tex. 41. D. Th. opus 52.*

gendum nunc eſt in hoc libro de extrinſecis, ut de Loco, Vacuo, & Tempore. Eſt autem Locus multiplex, *Alius*, intrinſecus, & eſt ipſum Vbi, quod à loco extrinſecè circumſcribente mobili advenit: *Alius* extrinſecus, qui eſt corpus, vel ſuperficies, quâ circumſcribitur, & continetur ipſum locatum. *Item alius* eſt communis, in quo plura eſſe ſimul poſſunt, ut Eccleſia: *Alius* proprius, in quo res unica continetur, ut ſuperficies aëris, quę unicum ſolum hominem circumſcribit & undique contingit. *Item alius* realis, eſt quę vera & realis continentia ſeu ſuperficies corporis continentis: *Alius* imaginarius, & eſt imaginaria ſuperficies, quâ corpus, quod à nullo alio corpore continetur, ambiri concipitur, quomodo cælum empyreum poteſt ambiri à loco imaginario: quo ſuppoſito.

1 7 Explicatur nunc definito Loci tradita. Dicitur in primis *ſuperficies*, quæ particula ponitur loco generis, eſt enim aliquid commune ad alias ſuperficies, quæ non ſunt locus, licet non ſit aliquid commune per modum generis, ſed ſubjecti tantùm reſpectu continentiæ & immobilitatis, quia non contrahitur per hæc ad certam aliquam ſpeciem quantitatis. Dicitur, *Vltima*, quia corpus continens, v. g. aër

duas habet ſuperficies, una eſt ſuperior verſus elementum ignis, & vocatur convexa, alia eſt inferior, & vocatur concava, & in hac dicimus conſiſtere locum, quia eſt ea, quæ immediatè ambit & circumſcribit locatum, eique adæquatur & continguatur. Dicitur *Immobilis*, quæ particula propriam & ultimam differentiam loci importat, per hanc enim diſtinguitur locus à ſuperficie vaſis continentis intra ſe aliquod corpus, quia eſto hæc ſit ultima, mobilis tamen eſt, eo quod cum tali corpore moveatur, locus autem debet eſſe immobilis, quia aliàs, ut bene arguit S. Thom. [a] locus eſſet in loco, quia quod movetur localiter, in loco eſſe debet. Dicitur, *Corporis continentis*, quæ particula ſignificat hanc ſuperficiem continere locatum ut *Quo*, corpus verò cui eſt conjuncta, ut *Quod*. Ly *continentis* denotat continentiam actualem, quod ex eo colligitur, quia Vacuum, quod eſt privatio loci, ſolùm negat catentiam actualem: non aptitudinalem: *Cui non* obeſt, quod verba in definitione non dicant actum, ſed potentiam; *Id enim* verum eſt; quando res quæ definitur, eſt diviſibilis in actum & potentiam, non verò qando conſiſtit in actu veluti ſecundo. RE-

a *opuſc. 52.*

Digitized by Google

RESOLVTIO LVII.

Locus conſideratus ſecundùm formalem ſuam rationem, eſt ſimpliciter immobilis.

148 DVobus modis conſiderari poteſt locus, Vno modo materialiter, ſecundum quod dicit rationem ſuperficiei præcisè, Aliô modô formaliter, ut ſcilicet connotat ordinem ſive diſtantiam ad cælum tanquam ad primum locans, & ad partes præcipuas univerſi maximè fixas & ſtabiles, puta ad polos mundi & ad centrum terræ, quatenus tot vel tot gradibus ab illis diſtat. *Si ergo* loquamur de loco materialiter, ille indubie variabilis & mutabilis eſt, quia ſic importat ſuperficies quæ fluunt & refluunt: *ſi verò* ſumatur formaliter Locus pro relatione diſtantiæ ad polos mundi & centrum terræ, ſic dicimus illum eſſe immobilem, v. g. baculus fixus in Danubio, etſi circa illum continuò aliæ, & alię aquarum ſuperficies fluant & refluant, quæ conſtituunt locum baculi materialem, ille tamen quamdiu ita fixus manet, non mutat locum formaliter, eo quod ſemper maneat ſub eadem diſtantia ad polos mundi: & hâc ratione aſſerimus locum eſſe immo-

immobilem, *quod probatur.* Nam ſi locus in quo nunc ſum, & ab aëre circumſcribor, eſſet mobilis, ſequeretur quod moveri poſſem localiter, abſque eo quod mutem locum, ſed hoc inducit manifeſtam repugnantiam, ergo. *Sequela prob.* Nam ſi locus circumſcribens & ambiens me eſſet mobilis, poſſet mecum moveri, ſed in hoc caſu non mutarem locum, ergo. Videnda ſunt ea quæ diximus ſupra. [a]

RESOLVTIO LVIII.

Quamvis duo corpora naturaliter in uno & eodem loco circumſcriptivè eſſe non poſſint, non tamen implicat, quin id ſupernaturaliter fieri poſſit.

149 PRior pars fundatur in eo, quod duo corpora naturaliter ſe invicem penetrare nequeant, quia impenetrabilitas eſt propria paſſio quantitatis, quæ naturaliter ei debetur, neq; ab ea ſeparari poteſt; hinc videmus quod unum corpus non ſubeat locum alterius, niſi eo recedente, ergo naturaliter nequit fieri, quod duo corpora ſint in eodem loco. *Poſteriorem*

[a] *l. 1. §. 6. reſol. 21. n. 52.*

rem partem. docent plurima myſteria noſtræ fidei, utpote Nativitas, Reſurrectio & Aſcenſio Chriſti Domini, credimus enim Chriſtum Dominum egreſſum ex utero Virginali, clauſis clauſtris virgineis Beatiſſimæ Matris; *Item* in Reſurrectione exiiſſe de ſepulchro clauſo & obſerato; *Item* in Aſcenſione ſuper omnes cælos aſcendiſſe, non dividendo, ſed penetrando eos, ut teſtatur Apoſtolus [a] dicens. *Habentes Pontificem qui penetravit cælos, filium Dei.* Ergo ſupernaturaliter fieri poteſt, ut duo corpora ſint in eodem loco, quod quidem eâ ratione contingit, quod Deus impediat effectum ſecundarium quantitatis unius corporis, qui eſt extenſio & ſitualis collocatio partium in ordine ad locum, quô factô unum corpus in terminos alterius ſubintrare poterit.

[a] *ad Hebr. 4.*

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO LIX.

Implicat contradictionem unum idemque corpus retentâ eadem numero quantitate eſſe circumſcriptivè in pluribus locis adæquatis, & totalibus.

150 HÆc reſolutio multis eſt lapis offenſionis & petra ſcandali, mirantur enim nonnulli eam placuiſſe D. Thomæ & D. Bonaventuræ. *Alij* eam, velut minùs congruentem catholicæ fidei reijciunt, quaſi verò minus catholicus ſit, qui D. Thomæ veſtigia ſectatur, quàm qui ab ejus doctrina recedit, cùm potiùs qui eam impugnaverit, fuerit ſemper de veritate ſuſpectus, inquit Summus Pontifex Ioannes 22. Nos igitur inhærentes veſtigijs noſtri Angelici Præceptoris; Probamus in primis noſtram reſolutionem ex verbis ejuſdem, ſic enim ait. [a] *Dicendum quod unum corpus eſſe ſimul localiter in duobus locis, non poteſt fieri per miraculum, quamvis miraculosè fieri poſſit quod duo corpora ſint in eodem loco. Nam quod idem corpus ſit ſimul localiter in diverſis locis, includit con-*

a *in 4. d. 44. q. 2. a. 2. quæſtiuncula 3. ad 4.*

contradictionem, ſicut quod homo careat ratione. Item alibi ſic dicit. * *Corpus eſſe in duplici loco circumſcriptivè, eſt ponere duo contradictoria eſſe ſimul.*

151. Probatur etiam ratione *primò*, impugnando ſimul fundamentum adverſariorum. Nam ſi unum idemque corpus ſervatâ eâdem quantitate poſſet poni in duobus locis circumſcriptivè; eſſet maximè ideò, quia difficilius eſt ponere unum corpus in duplici loco in uno cum extenſione, & in alio ſine eâ, prout de facto corpus Chriſti eſt in cælo, & in Venerabili Sacramento, quàm in utroque poni cum extenſione, & circumſcriptivè; ſed hæc ratio planè nulla eſt; ergo etiamſi unum corpus poni poſſit in duplici loco, in uno circumſcriptivè & cum extenſione, & in alio ſine extenſione, non tamen poterit poni in utroque circumſcriptivè. *Major* eſt oppoſitum tenentium, ut paſſim in theſibus videre eſt. *Minor verò prob.* Nam multò difficiliùs eſt idem corpus poni in pluribus locis ſecundùm eandem rationem, quàm ſecundùm diverſam; ſed ponere unum corpus in pluribus locis circumſcriptivè, eſt ponere illud ſecundùm eandem rationem, id eſt,

* *quodlib. 4. ad 3.*

eſt, ſub ratione extenſionis partium ad locum, ponere autem idem corpus in uno loco circumſcriptivè & cum extenſione, in alio autem ſine extenſione, eſt ponere illud in pluribus locis ſecundùm diverſam rationem, uti conſtat, ergo. *Major explicatur.* Nam multò difficilius eſt, imò impoſſibile, quod idem corpus moveatur motibus contrarijs, quorum uterque ſit per ſe, quàm ſi uno per ſe & altero per accidens moveatur, uti in navi contingere poteſt, ergo ſimiliter multò difficiliùs eſt ponere idem corpus in pluribus locis, ita ut in utroque ſit per ſe, & ab illis per ſe ratione propriæ extenſionis circumſcribatur, quàm, ſi in uno ſolùm ſit per ſe & ratione propriæ extenſionis, in alio verò ſine extenſione, & per accidens à loco circumſcribatur, prout Corpus Chriſti in Venerabili ratione ſpecierum circumſcribitur, etſi in cælo per ſe à loco ratione propriæ extenſionis ambiatur.

152 *Probatur ſecundò.* Si unum corpus poſſet poni in duobus locis, tunc etiam fieri poſſet, quod idem corpus, ſi poneretur in loco ſibi immediato, eſſet ſibi ipſi contiguum, & ſi poneretur in loco à ſe remoto, à ſeipſo eſſet diſtans; ſed hoc implicat fieri manente eâdem quanti-

 tate,

Digitized by Google

tate, ergo involuit contradictionem, quod idem ipſum corpus retentâ eadem quantitate ponatur in pluribus locis. *Minor prob.* Nam ut aliqua inter ſe ſint, & dicantur contingua, debent habere diverſam quantitatem, ſi enim unam quantitatem habeant, erunt continua: ſimiliter cum diſtantia dicatur per reſpectum ad locum, occupatio autem loci non fiat niſi mediâ quantitate, ubi eſt diverſa occupatio loci, erit etiam neceſſariò diverſa quantitas, ergo manente eâdem quantitaté fieri non poteſt &c. *Confirmatur.* Ex eodem capite ſequeretur, quod unum idemque corpus in eodem loco ſimul & ſemel poſſet eſſe ſępius, non minus quam dum eſſet in pluribus, imò infinitis locis: *Item* quod ejuſdem corporis ad ſeipſum in eodem loco daretur penetratio, ſed hæc omnia manifeſtam inducunt implicantiam, ergo.

353 *Probatur tertiò* à pluribus contradictionibus, abſurdis & inconvenientijs, quę ex oppoſita ſententia ſequuntur, videlicet, quod eſſet idem corpus & non eſſet idem corpus, quod comprehenderetur ab uno loco & non comprehenderetur, Quod attributa & accidentia ſaltem abſoluta, ut ſunt frigere, calerę, mori aut vivere, comedere, dormire, quæ con-

conveniunt corpori in uno loco, etiam convenirent ei in altero, adeoque ſi Romę dormiret, etiam alibi in ſummis delitijs exiſtens dormiret, ſi Romæ frigeret, etiam alibi igni vicinus aſtans frigeret, aliaque multa in quibus ſolvendis nec ipſi autores ſententiæ contrariæ conveniunt, ergo.

154 *Obijcies I.* Defacto ita contigit, quod unum corpus fuerit in duobus locis, ut cum Chriſtus apparuit D. Paulo, eumque convertit, quo tempore Chriſtus etiam à cælo non receſſit, neque inde recedet, donec finiatur ſæculum, ut inquit S. Auguſtinus. Ergo fuit tunc Chriſtus in duobus locis circumſcripitivè.

I I. Non eſt major ratio, quare idem corpus Chriſti poſſit eſſe in cęlô modô quentitativô, & in myſterio Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini modo ſacramentali, & non etiam quantitatiuè & circumſcriptivè, quod enim corpus Chriſti ſub iſtis ſpeciebus non ſit extenſum, eſt miraculum, ergo ceſſante miraculo corpus Chriſti erit extenſum, ſic que erit in duplici loco adæquato modô quantitativô.

155 Ad primam objectionem admittitur cum D. Thoma [a] Chriſtum Paulo corporaliter

V ap-

[a] 3. *p. q.* 57. *a.* 6. *ad* 3.

apparuiſſe; an verò hæc apparitio contigerit in aere, ſcriptura non memorat, ſed ſolùm lumen de cælo circumfulſiſſe eum, potuit enim vidiſſe Chriſtum, quemadmodum Stephanus cælos apertos vidit & Ieſum ſtantem à Dextris virtutis Dei. *Conceſſo* tamen quod in aere facta ſit hęc apparitio, tunc dicendum eſt ad D. Auguſtinum, quod ſurſum eſt Dominus donec ſæculum finiatur, quantum ad habitationem in loco ſibi debito ad gloriam & honorem, ſicut debetur Regiæ Majeſtati thronus & ſedes regia, inde tamen non ſequitur, quod ibidem debeat eſſe alligatus, & cælum habere velut pro carcere, ut ſe inde movere non poſſit: nec ejuſdem localis motio derogat ſuæ Majeſtati, ſicut nec gloriæ Sanctorum; qui æque videbunt corpus ejus, etiamſi deſcenderit in hunc mundum inferiorem.

156 Ad III. objectioné patet ex prima ratione, eſt enim multò major repugnanti, habere duplicem præſentiam quantitativam, quam unam quantitativam & ſacramentalem aliam, hęc enim convenit corpori Chriſti non ratione propriarum dimenſionum, eſt enim ſub ſpeciebus inextenſum & totum in tota hoſtia, atque etiam in qualibet ejus minima particula, ex

quo

quo talis repugnantia & contradictio non infertur, quia ſic ponitur in pluribus locis; non ſecundum idem, & ſecundum propriam dimenſionem, quam ibi non habet, ſed ſecundum dimenſiones accidentium & ſpecierum toties multiplicatarum: è contra autem eſt manifeſta contradictio, quod manente eâdem quantitativa extenſione, corpus à pluribus locis circumſcribatur. Videatur S. Thom. a

§. 17.

De Vacuo.

RESOLVTIO LX.

Virtute naturali nequit dari Vacuum in rerum natura.

157 **V**Acuum apud S. Thom. b duobus modis uſurpatur, ſemel negativè & impropriè, ita quod neque de formali, neque de materiali aliquid poſitivum dicat, quâ ratione potiùs inane, quàm vacuum dici debet, quia nec corpus contentum, nec corpus continens includit:

V 2

a 3. p. q. 78. a. 8. & quodl. 3. a. 2. b in 2. d. 1. q. 1. a. 5. ad 4.

Digitized by Google

includit: *Secundò* ſumitur privativè, & propriè pro vacuo alicuius rei aptę habere intra ſe corpus, prout v. g. tubus aliquis poteſt dici vacuus, ſi nec aërem, nec aquam, nec aliud quidpiam intra ſe contineat. Et Vacuum in hac acceptione definitur ab Ariſt. [a] *Quod ſit locus non repletus corpore*. Addunt quidam has particulas, *aptus tamen repleri*, quæ tamen ſuperfluæ videntur, quia hoc ipſo quod dicitur, *eſſe locus*, deſignatur aptitudo ad repletionem. De hoc igitur Vacuo in præſenti loquimur, dicimuſque illud non ſolùm de facto non dari intra univerſum, ſed nec etiam dari poſſe quâcunque virtute creatâ. Cujus ratio eſt.

158 Quia in natura nulla eſt virtus, cui omnia corpora obtemperent ad cōſtituendum Vacuum, & ad cujus nutum partes univerſi à natura colligatæ contra proprias inclinationes diſſolvantur; ergo id virtute naturali fieri non poteſt. Antecedens pręterquam quod inſinuetur in Sacra Scriptura [b] his verbis. *Quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* etiam *prob. ratione*. Nam illa virtus vel eſt particularis, vel eſt communis; ſi eſt particularis, nequit vincere incli-

nationem

[a] *l. 4. Phyſ. c. 7.* [b] *Iob. 34.*

nationem univerſalem, quâ quælibet res propendet ad tollendum vacuum; ſi verò eſt communis, jam non reſpicit deſtructionem, ſed conſervationem boni communis, contra quod etiam vacuum foret.

159 *Adverſus* hanc philoſophicam à condito orbe nunquam impugnatam veritatem inſurgunt hâc ętate viri celeberrimi, ijque doctiſſimi, nullum non lapidem moventes, ut eam, etiam coram Regibus & Principibus non modò labefactent, verùm etiam penitùs è medio tollant, & funditùs eliminent, quem in finem exhibent experimentum in fiſtula vitrea duorum cubitorum longa, repleta mercuriô ſeu argentô vivô, orificium ſupernum occludunt ſigillo Hermetis, infernum autem obturant digitô vehementer applicatô, eamque deinde erigunt ſuper orificio ita obturato, atque immergunt argento vivo indito vaſi congruo, quod vas pariter erat immerſum vaſi repleto aquis, ita ut aquæ emineant ſuper argentum vivum digitis quatuor, deinde digitô remotò, Mercurius eodem momentô ſuopte pondere præcipitatur per canalem fiſtulæ, ita ut inferior pars fiſtulæ poſt aliquot vibrationes mercurij videatur longior cubitô unô plena

Dices. Admittendo ibidem eſſe lumen, ſed negabis non eſſe vacuum, quia vacuum eſt locus non repletus corpore, cum ergo in illa parte fiſtulæ non ſit corpus aliquod, ut tu aſſeris, aisque id ad oculum patere; erit illa vacua.

162 *Sed contra* efficaciter ſic inſto & refello hanc ſolutionem ex tuiſmet verbis. *Primò*, nam fol. 82. ais, ſive lumen in Vacuo ſit forma accidentalis, ſive ſubſtantialis, tuas tamen concluſiones, videlicet quod *ſit ex nihilo, quod forma ſenſibilis ſit ſeparata à materia, & quod non detur materia prima Ariſtotelica*, ex fiſtula inferri. Ponamus ergo lumen in vacuo tuo putativo eſſe formam ſubſtantialem, utique non ſpiritualem, ſed corporalem, cum obijciatur oculis corporeis, qua ratione, quâve veritate ſuſtineri poterit, eſſe reipſâ vacuum id, quod formâ corporali ad oculum expletur.

163 *Secundò admiſſo*, lumen eſſe formam accidentalem, prout revera eſt, tunc ſic inſtatur: Quando definitur Vacuum, quod ſit locus non repletus corpore, non eſt ibi ſermo de corpore de genere ſubſtantiæ, illud enim cũ ſit ex ſe indiviſibile & inextenſum, per nullam potentiam capax eſt replere locum, eſt ergo ſermo de cor-

ctenus ab univerſis Philoſophis judicatum fuit, naturali virtute fieri non poſſe, ut accidens ſeparetur à ſubjecto, ergo ſi iſtæ trinę dimenſiones, quæ ſunt accidentia, reperiri poſſunt in lumine, ſine ſubjecto corpore de genere ſubſtantię, ut ſibi iſti autores mordicus perſuadent, jam ipſum erit ſupervacaneum, imò prorſus inutile tanquam quid indiviſibile, & in extenſum ad replendum Vacuum, adeoque dabitur occupatio loci ſine corpore de genere ſubſtantiæ.

166 *Confirmo* denique quintò hoc ipſum evidentiſſimè. Nam ponamus per hypotheſin, quod in illo tubo vel fiſtula reipsâ detur vacuum, & quod in illa divinâ virtute vel aliâ ponantur ſpecies ſacramentales, ita ut totum illud ſpatium expleant. Iam quæro an ibi eſſet vacuum? vel non? primùm, niſi deſipias omnino, non dices, quandoquidem ad oculum appareret totum illud ſpatium eſſe repletum illis ſacris ſpeciebus, ergo debebis aſſerere ſecundum, ſcilicet, quod nullum ibi ſit vacuum. Ex quo jam *ſic argumento*. In illo tubo vel fiſtula pro ea parte, quæ eſt repleta ſacris illis ſpeciebus non datur vacuum, ergo neque dabitur vacuum dum erit plena lumine. Antecedens eſt cer-

certiſſimum, ſicut enim aliquis contra omnem rationem ſentiret, qui diceret in ciborio repleto illis ſacris ſpeciebus eſſe vacuum, ita quoque contra lumen rationis naturalis ſentiret, qui aſſereret in alia fiſtula pro ea parte quæ eſt repleta ſpeciebus ſacramentalibus eſſe Vacuum. *Sed probo conſeq.* Non ideò in illa fiſtula quæ eſt repleta ſpeciebus ſacramentalibus non eſt vacuum, quia corpus Chriſti expleat & repleat illud ſpatium, cum ſit indiviſibile totum & integrum exiſtens in qualibet minutiſſima particula ſine ulla extenſione, ſed quia illa ſacra accidentia fiſtulæ impoſita habent extenſionem ſecundùm trinam illam ſupra memoratam dimenſionem, ratione quarum adæquantur ſpatio & loco illi; ſed etiam lumen, quod, uti ipſi dicunt, cernunt in loco vacuo, eſt extenſum, habens trinam dimenſionem, quæ conſtituunt corpus de genere quantitatis, & ratione quarum lumen adæquatur loco, ergo nullum penitus erit ibi vacuum, ſed locus repletus corpore de genere quantitatis.

167 Sed laceſſitus hâc ratione forſitan dices; ad minus reperiri ibidem accidens ſine ſubjecto etiam ex nihilo ſubjecti productum, quia negas, *productionem ex nihilo ſubjecti convenire*

ſoli

ſoli Deo. [a] Verùm mi Philoſophe, hac ipſa tua principia ſunt talia, qualia hactenus nullus Philoſophorum Chriſtianorum ſomniavit, quævè meritò horrere debemus tanquam periculoſa aſſerta. Ad quid enim Eccleſia Catholica à prima ſua origine ſemper cenſuit conſiſtentiam accidentium in Venerabili Sacramẽto ſine ſubjecto eſſe maximè miraculoſam, ſi tu ſimilem efficere poſſit tuâ virtute? Sed ais, verum eſſe quod ſit, *communis ſententia omnium Catholicorum, quod ſit naturaliter impoſſibile accidentia ſubſiſtere ſine ſubjecto, non tamen quia id definierit Eccleſia, ſed quod Philoſophi ſit ſentiãt & doceant: quapropter ſi ea Philoſophorum ſententia dignoſcatur falſa, non peccamus contra fidem, negando illam ſubſiſtentiam fieri per miraculum.* Ita formaliter fol. 71.

168 *At nos aliter* ſentimus, dicimuſque eſſe communem ſententiam inter Catholicos, naturaliter eſſe impoſſibile accidentia ſubſiſtere ſine ſubjecto, non quia Philoſophi ſic ſentiant aut doceant, ſiquidem minima pars Catholicorum hanc ſententiam novit, aut etiam intelligit, ſed quia Eccleſia [b] definit, *accidentia panis & vini remanere ſine ſubiecto*, inde enim ex

[a] *fol. 71.* [b] *in Conc. conſt. ſeſſ. 8 & Trid. ſeſ. 33.*

Digitized by Google

ex conſequenti etiam ipſi Philoſophi, qui ejuſmodi myſterium & miraculum agnoſcant, inferunt, talium accidentium conſiſtentiam ſine ſubjecto naturaliter eſſe impoſſibilem, quia hæc eſt ſupernaturalis & miraculoſa. *Nec hoc* mirum eſſe debet, nam etiam ex eo, quod fides Catholica docet in aſſumptione humanæ naturæ Chriſti ad Verbum Divinum fuiſſe ſeparatam propriam perſonalitatem humanitatis, inde à poſteriori colligit Phyloſophus Chriſtianus, quod ſubſiſtentia in creaturis realiter diſtinguatur à natura, quod aliàs vix per rationem naturalem fuiſſet cognoſcibile aut inveſtigabile.

169 *Quapropter* firmiter aſſerendum eſt aut accidentia illa, quæ in fiſtula conſpiciuntur, inhærere ſubjecto, aut ſubſiſtentiam accidentium in Venerabiliſſimo Sacramento non eſſe miraculoſã: quod ſic deduco: Nam juxta doctrinã Angel. Doct. [a] miraculũ, *propriè illud dicatur, quod fit præter ordinẽ totius naturæ creatæ?* Illud non erit miraculũ, quod virtute aliqua particulari fieri poteſt; atqui accidentia exiſtere ſine ſubjecto fieri poteſt virtute aliqua particulari, nimirũ tuâ, ut opinaris, ergo nõ erit miraculũ, ſi exi-

[a] *1. p, q. 110. a. 4. in corp. & ad 2.*

exiſtant in Venerabili Sacramento ſine ſubjecto, quod dicere nefas eſt, ergo aſſerendum eſt primum, quod ſcilicet accidentia illa & lumen in fiſtula inhæreat cuidam ſubjecto.

170 *Quod autem* & quale ſit illud ſubjectum, longiore quidem diſcuſſione opus eſſet, quàm compendioſa hujus operis tractatio admittat, varias tamen & diverſas ejuſdem explicationes ab alijs doctiſſimis viris acutè & ingeniosè prolatas videre poteris in Diſputatione Theologorum Varſavienſium contra Vacuum, coram Sereniſſimo Rege Poloniȩ in eundem finem inſtituta, quæ etiam impreſſa habetur inter Principia Philoſophiȩ Valerianæ.

171 Quibus pro nunc placet etiam noſtram addere dicendo, quod cum corpora fiſtulæ impoſita, ſive ſit mercurius, ſive aqua, ſiue cereviſia, ſive aër, non ſint corpora purè ſimplicia (non enim imponet ſiſtulæ aquam ex centro maris hauſtam, nec aërem ex media regione in ſuâ puritate deſumptum) ſed ſint plus aut minus mixta, ideô natura ipſa prohibitiva Vacui, ſi aliud corpus in locum deſcendentis mercurii ſurſum non aſcendat, facilè tantundem aëris ex corporibus mixtis impoſitis fiſtulæ extrahet, qui ſufficiat ad replendum illud exiguum ſpatiolum.

172 *Accedit* quod vix imponit poſſit fiſtulę aliquod corpus, quin ſimul aliquid aëris concomitantis ingrediatur, qui deinde in illa neceſſitate naturæ ſuccurrat ſeſeque exhalet, aut ſi neceſſe fuerit rareſiat. Sed in hoc non facimus vim; ſatis eſt, quod lumen illud non ſit ſine ſubjecto, nec citra miraculum ſine eo eſſe poſſit niſi te fortè miraculoſum Philoſophum autumes, quod votis omnibus exoptamus, ſicque rei, de qua agitur, fides facilior conciliabitur.

173 *Alterum principium*, quod ex putativo vacuo elicitur & Peripatui inimiciſſimum dicitur, conſiſtit in eo, quod corpus lucidum activè producat lumen ex nihilo, ſive lumen in Vacuo, ſit forma accidentalis, ſive ſubſtantialis, adeòque non eſſe neceſſariā materiā primā Ariſtotelicam in ordine ad generationē, nec ſubjectum in ordine ad alterationem ſive productionem. Sed hoc principium, quo deberet eſſe lapis angularis fundandæ novæ Philoſophiæ, ut præfertur non minus arenoſum eſt, quam præcedens. Idque breuiter refutatur ex S. Thom, [a] de potentia, [b] ubi inter alia ſic loquitur.

[a] *q. 3. a. 4. in arg. 1. ſed con.* [b] *1. p. q. 45. art. 5.*

quitur. *Ens & non ens in infinitum diſtant, ſed operari aliquod ex diſtantia infinita, eſt infinitæ virtutis, ergo creare eſt infinitæ virtutis, & ita non poteſt creaturæ alicui communicari.*

174 *Dices.* Eſſe diſparem rationem inter creare, & producere aliquid ex nihilo, illud enim involuit ultra productionem ex nihilo independentiam à cauſa ſuperiore, agens autem naturale producens aliquid ex nihilo involuit ſimilem dependentiam, ideoque licet non concedatur agenti naturali creare, poterit tamen eidem attribui productio rei ex nihilo Ita fol. 83.

175 *Verum* hæc ſolutio non eneruat vim argumenti facti à S. Thom, non ſolùm enim eſt diſtantia infinita inter creatorem & creaturam, ſed etiam inter producens aliquid ex nihilo, & rem ipſam quę producitur, ut conſideranti patebit. *Accedit* & alia ratio ejuſdem S. Thom. [a] quæ in ordine eſt tertia. Nam actio cujuſcunque agentis creati non eſt ejus ſubſtantia, ſed eſt verum accidens, ergo nequit corpus lucidum actionem ſuam dirigere ad id quod eſt nihil, & per eam ex nihilo lucem producere. *Prob. conſeq.* verbis S. Thomæ. *Illud ſolum*

a. *loc. cit.*

lum in faciendo aliquid recipientem materiam non requirit, cujus actio non eſt accidens, ſed ipſa ſubſtantia ſua, quod ſolius Dei eſt. Sed in hiſcè, quæ luce clariora ſunt, non eſt immorandum, neque in oppoſitum præter illud fictitium experimentum aliquid ſolidi adducitur. videatur S. Thomas, a

176 Quare cum experimento ſuperius adducto in ſe maximè fallibili & dubio, prout hactenus viſum, obſtent aliæ penè infinitæ experientiæ, quas nunc non vacat adducere, quibus multò evidentius, magiſque ad oculum oſtenditur, quantum natura abhorreat vacuum, (tacendum quod promoveat) abſolutè dicendum eſt, in natura creata non eſſe virtutem efficiendi Vacuum.

Nec nos terrere debent minæ à novo Philoſopho in veteres Peripateticos vibratæ, cum novam Philoſophiam, eamque Chriſtianam ædificare, noſtram verò Ariſtotelicam velut paganam diruere proponit. Mitiùs vibranda erant tela iſta in Philoſophiam noſtram, nec tam facilè de paganiſmo accuſanda, utpote quæ ſanam & catholicam doctrinam jam à multis ſæculis in pleriſque totius Chriſtianitatis Acade-

mijs

a *ſupra.*

mijs & Vniverſitatibus cum ingenti ejuſdem Chriſtianę Reipublicæ fructu propagavit.

177 *Sed vana* ſunt iſtæ minæ, nec ruina ulla timenda; quamdiu individuus Ariſtotelis Comes Aquinas, Angelicus & quintus Eccleſiæ Doctor D. Thomas, meritò anima ejuſdem nuncupatus, cum ipſo ſteterit, Angelicâ ſua & à Deo approbata doctrinâ textum illius illuſtrando & exornando. Viderit is qui Philoſophiam noſtram paganam indigitat, nè minus Chriſtianam erigat, dum prima illius principia vix videntur Chriſtiana. *Præſumptio Veritatis ſemper ſtat pro antiquitate, ſemperque in Eccleſia mos iſte viguit, ut quò quiſque floreret religioſior, promptior novellis inventionibus contrairet. Ait S. Vincentius Lyrinenſis.* [c] Et omnium Peripateticorum anteſignanus per eminentiam *Philoſophus* dictus ait: *Quod videtur omnibus aut pluribus, aut ſapientibus, id probabile eſſe cenſendum eſt, communis conſenſus videtur mihi naturæ vox.* [b] Aureum & vere catholicum dictum quo authori ſub vitrea fiſtula laboranti (ſi tamen laborat) ſuccurſum eſſe arbitramur.

In Aureo libello. [b] *l. 1. Eth. c. 1. & 10.*

RESOLVTIO LXI.

Dato Vacuo, motus ſi quis per id fieret, non foret inſtantaneus, ſed ſucceſſivus.

178 Ratio deſumitur ex eo, quia non eſt poſſibile, quod aliquod corpus tranſeat de extremo ad extremum, niſi ſit prius in medio, ergo in uno inſtanti erit in uno extremo, & in alio, in medio & conſequenter movebitur in tempore, cum non dentur duo inſtantia ſibi immediata, ſed ſemper mediat inter inſtans, & inſtans aliquod tempus, uti hic ſupponitur. *Conſeq.* patet, *prob. verò antec.* Alias idem corpus in eodem inſtanti ſimul eſſet in principio, in medio & in fine, in termino à quo, & termino ad quem, & conſequenter in locis contrarijs, ſurſum &, deorſum; ut ſi à cælo lunæ uſque ad terram daretur Vacuum, & inde deſcenderet lapis unius palmi, ille ſi in unico inſtanti moveretur uſque ad terram, ſimul eſſet præſens cælo, terræ, & etiam diſtantiæ intermediæ, quod repugnat.

Nec obſtat, quod ibidem nulla eſſet reſiſten-

tia

tia ex parte medij, *Quia* ut docet S. Th. [a] ſucceſſio motus non ſumitur prçcisè ex reſiſtentia medij, ſed etiam ex reſiſtentia quâ mobile reſiſtit moventi per contrarietatem ad talem motum; item etiam deſumitur ex diſtantia locorum inter ſe.

§. 19.

De Tempore.

RESOLVTIO LXII.

Tempus formaliter, & ſecundum ſuam eſſentiam eſt verum ens reale, connotat tamen ordinem ad intellectum potentem dividere, & coadunare partes temporis.

179 NOmine temporis intelligimus durationem earum rerum, quæ mutatione & ſucceſſione durant, duratio autem rei nil aliud eſt, quam permanentia rei in eſſe, ſeu perſiſtentia in exiſtendo, ut proinde tamdiu res aliqua dicatur durare quamdiu exiſtit: De

[a] *in 4. d. 44. q. 2. a. 3. quæſtiuncula 3. ad 2.*

hac ergo duratione rerum corruptibilium dicimus, quod ſit ens reale; *Tum* quia motus & res corruptibiles à parte rei dantur, & à parte rei durant, *Tum* etiam, quia menſura debet eſſe ejuſdem ordinis & rationis cum re menſurata; Vnde quia æternitas menſurat eſſe infinitum & creatum Dei, ideo & ipſa infinita, & increata eſt, ergo ſimiliter, quia motus, & res corruptibiles ſunt entia realia, duratio earum, ſcilicet tempus, erit etiam ens reale. Conſtat idipſum ex eo, quia ſublatâ quâcunque operatione intellctus res una eſt diuturnior alia, & longiorem habet durationem quàm alia, ergo ultimum complementum eſſentiale temporis non provenit ab anima, ſed eſt ipſi tempori intrinſecum independenter ab anima.

180 *Cum hoc* tamen benè ſtat, quod tempus dicat ordinem ad intellectum potentem dividere, & coadunare partes temporis: Nam tempus eſſentialiter eſt multitudo quædam cum ſit numerus, ergo eſt diviſibile in partes eas ex quibus componitur, ſed talis diviſio partium temporis non eſt phyſica, ſed tantùm fit per intellectum, ergo. *Præterea* ut tempus menſuret partes priores, & poſteriores motus *v.g.* lectionis unius horę, debent illius partes in

unum

unum colligi, & deinde conjungi & applicari ſectioni; ſed hæc ſimultas, & collectio partium, cum in re non ſint collectæ nec perſiſtentes, ſed ſemper fluant, fit ab intellectu eas coadunante & colligente, ergo tempus in ſua actuali menſuratione dependet ab intellectu, Vnde S. Thom.[a] inquit, *quod ipſa totalitas,* ideſt ſimultas *motus, non accipitur niſi per conſiderationem noſtram comparantem partem priorem poſteriori.*

RESOLVTIO LXIII.

Tempus eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius. Ariſt.[b]

181 NVmerus eſt duplex, Alius eſt numerus numerans, mediô quô res numeramus, ut duo, tria, quatuor &c. quem alij ſeparatum ſeu à rebus avulſum vocant., Alius verò eſt numerus numeratus., quem alij conjunctum ſeu applicatum dicunt, ut duo homines, tres leones &c. *Tempus* igitur ſecundum *Ariſt.* & *D. Th.* eſt numerus numeratus, id eſt numerus ſeu menſura motus. Nomine au-

 tem

[a] *in 4.Phyſ.l.23.* [b] *in 4.Phyſ.tex.* 101.

tem motus intelligitur motus primi mobilis, qui eſt motus regulariſſimus ſemperque eôdem modô progrediens, ut meritò à philoſopho ponatur regula, & menſura omnium aliorum motuum, quem proinde tempus primò & per ſe menſurat, in eoque ſubjectatur.

182 *Dicitur denique ſecundum prius & poſterius*; Quia in motu primi mobilis ſunt duæ partes, una prior, & altera poſterior, cum enim motus ſit ens ſucceſſivum, non poteſt habere ſuas partes ſimul, & ideò neceſſariò debet habere unam poſt aliam, & partes illæ quę tranſierunt, dicuntur priores, partes verò de novo ſubſequentes, dicuntur poſteriores. *Numerat* igitur tempus ſeu menſurat motum primi mobilis, non ſecundùm quamlibet conſiderationem, ſed ſolùm ſcundùm ſucceſſionem, ſeu ſecundùm prius & poſterius, quatenus ſcilicet in re mobili aliquid prius, & aliquid poſterius cernitur.

Dices. Tempus eſt quantitas continua, quâ ratione ergo definitur per numerum, qui eſt quantitas diſcreta? *Reſp*. Quod tempus definiatur per numerum numeratum non applicatum rebus diſcretis ſed rei continuæ, ſcilicet motui primi mobilis, qui continuus eſt, unde ſicut

ſicut numerus viginti ulnarum ejuſdem panni eſt quantitas continua, ita & tempus.

RESOLVTIO LXIV.

Tempori non correſpondet exiſtentia aliqua propria & ſucceſſiva, ſed exiſtit ſolùm ratione inſtantis indiviſibilis.

183 ARbitrantur aliqui, quod ſicut tempus eſt ens diviſibilè, & ſucceſſivum, ita etiam exiſtere per exiſtentiam diviſibilem & ſucceſſivam. Contrarium tamen docet S. Thom. [a] dicens, *nihil eſt accipere in actu de tempore, niſi nunc* Cujus rationem alibi aſſignat, quæ ad hanc formam reduci poteſt. *Nam* ſi tempus exiſteret ſecundùm aliquam ſui partem, ſequeretur, quod plures partes alicujus ſucceſſivi eſſent ſimul, ſed hoc eſt contra naturam alicujus entis ſucceſſivi, quod in hoc diſtinguitur à permanenti, quod hujus partes ſint ſimul, partes verò entis ſucceſſivi non ſint ſimul, ergo tempori non correſpondet exiſtentia partium, ſed tantummodo inſtantis, *Sequela prob.* Nam quælibet pars temporis, cum ſit

 con-

a 1. p. q. 66. a. 4. ad 3.

continua, eſt diviſibilis in alias partes, ergo ſecundùm quamcunque partem exiſteret tempus, ſequeretur plures partes temporis eſſe ſimul.

184 *Objicies. I.* Nihil eſt præteritum, niſi quod fuit præſens, & nihil eſt futurum, niſi quod erit præſens, ſed dantur partes temporis præteritæ & futuræ, ergo illę fuerunt & erunt præſentes in ſeipſis. *II.* Vel poſt hoc inſtans ſequitur aliud inſtans, vel ſequitur tempus, primum non poteſt dici, aliàs tempus componeretur ex meris inſtantibus, ergo dici debet ſecundum; ſicque alia temporis pars erit præſens.

Reſp. Ad primum *diſting. major.* Nihil eſt præteritum niſi quod fuit pręſens, vel ratione ſui, vel ratione alicujus indiviſibilis inſtantis, conceditur, niſi quod fuit pręſens tantùm ratione ſui, negatur major, & conceſsâ minori, diſtinguitur eodem modô conſequens. Ad cujus meliorem intelligentiam.

185 *Obſervandum eſt*, quod aliter exiſtant res permanentes, & aliter res ſucceſſivæ, & quæ ſunt in continuo fluxu. Nam illæ cum ſuas partes habeant ſimul, etiam ſimultaneam poſſunt habere exiſtentiam; at verò res quæ ſunt in con-

continuo fluxu, poſtulant taliter exiſtere, quod una pars non ſit, ſed tranſierit, altera verò futura ſit, & hæ partes copulantur per inſtans temporis, non ut coexiſtant, ſicut partes continui permanentis copulantur ſuis indiviſibilibus, ſed ut ſucceſſivè, fluenterque exiſtant, illud enim inſtans copulat partes temporis, unam inchoando, alteram verò terminando, ſicque partes temporis ratione ſui habent exiſtere in fieri, hoc eſt in fluxu & tendentia, at verò in facto eſſe ſolum ratione ſui termini, quo terminatur earum fieri, ut deinde ſtatim præterierint.

Ad. 2. *Reſp.* Quod poſt hoc inſtans non exiſtit aliud inſtans, ſed pars temporis, ita ſcilicet, ut ea pars temporis, quæ jam extiterat ratione inſtantis antecedentis initiativè & ut futura, exiſtat deinde ratione inſtantis ſequentis conſummativè & ut præterita, qui modus exiſtendi proprius eſt rei ſucceſſivæ, ut ſcilicet tranſeat de exiſtentia inchoativa ad conſummativam.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 20.

De termino, unitate, & contrarietate motus.

RESOLVTIO LXV.

Ad tria tantùm prædicamenta, ſcilicet ad quantitatem, qualitatem, & ubi datur per ſe motus Ariſt. a

186 PHiloſophus volens inveſtigare diverſitatem genericam motus, inqnirit, ad quæ prędicamenta detur per ſe motus, nam diverſitas generica motus deſumitur ex diverſitate prędicamentorum ad queęſt motus. Cuius ratio eſt. *Quia* motus eſſentialiter reſpicit terminum ad quem fit tendentia, ab eoque non differt, niſi ut fieri eius, ergo ubi res ipſæ quę ſunt

a *in hoc l. tex. 31.*

Digitized by Google

ſunt terminus motus differunt genere, etiam ipſi genere diverſi ſunt, Hôc ergo ſuppoſitô docet deinde ad tria tantùm prædicamenta dari per ſe motum.

187 *Quod & probatur.* Tribus ſolummodò prædicamentis conveniunt omnes conditiones requiſitæ ad hoc ut ſint per ſe termini motus, Nam inprimis quantitas habet ſuam latitudinem ſucceſſive pertranſibilem, quâ pars poſterior poteſt per ſe acquiri poſt priorem, & prior ante poſteriorem. *Deinde* quantitas magna & parva habent contrarietatem ſufficientem & requiſitam ad motum; quia una ab eodem ſubiecto expellit aliam. *Tertiò* termini illi ſunt poſitivi, ſcilicet parva & magna quantitas, ergo in quantitate reperiuntur omnes conditiones ad per ſe terminandum motum.

188 *Similiter* in motu locali ad Vbi, eadem inveniuntur; Nam ille motus inprimis verſatur inter duos terminos poſitivos, ſcilicet inter locũ qui eſt terminus à quo, & locũ qui eſt terminus ad quem: *deinde* hi termini habent ſufficientem contrarietatem, quia ſimul ſtare non poſſunt: *Tertiò* habent etiam latitudinem ſucceſſivè pertranſibilem, quia diſtantia inter terminos locorum non poteſt ſimul ſed ſucceſſivè vinci.

189

189 *Denique* idipſum conſtat in motu alterationis, qui eſt V. g. inter frigus & calorem, ergo in tribus illis prædicamentis, Quantitate ſcilicet, Qualitate & Vbi inveniuntur omnes conditiones requiſitæ ad hoc, ut per ſe terminent motum, quantitas quidem augmentationem, qualitas alterationem, & ubi motum localem.

Obÿcies, Quantitas producitur ad productionem ſubſtantię, & cohæret ei tanquam propria paſſio; & ſimiliter calor in igne, tametſi ſit qualitas; producitur tamen non per ſe, ſed ad productionem ignis, ergo ad quantitatem & qualitatem non datur per ſe motus.

190 *Reſp.* Argumentum concludere de quantitate in prima ſui productione, quia id quod intenditur in prima rei productione, eſt poſitio ſubſtantiæ per ſe primo in rerum natura, quantitas verò ſolum intenditur ut paſſio ejus. ſicque debet ſe accommodare modo producendi ſubſtantiam, & quia ſubſtantia petit produci in inſtanti, ideo & quantitas in inſtanti producitur, ſecùs tamen eſt de augmentatione quantitatis, tunc enim quantitas ratione ſui, & per conſequens ſucceſſive producitur. *Idem* dicitur de calore, qui licet in prima ſui productione,

quando

quando fit cum igne, non fiat per motum, poteſt aliquando fieri per motum, ut patet in calefactione quâ aqua caleſit.

RESOLVTIO LXVI.

Vnitas ſpecifica motus non ſumitur à termino à quo, ſed à termino ad quem formaliter, & in ratione termini ſumpto.

191 EXplicatis in præcedenti reſolutione prædicamentis ad quæ per ſe datur motus, etiam explicata manet vnitas & diverſitas generica motuum, vt merito nunc ad ſpecificam, & in ſequenti reſolutione ad numericam motus unitatem explicandam pergamus. De illa igitur aſſerimus primo quod non deſumatur à termino à quo, quia motus illi, qui habent eundem terminum ad quem, etſi habeant diverſos terminos à quibus, ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut V. g. omnes dealbationes ſunt eiuſdem ſpeciei, quia habent eundem terminum ad quem; qui ſe habet ut forma reſpectu motus, ergo non deſumitur eius unitas ſpecifica à termino à quo, qui ſe reſpectu motus tantum habet materialiter, & reſpicitur ſolum ab illo, in

Digitized by Google

in quantum relinquitur à motu propter acceſſum ad terminum ad quem.

192 *Quod* verò motus deſumat ſuam unitatem ſpecificam à termino ad quem, docet S. Th.[a] his claris verbis inquiens, *Motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem; nihil enim refert, quantum ad rationem dealbationis, utrum ille qui dealbatur fuerit niger aut pallidus, vel rubeus.* Ratio autem hæc eſt. Nam quandocunque aliquid ex ſua natura ordinatur ad aliud, ex ordine ad illud aliud ſumit ſuam ſpeciem, ut patet in relativis, item in potentijs & actibus, ſed motus ex ſua natura ordinatur ad terminum, eſt enim fluxus, via & continua tendentia ad terminum ad quem; ergo ab eo ſumet ſuam unitatem ſpecificam. *Hoc autem* intellige de termino formaliter ſumpto, quia idem terminus materialiter ſumptus poteſt terminare diverſas habitudines & tendentias motus; ut V. g. idem punctum ſpecie, poteſt terminare motum rectũ & circularem, qui tamen motus *non ſunt idem ſecundum ſpeciem, quamvis ſint circa eoſdem terminos* S. Th.[b] quia videlicet in tali puncto materialiter ſpectatq

a 1. p. q.

a 1. p. q. 23. à 1. ad 3. b *lib. 5. lect. 6.*

ſpectato includuntur diverſa media, quibus punctum redditur acquiſibile.

RESOLVTIO LXVII.

Ad unitatem numericam motus tria requiruntur, ſcilicet, unitas numerica mobilis, temini ad quem, & temporis.

193 PRædictas tres conditiones ad numericam motus unitatem requiſitas recenſet S. Th.[a] in præſenti libro aſſerens: *Ad hoc quod motus ſit continuum requitur primò, quod ſit unus ſecundum ſpeciem, quæ eſt ex re in quam eſt motus; ſecundò, quod ſit unius ſubiecti: tertiò, quod ſit unus tempore, ad hoc quod non interveniat aliqua immobilitas vel quies.* Ex qua authoritate talis formatur ratio. Ad continuationem motus requiruntur, & ſufficiunt iſta tria enumerata, ergo etiam ad eius unitatem numericam amplius nil requiritur. *Conſeq.* patet, quia motus non eſt unus, niſi per modum alicuius entis ſucceſſivi & continui. *Antec. prob.* Inprimis quod requiratur unitas ſubiecti; Quia hoc eſt

[a] *lect. 7.*

eſt cõmune omnibus accidentibus, idem enim accidẽs numero nequit eſſe in pluribus numero ſubiectis; *Secundò* quod requiratur unitas temporis, nam quamprimùm interrumpitur duratio intrinſeca alicuius continui ſucceſſivi, etiam ipſum continuum ſucceſſivum interrumpitur, ut proinde non ſit amplius unum numero: *Tertio* quod debeat eſſe unus terminus ad quem, conſtat ex eo, quia fieri unius rei eſt diverſum à fieri alterius rei, ſed motus eſt fieri termini, ergo ut ſit unus numero, neceſſario requiritur unus numero terminus.

194 *Si obijcias* illud vulgare argumentum de motu hominis cadentis ex alta turri, & in via ſeu caſu morientis, in quo caſu motus ille eſt unicus numero, & nullâ quiete interruptus, & tamen mobile non eſt idem nůmero in toto motu, quia corpus vivum & mortuum non ſolum numero, ſed etiam ſpecie diſtinguntur, ergo poteſt dari unus numero & continuus motus, abſque unitate mobilis. *Reſp.* motum illum non eſſe unum numero, ſed duos numero motus ob dualitatem ſubiectorum, ſunt enim duo mobilia, videlicet homo vivus, & homo mortuus, per conſequens alius eſt motus hominis vivi, & alius hominis mortui: & quamvis motus ille

non

non interrumpatur quiete aliqua privativa, quę competit enti, quod pro tunc poteſt moveri, intercedit tamen quies aliqua negativa, quæ tam exigua eſt, ut ſubiectum pro tunc moveri non poſſit.

RESOLVTIO LXVIII.

Omnis contrarietas motuum deſumitur per ſe primò, & formaliter ex contrarietate terminorum.

195 DAri motus inter ſe contrarios manifeſtum eſt in calefectione, & frigefactione, ſolùm dubium eſt, unde hæc contrarietas deſûmatur, an videlicet ex terminis *ad Quos*, an *ex Quibus*. Illud nos fatemur ob ſequentem rationem. Nam contrarietas terminorum *ad Quos* terminatur motus, magis videtur eſſe cauſa contrarietatis motus, quam contrarietas terminorum *à Quibus* motus recedit, quia illi aſſumuntur à motu, hi verò relinquuntur, ergo ab illis erit deſumenda contrarietas in motibus, & non ab hiſce.

Addendum tamen eſt, contrarietatem motus etiam aliquo modo attendi ſecundùm contrarieta-

rietatem terminorum *à quibus*, ſed ſolum accidentaliter, & conſecutivè; nam eo ipſo quod termini *ad quos* ſint contrarij, etiam termini *à quibus* debent eſſe contrarij, ut proinde motus, quorum tam termini *ad Quos*, quam termini *à Quibus* ſunt contrarij, omnimodam & veluti completam contrarietatem ſortiantur.

LIBER SEXTVS.

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 21.

De Compoſitione continui.

RESOLVTIO LXIX.

Continuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus, ſed etiam ex partibus inter ſe diſtinctis.

196 Receptum eſt apud Philoſophos, quod continuum, ſive permanens, ſive ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſivum, componatur ex partibus ſimul, & indiviſibilibus, ita quod nec ſola indiviſibilia, nec etiam ſolæ partes abſque indiviſibilibus conſtituant continuum. *Ratio prioris partis eſt*. Quia continuum eſſentialiter eſt quid extenſum, ergo non poteſt componi ex ſolis indiviſibilibus. *Prob. conſeq.* Indiviſibile additum alteri indiviſibili non facit extenſum, ſicut nec magnum, quia ſecundum ſe totum quod habent, ſe tangunt, ergo. *Inde etiam* habetur ratio poſterioris partis. Nam quia pars addita alteri parti facit extenſum, ipſum autem continuum eſt extenſum, bene infertur, quod debeat conſtare ex partibus, quæ deinde in continuo per indiviſibilia copulativa continuantur. Quod autem iſtæ partes inter ſe realiter diſtinguantur, colligitur ex earum ſeparatione, quæ manifeſtum ſignum eſt realis diſtinctionis.

RESOLVTIO LXX.

Partes aliquales ſeu aliquotæ in continuo ſunt quidem finitæ, partes verò porportionales ſunt infinitæ, non actu, ſed in potentia.

197 SVpponendum eſt in continuo, tam ſucceſſivo, quam permanente, dupli-

Digitized by Google

cis generis inveniri partes, Quædam enim vocantur aliquotę, ſeu deſignatæ, vel etiam non communicantes, ſuntque illæ, quæ aliquoties repetitæ æquivalent ipſi toti, eiusque diviſibilitatem exhauriunt: exemplum eſt in linea decem ulnarum, in qua quælibet ulna habet rationem partis aliquotæ, quę decies repetita exhaurit totam extenſionem lineę: Aliæ vero vocantur proportionales ſeu communicantes, & ſunt illę, quæ includuntur in aliquotis, & cum eis communicant, ita ut nil aliud ſint, quam medietates medietatum ut v. g. una ulna dividatur in duas medietates, & relictâ unâ medietate, altera medietas rurſus dividatur, & ſic deinceps, tunc illæ medietates medietatum, quarum poſterior ſemper ſit minor priori, dicuntur partes proportionales, quia cum quadam proportione componunt totum, in quantum ſcilicet includuntur in aliquotis.

198 *De prioribus igitur partibus*, certum eſt, quod ſint finitæ in continuo, quia exhauriunt diviſibilitatem continui, unde quo ſæpius fuerint repetitæ, eo maius faciunt continuum. *De poſterioribus vero* maior difficultas eſt; exiſtimant enim aliqui, quod partes proportionales in continuo ſint actu infinitę, nos vero

vero cenſemus eas eſſe infinitas ſolum in potentia, ut innuit S. Th. [a] dicens. *Mobile non utitur infinitis quæ ſunt in magnitudine quaſi actu exiſtentia, ſed quaſi in potentia* Et ratio eſt. Nam multitudo illa, in qua non poteſt deveniri ad ultimum, ſed ſemper aliquid illius reſtat accipiendum, eſt infinita, ſed in multitudine partium proportionalium nunquam devenitur ad ultimam partem, ſed ſemper reſtant plures, & plures accipiendæ, ergo ſunt infinitæ in potentia. *Prob* minor. nam ſignetur aliqua pars proportionalis velut ultima, tunc illa, Vel erit diviſibilis, Vel indiviſibilis, hoc ſecundum non poteſt dici, quia nullum continuum poteſt componi ex partibus indiviſibilius, ergo erit diviſibilis, ergo eo ipſo reſtabunt aliæ partes, in quas dividatur, ſicque non erit accipere unam ultimam partem proportionalem.

[a] *in præſenti Lect.* 11.

RESOLVTIO LXXI.

Subſtantia corporea præciſa quantitate, nullas habent partes integrantes, neque entitativas, unde neque eſt diviſibilis in eas,

199 PRæſupponendum nomine partium, hic non intelligi partes eſſentiales, ſive phyſicas, ſive metaphyſicas, hę enim cum componant eſſentiam ſubſtantiæ corporeæ, neceſſario eam concomitantur, eique conveniunt independenter à quantitate. Eſt ergo ſermo de partibus integralibus, de quibus controvertunt Philoſophi, An illę ſubſtantiæ conveniant antecedenter ad quantitatem, habeat que extenſionem partium ſubſtantialiter diviſibilium, Vel potius à quantitate eas habeat, & ita illa ſecundum ſe ſit indiviſibilis. Hoc ſecundum aſſerimus cum S. Th. a ubi ſic inquit *Materiam dividi in partes non convenit, niſi ſecundum quod intelligitur ſub quantitate, quâ remotâ remanet ſubſtantia indiviſibilis.* Ratio eſt. Ante quantitatem nulla poteſt eſſe in ſubſtantia compoſitio

a *1. p. q. 50. a. 2. & quodl. 9. q. 4. a. 1.*

poſitio partium integralium etiam entitativarum, ergo ante quantitatem nulla poteſt eſſe in ſubſtantia extenſio aut diviſibilitas etiam entitativa. *Antec. prob.* Nam compoſitio partium integralium etiam entitativarum eſt accidentalis, manus enim & caput ſolum de materiali ſignificant ſubſtantiam, de formali verò talem vel talem figuram, cum his aut illis accidentibus: ſimiliter oſſa non diſtinguntur à carne in ſubſtantia ſecundum ſe, ſed penes durum & molle, quę ſunt accidentia, ergo compoſitio iſtarum partium eſt accidentalis, ſicque non poterit convenire ſubſtantiæ niſi mediâ quantitate, quæ eſt primum accidens ſubſtantiæ corporeę.

200 *Obiciÿes. I.* ſi ſubſtantia antecedenter ad quantitatem non haberet extenſionem, ſed eſſet planè indiviſibilis, tūc res diviſibilis, videlicet quantitas reciperetur in indiviſibili, quod non eſt admittendum. *II.* quod nulla intercederet proportio inter ſubjectū & formam, quam recipit. *III.* quod ſi Deus ſepararet quantitatem V. g. à Petro, adhuc manerent partes diſtinctę ſubſtantialiter, & non per quantitatem, ergo ſubſtantia ex ſe habet extenſionem.

Reſp. Ad I. quod res diviſibils reciperetur in

indiviſibili, non negativo, ſed privativo; ſicut enim albedo recipitur in ſubjecto privativè non albo, dealbabili tamen, ita diviſibile debet recipi in ſubjecto privativè indiviſibili, capaci tamen diviſibilitatis.

Ad II. dicitur, quod proportio inter ſubjectum & formam in hoc conſiſtat, quod ſubjectum habeat potentiam paſſivam ut recipiat formam, & ut forma habeat vim actuandi talem potentiam & tribuendi ei effectum ſuum formalem, quæ proportio cum etiam intercedat inter ſubſtantiam & quantitatem, illa non requirit antecedenter ad quantitatem extenſionem, ſed potius ejus privationem.

Ad III. dicitur. In illo caſu manere partes phyſicas materiam ſcilicet & formam, non verò, partes integrales ſeù entitativas inter ſe diſtinctas, ita ut entitas capitis non ſit entitas manus, iſta enim in ratione partium formaliter conſtituuntur per quantitatem, quâ recedente, partes in ratione partium deſinunt eſſe.

§. 22. De

§. 22.

De modo inceptionis, & deſitionis rerum.

RESOLVTIO LXXII.

Res ſucceſſivæ, ut tempus, & motus, incipiunt extrinſecè per ultimum non eſſe, & etiam deſinunt extrinſecè per primum non eſſe.

201 QVoniam inceptio, ut ipſum nomen ſignificat, importat initium ſeu principium durationis, ſicut & nomen deſitionis finem ſignificat; ideo duo inventi ſunt à philoſophis modi incipiendi, unus intrinſecus, qui appellatur primum eſſe, alter extrinſecus, qui appellatur ultimum non eſſe. *Tunc ergo* dicitur aliqua res incipere intrinſecè ſeu in inſtanti intrinſeco, quando in aliquo inſtanti verum eſt dicere, nunc res hæc habet exiſtentiam, & immediatè antea; id eſt, toto tempore antecedenti ad illud inſtans, illam non habebat, & res quæ hoc modo incipit, dicitur incipere per primum ſui eſſe. *Tunc vero* dicitur res aliqua incipere

pere extrinſecè, ſeu in inſtanti extrinſeco, quando in aliquo inſtanti verum eſt dicere, nunc res illà non habet exiſtentiam, immediatè tamen poſt habebit, ita ut verum ſit dicere, nunc res non eſt, & immediatè poſt erit, & res quæ hoc modo incipit, dicitur incipere per ultimum non eſſe, quia eſt ultimum inſtans, in quo res non habet exiſtentiam, immediatè tamen poſt habebit.

202 *Similiter* duo ſunt modi deſinendi rerum, unus intrinſecus, qui vocatur ultimum eſſe, & alter extrinſecus, qui appellatur primum non eſſe. *Tunc res* aliqua dicitur deſinere intrinſecè, ſeu in inſtanti intrinſeco, quando verum eſt dicere, nunc res illa eſt, & immediate poſt non erit, quod eſt deſinerè per ultimum eſſe: *Tunc res* dicitur deſinere extrinſecè, ſeu in inſtanti extrinſeco, quando verum eſt dicere, nunc non eſt res, & immediatè antea erat, & hoc eſt deſinere per primum non eſſe. His ſuppoſitis.

203 *Probatur* nunc, quod res ſucceſſivæ incipiant extrinſecè. Nam illa quæ incipiunt intrinſecè per primum ſui eſſe, habent in illo inſtanti, in quo incipiunt, totum ſuum eſſe, ſed repugnat motum vel tempus in inſtanti intrinſeco habere

habere totum ſuum eſſe, ergo non incipiunt intrinſecè, ſed extrinſecè. *Minor prob.* Quia motus & tempus ex natura ſua ſunt entia ſucceſſiva potentia habere unam partem poſt aliam; ergo repugnat, quod in inſtanti intrinſeco habeant totum ſuum eſſe, ſiquidem repugnat ens eſſentialiter ſucceſſivum durare per aliquod inſtans.

204 *Quod vero* res ſucceſſivę deſinant extrinſecè, etiam probatur. Si enim deſinerent intrinſecè per ultimum ſuum eſſe, eſſet verum dicere, nunc eſt motus, & immediatè poſt non erit, ſed nunquam verificatur de motu, quod ſit in inſtanti, vel in nunc, cum eſſentialiter ſit diviſibilis in partes priores, & poſteriores, quæ non poſſunt eſſe in inſtanti, ergo res ſucceſſivæ deſinunt extrinſecè per primum non eſſe.

RES O-

Digitized by Google

RESOLVTIO LXXIII.

Res permanentes, ut formæ ſubſtantiales, & quæcunque compoſita ſubſtantialia, quæ per generationem fiunt, & per corruptionem deſinunt, incipiunt intrinſecè, & deſinunt extrinſecè.

205 DIctum eſt de rebus ſucceſſivis, quomodo incipiant, & deſinant; nunc etiam de permanentibus id explicandum eſt, quæ quidē ſunt in duplici differentia, quædam ſunt ſubſtantiæ, quædam verò accidentia. De illis aſſerimus, quod incipiant intrinſecè & deſinant extrinſecè. *Ratio prioris eſt.* Nam in generatione ſubſtantiali ſimul eſt fieri & factum eſſe, & ideo in eodem inſtanti, in quo eſt verum dicere eſſe generationem, etiam eſt verum dicere, eſſe rem genitam, ſed generatio incipit in inſtanti intrinſeco per primum ſui eſſe, ergo & res genita utpote cum hæc totum ſuum eſſe habeat ſimul in inſtanti. *Ratio verò poſterioris eſt.* Quia duo inſtantia intrinſeca non ſunt ſibi immediata, ſed ſemper mediat inter ea inſtans extrinſecum, ergo neceſſario forma corrumpenda

penda debet extrinſecè deſinere. *Prob. conſeq.* Nam ſi etiam deſineret intrinſecè, tunc. Vel deberet deſinere in illo inſtanti intrinſeco, in quo incipit forma generanda, & hoc non eſt poſſibile, quia alias duæ formæ in eodem inſtanti intrinſeco eſſent in eadem materia: Vel deberet deſinere in alio inſtanti intrinſeco, quod etiam dici non poteſt, alias materia prima in aliquo inſtanti extrinſeco, quod mediat inter duo intrinſeca, eſſet ſine omni forma; ergo dicendũ eſt, quod forma corrumpenda deſinat in inſtanti extrinſeco, quod immediatè præcedit ad inſtans intrinſecum, in quo incipit forma generanda.

206 *Dices.* Forma ſubſtantialis corrumpenda eſt ſecundum ſe planè indiviſibilis, ergo etiam deſinit indiviſibiliter, videlicet in inſtanti intrinſeco, & non in extrinſeco. *Reſp.* quod quamvis illa ſit indiviſibilis, quia tamen deſinit ſimul cũ accidentibus, & diſpoſitionibus, quibus conſervatur, & talia accidentia ſucceſſivè corrumpuntur, idcò etiam forma deſinit per primum non eſſe, ſicut etiam incipere poteſt in tempore, non quidem ratione ſui, ſed ratione motus, V. g. nutritionis, ad cuius inceptionem per accidens incipit.

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO LXXIV.

Formæ accidentales quæ per motum producuntur & fiunt cum expulſione contrarij, ſi conſiderentur in fieri, incipiunt & deſinunt extrinſecè, ſi verò in facto eſſe, intrinſecè.

207 PRima pars huius reſolutionis probatur hac ratione. Nam tales qualitates conſideratæ in fieri, incipiunt & deſinunt cum motu, eo quod prius introducantur ſecundum eſſe remiſſum, quàm ſecundum eſſe intenſum, ſicque fiunt cum acquiſitione novarum partium, ergo incipiunt, & deſinunt ſicut motus, nimirùm extrinſecè. *Secunda pars etiam probatur*. Quia formæ illæ accidentales in facto eſſe, & ut tantæ, conſiſtunt in indiviſibili, ergo incipiunt intrinſecè. *Deinde*. Quando hæ formæ ut tantæ deſinunt, neceſſe eſt, quod aliæ per motum incipiant, ergo debebunt deſinere intrinſecè. Patet conſequentia. Nam quando una ex his formis per ultimum non eſſe incipit, ſemper alia per ultimum eſſe debet deſinere, quod eſt deſinere intrinſecè.

Et

Et quamvis calor ut tantus: V. g. ut duo etiam fuerit acquiſitus per motum, non tamen eſt acquiſitus per motum in fieri, ſed per motum in facto eſſe, id eſt, per factum, ſeu mutatum eſſe motus, quô ſuo modo terminatur, & ideo non incipit in tempore, ſed in inſtanti intrinſeco.

§. 23.

De termino magnitudinis & parvitatis.

RESOLVTIO LXXV.

Omnia viventia, tam perfecta, quam imperfecta, poſtulant intrinſecum terminum ſuæ magnitudinis, ſicut & parvitatis.

208 QVatuor communiter afferuntur termini quantitatis rerum, quorum duo ſunt circa magnitudinem rei, & vocantur *maximum quod ſic*, & *minimum quod non*: & duo ſunt circa parvitatem, vocanturque, *minimum quod ſic*, & *maximum quod non*. Affirmativi etiam dicuntur termini intrinſeci, nega-

tivi verò, termini extrinſeci. *Terminus* intrinſecus magnitudinis, qui dicitur *maximum quod ſic*, eſt illa quantitas, ſub qua poſitivè res aliqua eſſe poteſt, ſed ſub quacunque maiori eſſe non poteſt, ut ſi dicatur, terminum hominis eſſe magnitudinem trium cubitorum, quatenus hæc foret maxima magnitudo, quam habere poteſt tale corpus. *Terminus extrinſecus* magnitudinis ſeu *minimum quod non*, eſt illa quantitas, quam res naturalis habere non poteſt, ſed quâcunque eâ minorem, ut ſi dicamus, leonem non poſſe habere magnitudinem decem cubitorum, ſed quacunque eâ minorem, quia illa eſt terminus extrinſecus magnitudinis leonis.

209 *Terminus* intrinſecus parvitatis ſeu *minimum quod ſic*, eſt illa parva quantitas ſub qua res eſſe & conſeruari poteſt, & non ſub minori, ut ſi homo poſſet generari ſub quantitate unius palmi & non ſub minori *Terminus* extrinſecus parvitatis ſuu *maximum quod non*, eſt illa quantitas, ſub qua res eſſe non poteſt, bene tamen ſub qualibet maiori, & ideo vocatur *maxmum quod non*, quia eſt maxima inter minimas. ſub quibus non poteſt eſſe His præmiſſis.

210 *Aſſerimus*, omnia viventia habere terminum intrinſecum tum magnitudinis tum parvitatis. Deſumitur ex S. Th. [a] dum ait. *Quod eſt aliqua quantitas ita magna ultra quam ſpecies humana non porrigitur, & aliqua tam parva, ultra quam homo non invenitur.* Ratio eſt. Quia opera vitę nequeunt exerceri in qualibet minima vel etiam maxima; ſed ſolum in proportionata quantitate; videmus enim defectu quantitatis pueros ineptos eſſe ad plura opera vitæ exercenda, quæ poſſunt viri perfecti, ergo requirunt terminum intrinſecum, tum magnitudinis, tum parvitatis. Patet id ipſum in inſtrumentis artis, quę non in qualibet, ſed ſolum in proportionata quantitate apta ſunt ad opera artis perficienda.

RESOLVTIO LXXVI.

Etiam non viventia ex vi ſuæ generationis & formæ, habent intrinſecum terminum, tum magnitudinis, tum parvitatis.

211 COlligitur ex S. Th. [b] ita docente. *Neceſſe eſt quod ad determinatam formam con-*

Z

a 2. de anima, lect. 8. b 1. p. q. 7. a. 3.

conſequantur determinata accidentia, inter quæ eſt quantitas. Ex qua authoritate talis formatur ratio. Quę vis forma cujuſcunque entis naturalis eſt intrinſecè definita ad certam & determinatam perfectionem, ergo etiam petit certam & determinatam quantitatem. Patet *conſeq.* Quia ad formam determinatam ſequi debent certa & determinata accidentia, ac proinde ſicut forma ipſa dicit tantam perfectionem & non maiorem, ita etiam petet tantam quantitatem & non maiorem vel minorem, in qua nimirum exercere poſſit ſuas operationes, *unumquodque enim eſt propter ſuam operationem* ut inquit Ariſto:[a]

212 Et quamvis tam Ariſt:[b] quam D.T.[c] doceant, quod ignis augmentum non ſit uſque ad determinatam quantitatem, ſed in infinitum extendatur, ſi in infinitum materia combuſtibilis inveniatur: *ibi ſolum* loquntur de aggeneratione & incremento, quod fit per extrinſecam appoſitionem, ſicque verum eſt, quod non viventia per ſe non habeant terminum: dico *per ſe*, quia ſpectato ordine univerſi & ſituatione corporum terminum habent, cum ultra cælum nullum corpus poſſit augeſcere. Vnde

[a] *de cœl. c. 3.* [b] *2. de an. 1. c. 4.* [c] *lect. 8.*

Vnde ſtudio diximus in reſolutione, *ex vi ſuæ generationis & formæ*, in quo ſenſu etiam procedit autoritas S. Th. ex 1. p. deſumpta, ſic enim petunt ab intrinſeco certa & limitata accidentia.

LIBER SEPTIMVS.

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 24.

De diſtinctione & ſimultate moventis & mobilis.

RESOLVTIO LXXVII.

Omne quod movetur, ab alio à ſe realiter diſtincto movetur, unde impoſſibile eſt, idem per ſe primò movere ſeipſum.

1223 HÆc reſolutio intelligenda eſt de motu per ſe, & non de motu per accidens, nam per accidens benè poteſt ali-

quid moveri à ſeipſo, ut patet in animalibus, in quibus anima movet corpus, ad cuius motum à ſe cauſatum ipſa per accidens movetur. Sic ergo intellecta aſſeritur ab Ariſt. [a] cum ait *Omne quod movetur, neceſſe eſt ab aliquo moveri, & non à ſe.* Ratio vero deſumitur ex S. Th. [b] *Quia nihil idem ſimul eſt in actu & in potentia reſpectu ejuſdem.* Sed omne quod movetur, in quantum movetur eſt in potentia, quia motus eſt actus entis in potentia, omne autem quod movet eſt in actu in quantum movet, quia nil agit niſi in quantum eſt in actu, ergo idem non poteſt eſſe reſpectu ejuſdem actu movens & motum.

214 *Dices* Homo dum ambulat, non mouetur ab alio, ſed à ſe, ſicut etiam omnia alia viventia mouentur, ergo non omne quod movetur, ab alio movetur. *Reſp.* quod homo ambulans non moueat ſe ſecundum ſe totum, ſed eſt in eo ſicut & in alijs viventibus diſtinguenda pars mouens, & mota, & ita viventia ſe totis non per ſe primò moventur, ſed mediantibus partibus, quatenus una pars organica movet aliam, ut V.g. cor in animali eſt prima pars movens, quod deinde per accidens

[a] *lib. 7. t. 1.* [b] *1. con. gent. c. 13.*

cidens eo ipſo mouetur ad motum totius: unde etiam non requiritur, quod & mouens & motum diſtiguantur ſuppoſito integro, ſed ſufficit diſtinctio ſuppoſitorum partialium, qualem important pars mouens & mota.

215 *Si, inſtes* & quæras, à quo moueatur pars illa mouens, an à ſe ipſa, an verò ab alia, ſi ab alia, dabitur proceſſus in infinitum; ſi à ſe ipſa, habetur intentum, quod idem ſit movens & motum. *Reſp.* quod prima pars movens alias, movetur duplici motu, uno per accidens, ratione totius, ad eum ferè modum, quo nauta exiſtens in navi movetur ad motum navis per accidens: Alio verò motu movetur à generante, eò quod talis motus per modum quaſi proprietatis ad vivens conſequatur, ratione cuius habet virtutem movendi alias partes, unde ad generans ſpectat iſtum motum efficere, qui enim dat formam, dat etiam conſequentia ad formam.

RESOLVTIO LXXVIII.

Gravia, & levia per ſe moventur à generante, per accidens verò à removente prohibens, nunquam autem à ſe ipſis.

216 ARiſtoteles [a] inquirens à quo moveantur gravia & levia, reſpondet, quod *ſit impoſſibile, quod moveantur à ſe ipſis, eſt enim hoc officium vitæ, & animatorum proprium.* Item paulo poſt [b] docet. *Quæcunque à ſeipſis moventur, ab aliquo moventur, & quæ non à ſeipſis, ut gravia & levia, à generante moventur.*

Probatur etiam ratione deſumpta ex diſcrimine quod intercedit inter viventia & non viventia. Nam in hoc differunt viventia à non viventibus, quod perfectio naturalis viventium conſiſtat in motu, quo ceſſante, ſtatim vitam amittunt: perfectio verò naturalis non viventium, non in motu, ſed in quiete & permanentia in ſuis locis naturalibus conſiſtit, quo fit, ut nunquam naturaliter inclinentur ad mo-

[a] *lib. 8. phy. t. 29.* [b] *tex. 32.*

motum, niſi dum extra propria loca ſunt. *Ex quo iam talis formatur ratio.* Nam generans dat gravibus & levibus eſſe in loco connaturali, ergo etiam motus, quô moventur gravia & levia ad locum ſibi connaturalem erit per ſe à generante. *Conſeq. patet.* Nam qui dat formam, dat etiam motum, quó acquiritur talis forma. Quod verò per accidens moveantur à removente prohibens, conſtat ex eo, quia ille qui removet columnam, eſt cauſa quod deſcendat lapis, non per ſe, ſed per accidens, motum autem illum habet lapis à generante, cum enim in lapide omnes partes ſint eiuſdem rationis, non poteſt in eo aſſignari pars movens & mota, ſicut in viventibus, quæ habent partes organicas & diverſarum rationum, quarum una poteſt eſſe movens & altera mota.

217 *Ex quo* tamen non inferas gravia & levia non fore conſiderationis phyſicæ, ſi in ſe non habeant principalem motus. *Reſp.* enim quod in ſe habent principium paſſivum motus, quatenus in ſe recipiunt motum; Deinde habent etiam in ſe principium activum proximum & inſtrumentale, quod nil aliud eſt quàm virtus activa in eis relicta à generante, & ideò cadunt ſub conſideratione phyſica.

RESOLVTIO LXXIX.

Nullum agens poteſt agere in diſtans, ſed debet conjungi paſſo ſeu termino, non ſolum contactu virtutis, ſed etiam contactu ſuppoſiti, vel proprij vel alieni.

218 ITa expreſſe docet Ariſt. [a] inquiens. *Id autem quod primum movet, non ut id, gratia cuius cætera ſunt vel fiunt, ſed ut id unde eſt principium motus, ſimul cum eo eſt, quod movetur.* Vbi S. Th. [b] Ariſtotelem explicans ait. *Aliquid dicitur movere dupliciter, uno modo ſicut finis movet agentem & tale movens aliquando diſtans eſt ab agente, quem movet: alio modo ſicut movet id quod eſt principium motus, & de tali movente hic intelligitur.* Hæc S. Doct. Quamvis ergo id quod movet per modum finis, non debeat eſſe præſens, quia finis plerumque movet ut abſens, id autem quod movet per modum efficientis, debet eſſe approximatū paſſo, tam ſecundùm virtutem ſuam, quam ſecundùm ſuppoſitum vel proprium vel alienum.

219 Ratio

f. 2. lect. 3.

119 *Ratio prioris eſt.* Nam unicuique agenti præfixa eſt certa ſphæra ſuæ activitatis, ſed hoc non eſſet, ſi agentia in quamcunque diſtantiam poſſent effundere ſuam virtutem, ergo non poſſunt agere in diſtans. *Ratio poſterioris eſt.* Quia Deus nõ operatur immediatè, niſi ubi eſt præſens per ſuum ſuppoſitum, ergo neceſſarium eſt omne agens creatum eſſe quoque conjunctum paſſo, vel per proprium, vel alienum ſuppoſitum, quia virtus illius eſt accidens, quod non poteſt attingere effectum niſi ſit in aliquo ſubjecto, ſicque debet mediare, vel proprium, vel alienum ſuppoſitum.

220. *Quando* porro magnes attrahit ferrum à ſe diſtans, fit hoc per impreſſionem alicuius qualitatis in ferro, mediâ quâ ferrum attrahitur, qualitas autem illa non immediatè fertur in ferrum diſtans, ſed prius in aërem, vel in corpus ſibi proximum, & medio illo in ferrum, licet non eundem effectum cauſet in aëre, ſed alium, quia ut inquit S. Th.[a] *actio cuiuſlibet agentis prius recipitur in medio, quam in termino non tamen oportet, quod recipiatur in utroque eodem modo, ſed ſecundum quod exigit diſpoſitio utriuſque.* Ferrum autem, capax eſt talis attractionis, non

[a] *in 2. d. 15. q. 1. a. ad 6.*

non verò alia corpora, ſicut ignis non inflammat proximum aërem propter ſuam humiditatem, inflammat autem ſulphur diſtans, quia magis ſiccum, calore tamen tranſeunte per medium, ſcilicet aërem.

LIBER OCTAVVS DE PHYSICA AVSCVLTATIÆNE.

§. 25.

De mundi æternitate.

RESOLVTIO LXXX.

Mundus non fuit ab æterno, ſed à Deo in initio temporis ex nihilo per creationem eſt productus.

221 HÆc reſolutio eſt certa ſecundum fidem, dicitur enim Gen. 1. c. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Et apud Pſalmiſtam.[a] *priuſquam montes fierent, aut forma-*

[a] *Pſal. 89.*

formaretur terra & orbis. Idipſum probat S. Th. [a] Dicens. Mundum non *ſemper fuiſſe ſolâ fide tenetur, & demonſtrativè probari non poteſt, unde mundum incepiſſe eſt credibile, non autem demonſtrabile vel ſcibile.* Sunt tamen nonnullæ congruentiæ, quibus oſtenditur, valde conveniens fuiſſe, mundum non fuiſſe ab æterno, quarum una hæc eſt; quia mundus eſt creatus & productus ex nihilo, quod autem ex nihilo eſt, nequit eſſe ęternum. *Item* etiam ex temporanea mundi productione probatur Deum liberè illum produxiſſe, cum alias ſi ab æterno eum produxiſſet, potiùs colligeretur, Deum fuiſſe neceſſitatum ad mundum producendum. Vnde non immeritò quidam Theologiæ Profeſſor hâc noſtra ætate, autoritate Pontificia privatus eſt officiô profeſſuræ, quod typis evulgarit hanc propoſitionem, *Deus non ita liber fuit, ut in illius poteſtate fuerit nihil omnino producere.*

221 *Quæres.* Quo anni tempore mundus ſit creatus, an videlicet in autumnali æquinoctiô, ſeu in novilunio ſeptembris? ut præter plurimos Hebræos cenſent Lyra, Abulenſis & alij; An verò verno tempore, prout plerique SS. Patres

[a] 1. *p.* q. 46. *a.* 2. *in C.*

Patres docent? *Reſp.* Mundum fuiſſe conditum verno tempore. Ita enim colligitur *I.* ex Verſu. 11. primi Cap. Gen. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum.* Sed germinare herbas, maximè competit verno tempori ergo. *II.* Ver eſt pulcherrimum anni tempus, tale autem decuit fælicitatem ſtatus innocentiæ, vel etiam eſt ortui aptius, autumnus verò interitui: Ver reſpondet adoleſcentiæ, autumnus verò ſenectuti, ergo etiam mundi origini & productioni rerum Ver potius convenit, quàm autumnus. *III.* In vere redemptus & recreatus eſt mundus per Chriſtum, ſive hanc reſtaurationem Incarnationi Domini, ſive ejuſdem paſſioni tribuamus, unde plerique SS. Patres conſentiunt, Chriſtum Dominum in cruce mortuum eodem die, quo Adam in paradyſo peccaverat, ergo dicendum eſt idem fuiſſe tempus creationis mundi.

223. *Quod* ſi etiam deſideras diem in quo mundus fuit conditus! *Dicimus* fuiſſe diem 25. Martij, qui fuit dies Dominica, prout conſtat ex Concilio Tridentino [a] ubi monentur omnes Chriſti fideles, ut omnes dies Feſtos colant, maximè vero diem Dominicum, *in quo Deus lucem*

a *ſeſſ.* 2.

lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum S. in Diſcipulos infudit. Poteſtque oſtendi tali congruentiâ. Nam in illo die creatus eſt mundus, qui eſt ſeptimus à ſabbatho (Deus enim ſex diebus operatus eſt & condidit mundum, ſeptimo autem die requievit ab omni opere, quod patrarat.[a]) ergo prima dies operis, in qua mundus fuit productus, neceſſariò eſt dies ſeptima à Sabbatho, & conſequenter dies Dominica.

224 *Dices.* Cælum eſt domicilium Dei, ergo quemadmodum Deus eſt æternus, ita & domicilium æternum eſſe debet. *Ad hoc dicendum eſt*, quod cum Deus ex natura ſua ſit immenſus, ita ut ſi eſſent infiniti mundi, omnes præſentiâ ſuâ repleret, ideò propriè non habet domicilium, etſi ſupremum cęlum, quatenus in eo gloriam ſuam Angelis & Sanctis oſtendit, præcipua ejus ſedes dicatur; hinc tamen non ſequitur cælum illud æternum eſſe, cum non niſi in tempore gloriam ſuam beatis oſtendere voluerit, ipſe autem nullô modô indiget domiciliô, ſed ſibi ipſi ſufficientiſſimus eſt. Unde ridiculum eſt quærere, ubi fuerit Deus ante mundum conditum, rectè enim reſpondetur

ex

[a] Gen. 2.

ex Carthuſiano per illos duos antiquos verſus.

Dic ubi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet,
Tunc uti nunc in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

RESOLVTIO LXXXI.

Mundus quoad res permanentes. V. g. quoad cælos & Angelos potuit per Dei potentiam eſſe ab æterno.

225 Viſo in præcedenti reſolutione, quod de facto mundus non fuerit ab æterno, nunc examinabimus, an ſaltem per Dei potentiam potuerit eſſe ab æterno. Sunt autem duplicis generis res, de quibus poteſt eſſe difficultas, aliæ permanentes, aliæ ſucceſſivæ. De illis in præſenti dicimus non implicare, quin potuerint eſſe ab æterno. Ita enim ſentire videtur D. Auguſtinus, [a] dum ait. *Si pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ſubeſſet veſtigium, quod à calcante factum nemo dubitaret, nec tamen alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet.* Hinc etiam S. Th. [b] inquit. *In hoc dum dicitur aliquid*

[a] *lib. 10. de C. D. c. 31. 10. 5.* [b] *opuſc. 27.*

quid factum eſſe à Deo & nunquam non fuiſſe, non eſt intellectus aliqua repugnantia, ſi enim eſſet aliqua repugnantia, mirum eſt quomodo Auguſt. &c. mirum etiam quomodo nobiliſſimi Philoſophorum Ariſtot. &c. hanc repugnantiam non viderint.

226 *Ratio autem huius ſumitur* ex eodem S. D. loco proximè citato. Nam nulla eſt repugnantia, neque ex parte producentis, quia Deus ab ęterno eſt perfectiſſimę virtutis; Neque ex parte rei productæ, quia creatura non eſt minus poſſibilis ab æterno, quam in tempore, ſiquidem in tempore non incepit eſſe poſſibilis; & deinde etiam non repugnat aliquem effectum coexiſtere ſuæ cauſæ, ſi ea operetur in inſtanti, uti patet in luce ſolis: Neque denique eſt repugnantia ex parte actionis, quia actio Dei non eſt per motum ſive ſucceſſionem, ſed in inſtanti, ergo nulla eſt repugnantia quò minùs creatura permanentis poſſit eſſe ab ęterno.

227 *Dices.* Quod eſt æternum non eſt creatum, ergo ſi aliqua creatura eſſet ab æterno, non fuiſſet creata. *Prob. antec.* Quia quod dicitur creatum debuit aliquando fuiſſe nihil, ſed ſi aliqua creatura fuit ab ęterno, nunquam

fuiſſet

fuiſſet nihil, ergo neque creata. *Reſp.* cum S. Th. [a] quod illa particula, *ex nihilo*, in definitione creationis poſita non habet hunc ſenſum, quaſi res quæ creatur debeat prius in aliqua reali duratione eſſe nihil, vel non eſſe antequam creatur, ſed importat ſolam negationem materię ſeu ſubjecti, ex quo fiunt res, & hoc modo etiam mundus fuiſſet productus, id eſt, ex nihilo ſubjecti, etiamſi ab æterno fuiſſet productus: unde in tali caſu non eſſet aſſignare principium incęptionis in duratione, benè tamen principium originis & cauſalitatis.

RESOLVTIO LXXXII.

Mundus quoad entia ſucceſſiva, ſcilicet quoad motum & tempus non potuit eſſe ab æterno.

128 COlligitur ex S. Th. [b] ubi ait, *Non repugnat ſi ponatur cauſa producens effectum ſuum ſubito, quod non præcedat duratione ſuum cauſatum: repugnaret autem in cauſis producentibus effectum ſuum per motum, quia oportet, quod principium motus præcedat finem eius.*

[a] *q.* 3. *de pot. a.* 14. *ad* 7. & 8. [b] *op.* 27. §. 1. *ergo*,

eius. Ratio eſt. I. Motus & tempus ex ſua natura poſtulant partem priorem & poſteriorem in duratione, ſed prioritas & poſterioritas non habent locum in æternitate, quia in ea non datur prius & poſterius, ergo impoſſibile eſt, quod motus & tempus poſſint eſſe ab æterno. *II.* Id quod eſt æternum, ſemper eſt, ſed pars poſterior ex qua motus & tempus eſſentialiter componitur, non ſemper eſt, ſuccedit enim ſecundum durationem parti priori; & ad ejus deſitionem incipit, imò non eſt, quando eſt pars prior, ergo nequit eſſe ab æterno. *III.* Quando aliquid totum eſt in æternitate, etiam partes illius debent eſſe in æternitate & ſimul ſecundum durationem, ſed omnes partes temporis non poſſunt eſſe ſimul in æternitate quantum ad ſuum eſſe reale, ergo neque tempus ipſum. *Minor conſtat*, quia quâcunque parte temporis deſignatâ dabuntur aliæ & aliæ in infinitum, quæ prius præceſſerunt.

§. 26.

De primo motore.

RESOLVTIO LXXXIII.

Ex motu evidenter à poſteriori demonſtratur, dari unum primum motorem omnino immobilem.

229 Poſtquam de motu, de corporibus moventibus & mobilibus hactenus egimus, reſtat ſolùm, ut pro fine & complemento hujus primæ partis Philoſophiæ Naturalis oſtendamus quomodo ex iis in cognitionem unius primi motoris, & plurium attributorum veniatur. *Dicendum ergo 1.* ex motu evidenter oſtendi dari unum primum motorem omnino immobilem: quia in cauſis ſubordinatis non poteſt dari proceſſus in infinitum à parte ante, ergo deveniendum eſt tandem ad unam primam cauſam ſeu motorem: unde S. Thom. [a] inquit. *Omne quod movetur ab alio movetur, aut ergo eſt procedere in infini-*

[a] *1. con. gent. 13.*

nitum, aut eſt devenire ad aliquod movens immobile: ſed non eſt procedere in infinitum, ergo neceſſe eſt ponere aliquod primum movens immobile *II.* Hic motor eſt æternus, quia eſt omnino immutabilis, immutabilitas autem eſt ratio æternitatis. *III.* Eſt infinitus, quia nihil habet unde limitari poſſet, quod à nullo dependeat. *IV.* Eſt ſummè intelligens, quia ut univerſalis motor, omnia alia movet in ſuos fines. *V.* Eſt unus, quia ſi eſſent duo, neuter eſſet perfectior alterô, quod repugnat. *Circa* immenſitatem Dei poſſet hic ſuboriri quæſtio, an Deus ſit ubique, etiam in ſpatiis imaginariis extra cælum, pro cujus reſolutione ſit.

RESOLVTIO LXXXIV.

Primus motor Deus eſt ubiq; in univerſo, totus in toto, & totus in qualibet parte, ſed non eſt extra univerſum in ſpatijs imaginarijs.

230 SVnt nonulli, qui Deum extra univerſum ad infinita illa ſpatia, quæ extra cælum ultimum patent, & imaginaria vocantur, ablegant: *Vera tamen* & peripatetica ſen-

 tentia

tentia eſt, quod Deus eſt vbique in univerſo ſed non extra univerſum. Primum colligitur ex S. Scriptura. Nam apud Hieremiam dicitur, a *Cælum & terram ego impleo.* Prob. etiam ratione. Nam ibi eſt Deus, ubi operatur, ſed in toto univerſo & in omni ejus parte operatur, ergo, Maior conſtat: Quia operari ſequitur ad eſſe, ergo ubi eſt operari, etiam erit eſſe Dei.

231 *Secundum* colligitur quoque ex S. Scriptura. Nam ſapientia ejus attingit à fine uſque ad finem, ergo non attingit ſpatia imaginaria, quæ finem non habent, ſicque defectu omnis virtuoſi contactus, non poteſt primus motor dici præſens ſpatijs imaginarijs. *Idipſum docent* plurimi SS. Patres, inter quos eſt S. Auguſtinus, D. Bernardus. Tertullianus & alij, qui ad hanc quæſtionem, ubinam fuerit Deus antequàm fecit mundum, reſpondent, quod cum præter Deum nihil erat, tunc ipſe tantum in ſeipſo erat, ac ipſemet erat ſibi mundus, locus & omnia. Iiſdem etiam ſuffragatur Ang. Doctor plurimis in locis, in quorum uno b ſic ait. *In quocunque eſt aliud, illud oportet eſſe, quia in nihilo nihil omnino eſt. Iam ſubſumo,* Sed ſpatium imaginarium nihil omnino eſt, ergo nulla

res,

a c. 23. b in 1. d. 37. q. 2. a. 3.

res, adeoque neque Deus in tali ſpatio poterit eſſe. Minor eſt ejuſdem S.D. [a] ubi poſtquam docuit ante mundum non fuiſſe ſpatium, ſubjungit: *Et ſi dicatur quod poſſibile erat ante factionem mundi, mundum futurum eſſe, ubi nunc eſt. Dicendum eſt, quod non erat niſi in poteſtate agentis. hæc* S. D. Quare ſicut antequam homo produceretur, dicebatur habere non repugnantiam ut ſit, reipſâ autem nihil erat, ita etiam de illo ſpatio ratiocinandū eſt, ut videlicet neq; ſpatium ipſum, neque non repugnantia ejus ſit quidpiam in ſe, ſed ſolum in poteſtate agentis.

232 *Eandem veritatem* ſequentibus rationibus fulcimus. *I.* Deus eſt in rebus per operationem cauſando, & conſervando eſſe earum, ſed in ſpatiis imaginariis cum nihil ſit, Deus nihil cauſat vel conſervat, ergo. *II.* Spatia imaginaria eôdem modô ſe habent ad locum, ſicut tempora imaginaria ad tempus reale, ſed Deus non fuit ab æterno in tempore imaginario quantumvis ſit ęternus, ergo nec in ſpatio imaginario erit, quantumvis ſit immenſus ad locum. Vide S. Th. [b] *III.* Deus non dicitur eſſe actu in re quam nondum produxit, licet eam poſſit producere, habeatque

[a] *in 2. ſ. 1. q. 1. a. 3.* [b] *in 1. d. 37. q. 2. a. 3.*

non repugnantiam ut producatur, ergo ſimiliter licet, ſit quædam non repugnantia negativa, ut Deus reale ſpatium producat, non tamen dicitur eſſe actu in illa non repugnantia.

Obijcies. I. Si Deus non eſſet in ſpatijs imaginarijs, tunc ſi crearet alium mundum, eſſet realiter in illo, hoc autem fieri non poſſet abſque ſui mutatione, quia non poteſt concipi rem aliquam modò non eſſe extra certum ſpatium, modò verò eſſe extra illud ſine ſui mutatione, ergo. *II. Si Deus* moveret totum mundum, acquireret Deus non minùs quàm ipſe mundus novum ſpatium, ergo eſſet indifferens ut ſit hic vel ibi, poſſetque verè moveri. III. *Si Deus* crearet lapidem extra hunc mundum diſtantem unâ leucâ, Deus utique eſſet præſens illi lapidi & etiam mundo, at verò in ſpatio intermedio non eſſet, ergo eſſet replicatus, quia eſſet in ſpatijs ſeparatis quę omnia ſunt plusquam abſurda. *IV. Nulla* eſt perfectio in Deo quæ actu non ſit infinita ac illimitata, at immenſitas eſt quædam Dei perfectio, ergo ea debet eſſe actu infinita & illimitata, ac proinde in infinitum ſuper cælos actu extendi debet, & non tantùm potentia. *V. Si quis* extra

mun

mundum imaginatur aliquam rem vel locum, conſequenter debet etiam imaginari, ſi de hoc cogitet, Deum illi rei vel loco eſſe præſentem, ergo neceſſariò dicendum eſt, quod Deus aliquò modò habeat ſuam entitatem extra mundum in ſpatijs imaginarijs.

234. *Reſp. ad* I. Objectionē, illam nimis infirmam eſſe, quia ex ea ſequeretur, quod Deus quotidie mutaretur, quoties creat novas animas rationales, quod impium eſt aſſerere: quare dicendum eſt, quod Deus tunc præſens eſſet novo mundo, non per ſui mutationem, quaſi ipſe ſe nunc aliter habeat quam prius, ſed quod res ſe aliter habeat ad Deum nunc, quàm ſe habuerat antea, Deus ergo dicitur præſens novo mundo, quia illum modò producit, quem prius non produxerat.

Ad II. *dicitur*, quod quemadmodum quando lapis movetur ſurſum, non obſtante quod Deus ſit in lapide ſicut in omnibus creaturis, ipſe tamen non dicitur moveri ſurſum; ita etiam Deus non movetur localiter, quantumvis totum mundum extra ſphæram ultimi orbis tranſportaret, ſicque nec novum ſpatium acquireret, quia ſpatium non diſtinguitur à re quæ eſt in ſpatio, neque etiam res ipſa quæ producitur,

tur, præ requirit aut præſupponit ſpatium antequam exiſtat, ut patet, ſi modò Deus aliquam creaturam extra mundum produceret.

235 *Ad* III. *negatur* quod Deus in caſu argumenti eſſet replicatus, deberet enim ita eſſe in hoc mundo & in lapide de novo producto, ut ab utroque comprehenderetur; quod immenſitati eius repugnat. Vnde ſicut nunc non dicitur replicatus, quantumvis in tot & penè innumeris hominibus, alijſque diſcretiſſimis rebus & mundi partibus diſparatis exiſtat; ita nec in caſu argumenti foret replicatus.

Ad IV. *dicitur*, quod ſicut perfectio omnipotentię divinæ non minuitur ex hoc, quod aliqua quæ excedunt rationem entis poſſibilis, adeòque poſſibilia non ſunt, à Deo fieri nequeunt, ita etiam non officit ejuſdem immenſitati ſummæ, quod Deus non ſit in ſpatijs imaginarijs, cum hęc nihil ſint, ſed planè deficiant à ratione eorum quibus Deus præſens eſſe poteſt; ſicut ergo potentia Dei actu infinita eſt, quia quocunque effectu producto, poteſt alium & alium in infinitum producere, ita etiam actu eſt immenſus, quia ita eſt in his locis & creaturis, ut etiam poſitis alijs & alijs in infinitum, in ijs eſſe poſſit, idque inſinuatur in

S

S. Scriptura [a] cum dicitur, quod cœlum & cæli cælorum Deum capere non poſſint, ad inſinuandum, Deum non limitari ad hoc univerſum, Vel quamcunque creaturam productam, & poſſe eſſe in alijs & alijs creaturis in infinitum.

236 *Ad* V. *admittimus*, quod ſi quis hoc ſenſu velit Dum. ponere in ſpatio imaginario, quia videlicet imaginatur ſibi aliquam rem vel locum extra mundum, in qua etiam Deus eſſe debeat, quod tunc Deus tali rei vel loco per noſtram imaginationem eſſet præſens: ex hoc tamen non colligitur, quod ipſe reipſa tali rei vel loco eſſet præſens, ſed solùm per noſtram imaginationem, quemadmodum res ipſæ ſeu ſpatia imaginaria extra mundum non ſunt, ſed Solum in noſtrâ imaginatione.

[a] 3. *Reg.* 8.

RESO-

RESOLVTIO LXXXV.

Omnes cauſæ ſecundæ ita ſubordinantur primo motori Deo, ut ſine ipſius concurſu ſimultaneo nullam actionem, aut effectum producere queant.

237 DVo conſideranda occurrunt in ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam. Vnum eſt dependentia effectus cauſæ ſecundæ à prima, Alterum eſt dependentia eiuſdem cauſæ ſecundæ à prima in cauſando. De hac poſteriori dependentià dicemus in ſequenti reſolutione. De priori verò in præſenti aſſerimus, cauſam ſecundam ita dependere à Deo, ut ad omnes ſuos effectus indigeat concurſu ſimultaneo cauſæ primę. Fatentur hoc ſæpeſæpius ſacrę Paginę, ut cum aiunt. [a] *Omnia opera operatus es in nobis Domine.* Item [b] *ſine me nihil poteſtis facere.* Et iterum [c] *Qui operatur omnia in nobis.* Ex quibus teſtimonijs ſatis & clare colligitur, Deum non ceſſaſſe ab operatione, poſtquam creavit univerſum, ſed omnia opera noſtra operari in nobis.

238 *Quod*

[a] *Iſa. 26.* [b] *Ioan. 5.* [c] *1. ad. Cor. 12.*

238 *Quod etiam* hâc ratione convincitur. Nam non poteſt actio aliqua, vel effectus agentis creati poni à parte rei, niſi illis concurrentibus, à quibus eſſentialiter dependet, ſed actio & effectus agentis creati, cum ſint entia per participationem, eſſentialiter dependent à Deo tanquam à primo ente, ergo nequeunt poni in rerum natura, niſi Deus concurſu ſuo ſimultaneo ad illorum poſitionem concurrat.

Hinc colligitur, quòd ſi cauſa prima ſuum concurſum à cauſis ſecundis ſubtrahat, quod illæ nullatenus actiones vel effectus ſuos quantumvis naturales producere valeant. Exemplum habemus in igne babylonico, qui tres pueros in illum injectos neque calefecit, multò minus combuſſit, ut propterea [a] dicatur, *oblitus virtutis ſuæ*, quod non aliter accidit, niſi qui Deus ſuum concurſum igni ſubtraxit, ne effectum ſuum quantumvis naturalem produceret.

239 *Si petas*, an cauſa prima concurrat ad effectum cauſę ſecundæ eadem actione, an vero diverſâ. *Reſp.* quod concurrat eadem actione, nec eſt inconveniens, unam & eandem nume-

[a] *Sap. 19.*

numero actionem procedere à cauſa ſecunda ut à particulari, & à cauſa prima tanquam ab univerſali principio: etſi reſpectu Dei potius habeat rationem effectus, quàm actionis, quia cum ſit temporalis, non denominat ipſum formaliter & intrinſecè agentem. Sumitur hęc ſolutio ex S. Th. [a] ita aſſerente. *Quod ſicut non eſt inconveniens, quod una actio procedat ex agente & eius virtute, ita non eſt inconveniens, quod producatur idem effectus ab agente inferiori, & à Deo, ab utroque immediate, licet aliô & alio modô.*

240 *Petes ſecundo*, quidnam dicendum ſit de actionibus peccaminoſis an etiam illæ ſint à Deo? *Reſp.* in actione peccaminoſa duo ſpectari oportere, primum eſt entitas illarum materialis ſeu phyſica, Alterum deformitas in illa entitate, prout eſt à cauſa ſecunda, reperta: primum eſt à Deo, non verò ſecundum, ſed hoc eſt à voluntate defectibiliter operante: *Exemplum* habemus in motu claudicationis, qui quoad ſuam entitatem, & ſubſtantiam, eſt ab anima movente, quoad modum verò & deformitatem ſuperadditam eſt à tibia curva.

[a] 3. *con. gent. c. 70.*

Facultas

Pro impreſſione ſequentis 86. reſolutionis data Romæ ab Adm. Rever. & Eximio Pat. Magiſtro Cenſore Apoſtolico librorum Romæ imprimendorum, die 4. Novem. Anno 1653.

Nil in hac 86. Reſolutione continetur, quod decretis Pontificum vel Orthodoxæ fidei adverſetur, & ideò poterit imprimi, & de facto imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Magiſter & Secius Reverendiſſ. P. Magiſtri Sacri palatij Apoſtolici.

RESOLVTIO LXXXVI.

Cauſa ſecunda naturalis etiam in cauſando eſſentialiter dependet à prima, ita ut ad omnem ſuam actionem indigeat aliquâ prævia motione cauſæ primæ, quâ applicetur ad agendum.

241 Concurſus Dei ad extra terminatus, alius dicitur ſimultaneus, & alius prævius.

vius. Ille eſt influxus Dei, quo ſimul cum cauſa ſecunda influit in operationem & effectum cauſæ Secundæ: hic verò eſt realis & efficax quædam præmotio, quâ cauſa nondum actu operans præmovetur ad determinatum aliquem effectum producendum, differtque potiſſimum à ſimultaneo, quod cauſa prima prȩvio concurſu ſolummodo cauſam ſecundam excitet, ſimultaneo verò unâ cum cauſa ſecunda influat in effectum. Hunc igitur concurſum, prȩter ſimultaneum, aſſerimus eſſe cauſis ſecundis naturalibus ſeu neceſſarijs ſimpliciter neceſſarium, mediante quo antecedenter ad actionem, quâ producunt ſuos effectus, à cauſa prima applicentur, per modum ultimi complementi & determinationis ad agendum. Sic ergo explicata noſtra reſolutio fundatur inprimis in doctrina Catechiſmi Pij. V. ubi dicitur. [a] *Non ſolum Dominus univerſa quæ ſunt, ſuâ providentiâ tuetur atque adminiſtrat, verùm etiam quæ moventur & agunt, intimâ virtute ad motum & actionem ita impellit, ut quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat.*

242 *Alterum*

[a] *p. 1. de. 1. ſym.* [b] *art. n. 22.*

241 *Alterum fundamentum* deſumitur ab auctoritate Ariſt. in præſenti libro, [a] ubi agens de cauſa prima & ſecunda neceſſaria, & earum ſubordinatione, ſic ait. *Vtrumque igitur movere dicimus, & primum & ultimum moventium, ſed magis primum, illud enim movet ultimum, ſed non hoc primum, & ſine primo quidem ultimum non movebit, illud autem ſine hoc.* Quibus verbis Ariſt. apertè docet, quod licet utraque cauſa moveat, ideſt, activè producat effectum, attamen cauſa prima movet ſecundam ad talem operationem, & non è contra. *Nec poteſt* dici quod Ariſt. loquatur ſolùm de motione concomitante, *quia* motio concomitans ſolum movet effectum, non verò cauſam, Ariſt. autem loquitur de motione quâ cauſa movetur.

243 *Tertium fundamentum* petitur ex Veridica Angelici Doctoris & à Deo approbatâ doctrinâ, quæ ſic habet: [b] *Nihil quod eſt ad utrumlibet, exit in actum, niſi per aliquid determinetur ad unum, quia id quod eſt ad utrumlibet, eſt ſicut ens in potentia, potentia autem non eſt principium agendi, ſed ſolùm actus. Vnde ex eo quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur, niſi per aliquid aliud, quod determinata ad unum.* Item alibi ſic ait.

[a] 8. *ph. t.* 33. [b] 8 *Phyſ. le.* 8.

ait. [a] *Tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conſeruatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem, ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli ex hoc ipſo, quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipſum. Et quia natura inferior agens non agit niſi mota, &c ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cujuſlibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum.* Idem ibidem [b] explicans quid illud ſit per quod cauſa prima applicat ſecundam ad agendum, ita inquit. *Id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis* Quibus verbis inſinuat illam virtutem applicativam concedi cauſis ſecundis à prima non per modum permanentis, ſed tranſeuntis.

245 *Hiſce locis* convictus quidam magni nominis Theologus ingenuè fatetur S. Th. tenuiſſe hanc ſententiam, ſed poſtea doctiorem factum eam tacitè retractaſſe, dum nullam in ſua Summa mentionem hujus virtutis inſtrumen-

[a] *q. 3. de pot. a. 7. in Co.* [b] *in ſo. ad 7.*

mentalis facit Sed certè ridicula ſolutio, quaſi verò ſit retractare ſententiam, non in omnibus locis eam explicare. Quamvis etiã falſum ſit S. Th. non feciſſe mẽtionem in ſüa ſumma Theologica illius inſtrumentalis virtutis & applicationis divinæ, ſiquidem in ea eoſdem modos expreſſit his verbis [a] *Cauſa qua de ſe eſt contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum* Idem alibi [b] ſic dicit. *Moventia ſecunda non movent, niſi per hoc, quod ſunt mota à primo movente, ſicut baculus non movet, niſi per hoc quod eſt motus à manu.* Idipſum docet alijs pluribus in locis ſuæ ſummæ. [c]

246 *Quartum denique fundamentum* deſuſumitur ab optimis rationibus, quarum prima eſt. Quandocunque aliqua cauſa concurrit ad effectum nobiliorem ſe, & quem in virtute ſua non continet, tunc oportet quod moveatur ab aliqua cauſa ſuperiori, quæ effectum illum in ſua virtute continet; ſed ſic eſt, quod omnis cauſa ſecunda in cauſando concurrat ad effectum nobiliorem ſe, & quem in virtute ſua non continet, ergo oportet, quod præmoveatur ab aliqua cauſa ſuperiori. Maior pluſ-

a 1. *p. q.* 19. *a.* 3. *ad* 5. [b] *ibid. q.* 2. *a.* 3. [c] 1. *p. q.* 105. *a.* 5 & 1. 2. *q.* 67. *a.* 1. *ad* 3.

quam ſexcentis exemplis poſſet declarari. *Min. Verò prob.* Nam exiſtentia eſt effectus ſolius Dei, primò & per ſe ab illo intentus, *Tum* quia eſt prædicatum eſſentiale ſolius Dei, imò propria eius quidditas & eſſentia, *Tum* quia eſt effectus univerſaliſſimus, ultima rei actualitas, ſoli primo actui & primę cauſæ univerſaliſſimæ, tanquam proprius effectus correſpondens, ergo à nullâ cauſâ ſecundâ niſi à Deo præmotâ poterit attingi, multò minus produci.

247 *Nec ſatisfacis* huic argumento, ſi dicas, ſufficere ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, ratione cujus illa inſtrumentaliter producat exiſtentiam, *Vel* enim nomine ſubordinationis intelligis generalem quandam ſubjectionem in omni creatura, etiam quieſcente repertam, Vel intelligis ſpecialem? Prima non ſufficit, quia alias ex vi illius etiam creaturæ quieſcentes dicerentur operari, ergo debes dicere ſecundum, quod nimirum ſubordinetur cauſæ primæ ſpeciali quadam ſubordinatione, fundatâ in aliquo ſpeciali de novo producto, & cauſæ ſecundæ impreſſo, ex vi cujus deinde tanquam inſtrumentum elevatum influat in effectum.

248 *Secunda ratio.* Actio quæcunque cauſæ creatæ,

createę, Vel eſt ipſa Dei cauſalitas, Vel ejuſdem cauſalitatis terminus, non enim datur medium: Sed primum dici non poteſt, quod ſcilicet ſit ipſa cauſalitas Dei; *Tum* quia cauſæ eſſentialiter diſtinctæ requirant etiam cauſalitates eſſentialiter diſtinctas. *Tum* quia cauſalitas cauſæ primæ non eſt realiter ſubordinata, nec eiam dependens. Ergo debet teneri ſecundum, quod ſit terminus cauſalitatis divinæ, ſicque ad actionem cauſæ ſecundę dabitur efficax cauſalitas Dei præmovens ipſam cauſam ſecundam ad ſuam actionem.

249 *Tertia ratio.* Cauſa ſecunda neceſſaria antequam movetur eſt indeterminata ad hanç vel illam actionem, ergo neceſſariò indiget moveri motione aliqua prævia, per quam antecedenter ad ejus actionem & ad concurſum ſimultaneum Dei determinetur ad certam & determinatam actionem. Conſequentia patet ex authoritate S. Th. ſupra [a] adductâ. *Anteced. verò prob.* Quia cauſæ ſecundę & quæcunque virtutes activę non dantur ad unam ſolum actionem vel effectum, ſed poſſunt producere diverſos, vel ſpecie vel numero effectus, pro diverſitate cauſarum, ergo.

[a] n. 210.

250 *Dices.* Cauſam ſecundam determinare ſeipſum ad certam & individuam actionem. *Verùm hanc* ſolutionem expreſſè refutat S. Thom. [a] dicens, *Virtuti naturali conferri non potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe: unde ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur abſque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur abſque motione divina.* Ex quibus verbis duo licet colligere. *Primum eſt*, quod ſicut cauſa ſecunda nequit conſervare ſeipſam in eſſe, ita nec ſeipſam ad agendum movere aut determinare poteſt, quia ſeipſam non poteſt reducere de potentia ad actum, cum non ſit in actu, & ſi ſupponatur eſſe in actu, ut ſe moveat, hic tamen actus non eſt primò ſe movens, ſed motus ab alio, alias eſſet movens non motum, quod eſt Deus. *Secundum* quod colligitur, eſt, quod quemadmodum inſtrumentum artificis non operatur effectum, niſi prius moveatur & applicetur ab artifice, ita etiam virtus naturalis non operatur, nec operari poteſt, niſi præmoveatur à Deo ad operandum; *quod ſic probatur.* Nam impoſſibile eſt dari aliquod ens reale creatum, quod non dependeat à Deo, ſed eſſe

[a] *q. 3. de pot. a. 7. ad 7.*

Digitized by Google

eſſe actuale principium operationis & determinatum ad illam, eſt aliquid reale diſtinctum, *Tum* ab operatione, *Tum* etiam à principio habituali vel potentiali operandi, ergo non ſolum operatio cauſæ ſecundæ, ſed etiam quod ſit actuale principium operandi eſt à Deo, per conſequens per aliquid prævium, ſibique intrinſecum ipſa cauſa ſecunda movetur & determinatur à Deo.

251 *Objicies*. I. S. Th. ad ſubordinationem & dependentiam cauſę ſecundæ à prima, non requirit concurſum pręvium, ſed ſalvat eam per hoc, quod agens primum dederit ſecundo agenti virtutem, & conſervet eam in eſſe, ſic enim docet:[a] *Virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis, in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti per quam agit, vel conſervat eam.* Ergo ex mente S. Thomæ non eſt neceſſarius concurſus pręvius. II. *Si cauſæ ſecundæ* indigerent pręvia Dei motione: omnes eſſent cauſę inſtrumentales, quarum natura in eo conſiſtit, ut moveantur pręviâ motione, & applicentur à ſuperiore agente, ut vidimus ſupra,[b] ſed conſequens pluſquam abſurdum eſt, ergo. III. *Per*

a 3. *cont. Gen. c.* 70. b *lib.* 2. *reſol.* 38.

concurſum ſimultaneum ſalvatur omnis dependentia eſſentialis; *Tum* cauſę ſecundę à prima in cauſando; *Tum* actionis ejus; Tum etiam effectus, ergo ſuperfluit prævius.

252 *Ad I. objectionem ex authoritate. S. Tho. deſumptam Reſp.* illam authoritatem non integrè referri ab adverſarijs, quia immediatè poſt ultima citata verba, etiam hæc ſequentia, ut in ipſo fonte videre eſt, adducuntur, ſcilicet, *aut etiam applicat eam ad agendum.* Vnde in hoc loco non fuit diminutus S. Th. ſed quod alibi docet hic confirmat. *Deinde* ſciendum eſt, quod duplex ſit virtus communicata inferiori agenti à ſuperiori, una eſt habitualis, & per modum permanentis, collata rebus ad hoc ut poſſint operari, Alia eſt per modum actus & tranſeunter communicata, per quam cauſa ſecunda iam non accipit potentiam, ſed applicatur ſolum ad operationem actualem determinati effectus. Poſito ergo quod S. Th. nonnunquam faciat ſolius prioris communicationis mentionem, non tamen putandus eſt velle excludere poſteriorem, cum eam pleriſque alijs in locis ponat & exprimat, ut vidimus.

253 *Ad II. Objectionem* neg. ſequela. Vt enim aliqua cauſa ſit merè inſtrumentalis, debet

bet ita moveri à ſuperiori agente, ut tota ratio agendi ſit ipſa motio, & illa in ſe effectum non contineat, niſi quatenus eſt mota; iam autem cauſæ ſecundæ per motionem Dei non fiunt primùm potentes continere aut producere effectum, imò eum cum alijs ſimilibus effectibus in potentia & virtute ſua iam continent, ſed tatummodo per eam applicantur & determinantur, ut ex tota ſerie effectuum quos in virtute continent, talem in particulari, & non alium producant. *Exemplum* habemus manifeſtum in procreatione filiorum ex conjugio, licet enim conjuges in virtute ſua generativa contineant plures filios & filias, quod autem pro primogenitura generent filium & non filiam, vel etiam ex ſex aut decem filijs talem filium, non provenit primariò ab ipſis, ſed à Deo auctore naturę, ipſam virtutem generativam determinante ad hunc numero filium.

254 *Ad* III. *objectionem dicitur*, falſum eſſe quod per concurſum ſimultaneum ſalvetur omnis dependentia cauſę ſecundæ à prima, licet enim per eum ſalvetur dependentia actionis & effectus, nequaquam tamen ſalvatur dependentia ipſius cauſæ ſecundæ, ut actualiter operantis,

Digitized by Google

nii indirectè, quatenus ſcilicet ſua actio pendet à cauſa prima, cum ergo ipſa cauſa ſecunda debeat directè dependere à Deo in agendo, quatenus ab ipſo accipit immediatè, non ſolum ut ſit operativa, ſed etiam quod actualiter agat, ſeu quod ſit principium actuale operationis determinatum ad illam, & hoc non habeat præcisè per concurſum ſimulſtaneum; ideò oportet, quod applicetur & moveatur à Deo concurſu prævio, per quam non datur ei virtus in actu primo, quę deſerviat ad diverſas numero actiones, ſed datur virtus applicativa actus primi ad ſecundum, non qualitercunque, ſed determinatè ad hanc numero actionem, alias Deus non eſſet cauſa actionis, prout eſt à cauſa ſecunda, ſicut ſi Deus non moveret ſolem ad illuminandum, non eſſet cauſa illuminationis ſolis, prout eſt à ſole, licet poſſit eſſe cauſa illius illuminationis, quę eſt à ſole. Nec putandum eſt hunc concurſum prævium nullum habere terminum in cauſa ſecunda, habet enim pro termino cauſam eſſe applicatam realiter ad ſuam operationem, reductam ad actum ſecundum, & eſſe completam ad productionem exiſtentię.

Et hæc de hac prima parte hujus opuſculi dicta ſuf-

ficiant, ad laudem Unius, Primi immobilis & efficacis cordium noſtrorum Motoris à quo inceſſanter & tamdiu fortiter ſimul & ſuaviter moveri cupimus, donec in ipſo tanquam centro noſtro perpetuò quieſcamus.

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PARS SECUNDA.

Complectitur difficultatum in duobus libris de Generatione & corruptione tractari ſolitarum.

RESOLUTIONES.

§. I.

In quo quæſtio quędam pręambularis de objecto hujus partis enodatur.

RESOLUTIO I.

Objectum librorum de Generatione eſt ens mobile ad formam intrinſecam ſive illa forma ſit ſubſtantialis, ſive accidentalis.

255 OBjectum adæquatum & formale totius Philoſophiæ Naturalis eſſe Ens mobile,

mobile, conſtat ex ijs quæ diximus ſupra.[a] In præſenti ergo ſolummodo reſtat explicare, an etiam ipſummet ens mobile ſine ulla limitatione, an verò reſtrictum ad ens mobile, vel mobilitate ſubſtantiali, vel accidentali, ſit aſtruendum peculiari ratione objectum hujus 2. p. Philoſophiæ Naturalis? pro quo.

256 *Obſeruandum eſt*, formam eſſe duplicem, intrinſecam videlicet & extrinſecam. Illa eſt, cujus natura & eſſentia non deſumitur ab aliquo extrinſeco. & hæc eſt triplex, ſcilicet ſubſtantia, quantitas, & qualitas, unde ſi fuerit ſubſtantia, motus ad illam vocabitur generatio; ſi quantitas, motus ad illam dicetur augmentatio; ſi denique qualitas, motus ad illam nuncupabitur alteratio: forma extrinſeca eſt, quæ licet ſubjecto intrinſecè inhæreat, prouenit tamen & reſultat ab aliquo extrinſeco, V. g. *Vbi* quod provenit à locante.

257 *Dicimus ergo* objectum hujus 2. p. Phil. Natur. eſſe ens generabile, ſeu mobile ad formam intrinſecam, ſive illa ſit ſubſtantialis, ſive accidentalis, licet principale objectum ſit ens mobile ad formam intrinſecam ſubſtantialem tantùm *Ratio eſt.* Quia ad iſtam com-

[a] *p. 1. reſol. 2.*

communem rationem revocantur omnia, quę tractantur in libris de generatione, agitur enim in proceſſu hujus tractatus, de generatione, alteratione, & augmentatione, aliiſque motus ſpeciebus, qui omnes terminantur ad formam intrinſecam, ergo ſicut ens mobile localiter & ad formam extrinſecam, eſt principium radicale motus localis, ita etiam ens mobile ad formam intrinſecam, quia eſt principium radicale iſtorum motuum, erit objectum adæquatum librorum de generatione.

258 *Nec proinde* exiſtimandum eſt Phyſicam non eſſe unam ſpecie ſcientiam, quia partes ipſius videntur habere objecta formaliter diverſa: licet enim hæc objecta in genere Entis & materialiter differant, conveniunt tamen in una ratione ſcibilis videlicet in eadem abſtractione à materia ſingulari, à quo unitas ſcientiarum deſumitur, ut diximus in Philoſophia Rationali. [a]

[a] *p.* 4, §. 17.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

§. 2.

De generatione Subſtantiali in communi.

RESOLVTIO II.

Generatio ſubſtantialis communiter dicta, benè definitur ab Ariſt. [a] *quod ſit mutatio totius in totum, nullo ſubjecto ſenſibili remanente,*

259 GEneratio tribus modis ſumi ſolet, *primò large*, quatenus complectitur quamcunque mutationem, ſive ſubſtantialem, ut generatio, ſive accidentalem, ut alteratio, augmentatio &c. ſicque definitur, quod ſit *muta-*

[a] *hic, c.* 4.

mutatio, ſive tranſitus ſubjecti de non eſſe ad eſſe. II. *Sumitur* magis propriè & ſtrictè, pro eâ ſcilicet mutatione, quâ forma ſubſtantialis imprimitur materiæ, ſive illa ſit vivens, ſive non vivens, & hôc modô ſumpta definitur, quod ſit *mutatio totius in totum, nullo ſubjecto ſenſibili remanente.* III. *denique* accipitur ſtrictiſſimè pro ſola generatione viventium, & definitur, quod ſit *proceſſus ſeu origo viventis à vivente conjuncto, ſecundum ſimilitudinem naturæ.* In præſenti ſolùm loquimur de generatione ſecundô modô ſumpta, cujus definitionem ſic explicamus.

260 Dicitur I. *Mutatio*, quę particula ponitur loco generis, quia ſic convenit generatio cum alijs mutationibus, quæ tamen generationes non ſunt. Dicitur II. *totius in totum*, per quam particulam explicatur tam terminus *à Quo*, quàm terminus *ad Quem*, generationis, & ille quidem eſt duplex, Vnus primarius, qui eſt privatio formæ introducendæ, & Alter ſecundarius, qui eſt forma ſeu compoſitum corrumpendum: Terminus *ad Quem* etiam duplex eſt, Vnus formalis, qui eſt ipſa forma ſubſtanſtialis quæ producitur, Alter totalis ſeu ultimus, qui eſt ipſum compoſitum productum.

ctum. Dicitur denique. III. *nullo ſubjecto ſenſibili remanente*, per quam particulam explicatur ſubjectum generationis quod ſcilicet ſit materia prima, nuda ab omnibus accidentibus ſenſibilibus, ut proinde non maneat idem compoſitum ſubſtantiale, quod fuit ante generationem, alias non differret generatio ab alteratione.

261 Vt porro etiam intelligatur generatio viventium, placet quoque ejuſdem definitionem explicare Prima particula *origo* ſive *proceſſio*, ponitur loco generis, ſic enim etiam complectitur generationem ęternam filii in divinis à Patre ęterno. Per ly, *viventis*, excluduntur omnes res inanimatæ carentes vita. Per ly *à vivente*, excluduntur productiones aliquorum animalium imperfectorum, ut murium, & ranarum, quæ ex putrefactione, aut à ſole generantur, quæ quamvis viventia ſint, non tamen generantur à vivente. Per ly, *conjuncto*, datur intelligi quod viventia intra ſe forment id, quod generant, prębentia ex ſua ſubſtantia materiam, ex qua genitum coaleſcat, in quo vel maximè differt à generatione non viventium, ad quam ſufficit, quod materia ſit juxta poſita, ut dum generatur ignis ex ligno juxta ſe poſito,

non

non intra ſe unito. Per ly, *in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ*, datur intelligi, quod id quod procedit, non ſolum ſit genitum, ſed etiam filius, generantur enim ex vivente pili, ungues, vermes &c. quæ procedunt activè à vivente, ipſo miniſtrante materiam, nec tamen procedunt ut filij, quia non in ſimilitudinem naturæ.

RESOLVTIO III.

Omnis generatio creata, quæ habet cauſam materialem ex qua fiat, eſſentialiter & intrinſecè eſt mutatio.

262 Veritas hujus reſolutionis facilè conſtare poteſt ex definitione generationis ſupra allata; Ariſt. namque pro ratione genericæ generationis ſemper aſſignat mutationem, quod D. Th. [a] confirmat his verbis ajens. *Generatio eſt ſpecies mutationis*. Ratio eſt. Nam cum mutatio ſit tranſitus ſubjecti de non eſſe ad eſſe, ideò ad mutationem tria ſunt neceſſaria, ſcilicet terminus à quo, terminus ad quem, & ſubjectum utrique commune, ſed in omni

[a] *q. 2. de pot. a. 1. ad 15.*

omni generatione hæc tria intrinſecè inveniuntur; *quob. prob.* Nam cum generatio eſſentialiter ſit quædam via & tendentia ad formam quam educit in materiam, illa nequit intelligi ſine eſſentiali reſpectu, tam ad terminum à quo recedit, quam ad terminum ad quem accedit, & à quo ſpecificatur, jam autem iſte receſſus & acceſſus non exercetur niſi in quodam ſubjecto, quod eſt materia, ergo.

263 *Dices.* Poteſt dari generatio, in qua non fiat tranſitus à privatione formæ ad ipſam formam, ut cum ex ſpeciebus ſacramentalibus generantur vermes, ſubminiſtratâ materiâ à Deo, quæ nunquam fuit in aliquo inſtanti privata formâ vermium, ſed in eodem inſtanti generationis ſubrogatur à Deo, ergo generatio non eſt eſſentialiter mutatio. *Reſp. quod etiam* in caſu argumenti non variatur naturalis modus generationis, quo minùs fiat tranſitus à privatione formæ ad ipſam formam, nam tunc quantitas conſervata ſine ſubjecto in omnibus gerit vices materiæ privatæ formâ, atque adeò præcedit in illa generatione privatio, non quidem in ipſa materia, ſed in ſubſtituto materiæ, quæ deinde in inſtanti generationis producitur continuata ad id, quod gerebat vices materiæ.

RESO-

RESOLVTIO IV.

Generatio ſubſtantialis eſt actio eſſentialiter diſtincta à tota alteratione præcedenti, per quam materia diſpoſita fuit ad novam formam.

264 NOn exigua eſt controverſia inter Philoſophos, ſitnè generatio ſubſtantialis actio realiter & eſſentialiter diſtincta à tota alteratione præcedenti, an verò ipſa ſubſtantia geniti poſitâ alteratione uſque ad ultimam diſpoſitionem, reſultet deinde ſine nova actione ſeu efficientia, propter naturalem connexionem cum illis diſpoſitionibus, quemadmodum reſultant propriæ paſſiones poſitâ eſſentiâ ſine novâ efficientiâ. Hoc ſecũdum nonnullis etiam ex Thomiſtis, primum verò nobis placet aſſerere cum S. Th. [a] ubi ſic habet. *Si formæ accidentales quæ ſunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma ſubſtantialis, habet aliquam propriam actionem, non eſt autem hujuſmodi actio diſponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam ſufficiunt formæ acci-*

C c

[a] 3. co. gen. c. 69.

quam ſexcentis exemplis poſſet declarari. *Min. Verò prob.* Nam exiſtentia eſt effectus ſolius Dei, primò & per ſe ab illo intentus, *Tum* quia eſt prædicatum eſſentiale ſolius Dei, imò propria eius quidditas & eſſentia, *Tum* quia eſt effectus univerſaliſſimus, ultima rei actualitas, ſoli primo actui & primę cauſæ univerſaliſſimæ, tanquam proprius effectus correſpondens, ergo à nullâ causâ ſecundâ niſi à Deo præmotâ poterit attingi, multò minus produci.

247 *Nec ſatisfacis* huic argumento, ſi dicas, ſufficere ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, ratione cujus illa inſtrumentaliter producat exiſtentiam, *Vel* enim nomine ſubordinationis intelligis generalem quandam ſubjectionem in omni creatura, etiam quieſcente repertam, Vel intelligis ſpecialem? Prima non ſufficit, quia alias ex vi illius etiam creaturæ quieſcentes dicerentur operari, ergo debes dicere ſecundum, quod nimirum ſubordinetur cauſæ primæ ſpeciali quadam ſubordinatione, fundatâ in aliquo ſpeciali de novo producto, & cauſæ ſecundæ impreſſo, ex vi cujus deinde tanquam inſtrumentum elevatum influat in effectum.

248 *Secunda ratio.* Actio quæcunque cauſæ creatæ,

createę, Vel eſt ipſa Dei cauſalitas, Vel ejuſdem cauſalitatis terminus, non enim datur medium: Sed primum dici non poteſt, quod ſcilicet ſit ipſa cauſalitas Dei; *Tum* quia cauſæ eſſentialiter diſtinctæ requirant etiam cauſalitates eſſentialiter diſtinctas. *Tum* quia cauſalitas cauſæ primæ non eſt realiter ſubordinata, nec eiam dependens. Ergo debet teneri ſecundum, quod ſit terminus cauſalitatis divinæ, ſicque ad actionem cauſæ ſecundę dabitur efficax cauſalitas Dei præmovens ipſam cauſam ſecundam ad ſuam actionem.

249 *Tertia ratio.* Cauſa ſecunda neceſſaria antequam movetur eſt indeterminata ad hanç vel illam actionem, ergo neceſſariò indiget moveri motione aliqua prævia, per quam antecedenter ad ejus actionem & ad concurſum ſimultaneum Dei determinetur ad certam & determinatam actionem. Conſequentia patet ex authoritate S. Th. ſupra a adductâ. *Anteced. verò prob.* Quia cauſæ ſecundę & quæcunque virtutes activę non dantur ad unam ſolum actionem vel effectum, ſed poſſunt producere diverſos, vel ſpecie vel numero effectus, pro diverſitate cauſarum, ergo,

a n. 210.

250 *Dices.* Cauſam ſecundam determinare ſeipſum ad certam & individuam actionem. *Verum hanc* ſolutionem expreſſè refutat S. Thom. [a] dicens, *Virtuti naturali conferri non potuit, ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe: unde ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur abſque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur abſque motione divina.* Ex quibus verbis duo licet, colligere. *Primum eſt*, quod ſicut cauſa ſecunda nequit conſervare ſeipſam in eſſe, ita nec ſeipſam ad agendum movere aut determinare poteſt, quia ſeipſam non poteſt reducere de potentia ad actum, cum non ſit in actu, & ſi ſupponatur eſſe in actu, ut ſe moveat, hic tamen actus non eſt primò ſe movens, ſed motus ab alio, alias eſſet movens non motum, quod eſt Deus. *Secundum* quod colligitur, eſt, quod quemadmodum inſtrumentum artificis non operatur effectum, niſi prius moveatur & applicetur ab artifice, ita etiam virtus naturalis non operatur, nec operari poteſt, niſi præmoveatur à Deo ad operandum; *quod ſic probatur.* Nam impoſſibile eſt dari aliquod ens reale creatum, quod non dependeat à Deo, ſed eſſe

[a] *q. 3. de pot. a. 7. ad 7.*

Digitized by Google

eſſe actuale principium operationis & determinatum ad illam, eſt aliquid reale diſtinctum, *Tum* ab operatione, *Tum* etiam à principio habituali vel potentiali operandi, ergo non ſolum operatio cauſæ ſecundæ, ſed etiam quod ſit actuale principium operandi eſt à Deo, per conſequens per aliquid prævium, ſibique intrinſecum ipſa cauſa ſecunda movetur & determinatur à Deo.

25. *Objicies*. I. S. Th. ad ſubordinationem & dependentiam cauſę ſecundæ à prima, non requirit concurſum pręvium, ſed ſalvat eam per hoc, quod agens primum dederit ſecundo agenti virtutem, & conſervet eam in eſſe, ſic enim docet: [a] *Virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis, in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti per quam agit, vel conſervat eam.* Ergo ex mente S. Thomæ non eſt neceſſarius concurſus pręvius. II. *Si cauſæ ſecundæ* indigerent prępia Dei motione: omnes eſſent cauſę inſtrumentales, quarum natura in eo conſiſtit, ut moveantur pręviâ motione, & applicentur à ſuperiore agente, ut vidimus ſupra, [b] ſed conſequens pluſquam abſurdum eſt, ergo. III. *Per*

[a] 3. *cont. Gen. c.* 70. [b] *lib.* 2. *reſol.* 38.

concurſum ſimultaneum ſalvatur omnis dependentia eſſentialis; *Tum* cauſę ſecundę à prima in cauſando; *Tum* actionis ejus; Tum etiam effectus, ergo ſuperfluit prævius.

252 *Ad* I· *objectionem ex authoritate. S. Tho. deſumptam Reſp.* illam authoritatem non integrè referri ab adverſarijs, quia immediatè poſt ultima citata verba, etiam hæc ſequentia, ut in ipſo fonte videre eſt, adducuntur, ſcilicet, *aut etiam applicat eam ad agendum.* Vnde in hoc loco non fuit diminutus S. Th. ſed quod alibi docet hic confirmat. *Deinde* ſciendum eſt, quod duplex ſit virtus communicata inferiori agenti à ſuperiori, una eſt habitualis, & per modum permanentis, collata rebus ad hoc ut poſſint operari, Alia eſt per modum actus & tranſeunter communicata, per quam cauſa ſecunda iam non accipit potentiam, ſed applicatur ſolum ad operationem actualem determinati effectus. Poſito ergo quod S. Th. nonnunquam faciat ſolius prioris communicationis mentionem, non tamen putandus eſt velle excludere poſteriorem, cum eam pleriſque alijs in locis ponat & exprimat, ut vidimus.

253 *Ad* II. *Objectionem* neg. ſequela. Vt enim aliqua cauſa ſit merè inſtrumentalis, debet

bet ita moveri à ſuperiori agente, ut tota ratio agendi ſit ipſa motio, & illa in ſe effectum non contineat, niſi quatenus eſt mota; iam autem cauſæ ſecundæ per motionem Dei non fiunt primûm potentes continere aut producere effectum, imò eum cum alijs ſimilibus effectibus in potentia & virtute ſua iam continent, ſed tatummodo per eam applicantur & determinantur, ut ex tota ſerie effectuum quos in virtute continent, talem in particulari, & non alium producant. *Exemplum* habemus manifeſtum in procreatione filiorum ex conjugio, licet enim conjuges in virtute ſua generativa contineant plures filios & filias, quod autem pro primogenitura generent filium & non filiam, vel etiam ex ſex aut decem filijs talem filium, non provenit primariò ab ipſis, ſed à Deo auctore naturę, ipſam virtutem generativam determinante ad hunc numero filium.

254 *Ad* III. *objectionem dicitur*, falſum eſſe quod per concurſum ſimultaneum ſalvetur omnis dependentia cauſę ſecundæ à prima, licet enim per eum ſalvetur dependentia actionis & effectus, nequaquam tamen ſalvatur dependentia ipſius cauſæ ſecundæ, ut actualiter operantis,

nii indirectè, quatenus ſcilicet ſua actio pendet à cauſa prima, cum ergo ipſa cauſa ſecunda debeat directè dependere à Deo in agendo, quatenus ab ipſo accipit immediatè, non ſolum ut ſit operativa, ſed etiam quod actualiter agat, ſeu quod ſit principium actualc operationis determinatum ad illam, & hoc non habeat præcisè per concurſum ſimultaneum; ideò oportet, quod applicetur & moveatur à Deo concurſu previo, per quam non datur ei virtus in actu primo, quę deſerviat ad diverſas numero actiones, ſed datur virtus applicativa actus primi ad ſecundum, non qualitercunque, ſed determinatè ad hanc numero actionem, alias Deus non eſſet cauſa actionis, prout eſt à cauſa ſecunda, ſicut ſi Deus non moveret ſolem ad illuminandum, non eſſet cauſa illuminationis ſolis, prout eſt à ſole, licet poſſit eſſe cauſa illius illuminationis, quę eſt à ſole. Nec putandum eſt hunc concurſum prevvium nullum habere terminum in cauſa ſecunda, habet enim pro termino cauſam eſſe applicatam realiter ad ſuam operationem, reductam ad actum ſecundum, & eſſe completam ad productionem exiſtentię.

Et hæc de hac prima parte hujus opuſculi dicta ſuf-

ficiant, ad laudem Vnius, Primi immobilis & efficacis cordium noſtrorum Motoris à quo inceſſanter & tamdiu fortiter ſimul & ſuaviter moveri cupimus, donec in ipſo tanquam centro noſtro perpetuò quieſcamus.

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS
PARS SECVNDA.

Complectitur difficultatum in duobus libris de Generatione & corruptione tractari ſolitarum.

RESOLVTIONES.

§. I.

In quo quæſtio quędam pręambularis de objecto hujus partis enodatur.

RESOLVTIO I.

Objectum librorum de Generatione eſt ens mobile ad formam intrinſecam ſive illa forma ſit ſubſtantialis, ſive accidentalis.

255 OBjectum adæquatum & formale totius Philoſophiæ Naturalis eſſe Ens mobile,

communem rationem revocantur omnia, quæ tractantur in libris de generatione, agitur enim in proceſſu hujus tractatus, de generatione, alteratione, & augmentatione, aliiſque motus ſpeciebus, qui omnes terminantur ad formam intrinſecam, ergo ſicut ens mobile localiter & ad formam extrinſecam, eſt principium radicale motus localis, ita etiam ens mobile ad formam intrinſecam, quia eſt principium radicale iſtorum motuum, erit objectum adæquatum librorum de generatione.

258 *Nec proinde* exiſtimandum eſt Phyſicam non eſſe unam ſpecie ſcientiam, quia partes ipſius videntur habere objecta formaliter diverſa: licet enim hæc objecta in genere Entis & materialiter differant, conveniunt tamen in una ratione ſcibilis videlicet in eadem abſtractione à materia ſingulari, à quo unitas ſcientiarum deſumitur, ut diximus in Philoſophia Rationali. [a]

[a] *p. 4. §. 17.*

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

§. 2.

De generatione Subſtantiali in communi.

RESOLVTIO II.

Generatio ſubſtantialis communiter dicta, bene definitur ab Ariſt. [a] *quod ſit mutatio totius in totum, nullo ſubjecto ſenſibili remanente,*

259 GEneratio tribus modis ſumi ſolet, *primò large*, quatenus complectitur quamcunque mutationem, ſive ſubſtantialem, ut generatio, ſive accidentalem, ut alteratio, augmentatio &c. ſicque definitur, quod ſit *muta-*

[a] *hic, c. 4.*

mutatio, ſive tranſitus ſubjecti de non eſſe ad eſſe. II. *Sumitur* magis propriè & ſtrictè, pro eâ ſcilicet mutatione, quâ forma ſubſtantialis imprimitur materiæ, ſive illa ſit vivens, ſive non vivens, & hôc modô ſumpta definitur, quod ſit *mutatio totius in totum, nullo ſubjecto ſenſibili remanente.* III. *denique* accipitur ſtrictiſſimè pro ſola generatione viventium, & definitur, quod ſit *proceſſus ſeu origo viventis à vivente conjuncto, ſecundum ſimilitudinem naturæ.* In pręſenti ſolùm loquimur de generatione ſecundô modô ſumpta, cujus definitionem ſic explicamus.

260 Dicitur I. *Mutatio*, quę particula ponitur loco generis, quia ſic convenit generatio cum alijs mutationibus, quæ tamen generationes non ſunt. Dicitur II. *totius in totum*, per quam particulam explicatur tam terminus *à Quo*, quàm terminus *ad Quem*, generationis, & ille quidem eſt duplex, Vnus primarius, qui eſt privatio formæ introducendæ, & Alter ſecundarius, qui eſt forma ſeu compoſitum corrumpendum: Terminus *ad Quem* etiam duplex eſt, Vnus formalis, qui eſt ipſa forma ſubſtanſtialis quæ producitur, Alter totalis ſeu ultimus, qui eſt ipſum compoſitum productum.

ctum. Dicitur denique. III. *nullo ſubjecto ſenſibili remanente*, per quam particulam explicatur ſubjectum generationis quod ſcilicet ſit materia prima, nuda ab omnibus accidentibus ſenſibilibus, ut proinde non maneat idem compoſitum ſubſtantiale, quod fuit ante generationem, alias non differret generatio ab alteratione.

261 Vt porro etiam intelligatur generatio viventium, placet quoque ejuſdem definitionem explicare Prima particula *origo* ſive *proceſſio*, ponitur loco generis, ſic enim etiam complectitur generationem ęternam filij in divinis à Patre ęterno. Per ly, *viventis*, excluduntur omnes res inanimatæ carentes vita. Per ly *à vivente*, excluduntur productiones aliquorum animalium imperfectorum, ut murium, & ranarum, quæ ex putrefactione, aut à ſole generantur, quæ quamvis viventia ſint, non tamen generantur à vivente. Per ly, *conjuncto*, datur intelligi quod viventia intra ſe forment id, quod generant, prębentia ex ſua ſubſtantia materiam, ex qua genitum coaleſcat, in quo vel maximè differt à generatione non viventium, ad quam ſufficit, quod materia ſit juxta poſita, ut dum generatur ignis ex ligno juxta ſe poſito,

non

non intra ſe unito. Per ly, *in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ*, datur intelligi, quod id quod procedit, non ſolum ſit genitum, ſed etiam filius, generantur enim ex vivente pili, ungues, vermes &c. quæ procedunt activè à vivente, ipſo miniſtrante materiam, nec tamen procedunt ut filij, quia non in ſimilitudinem naturæ.

RESOLVTIO III.

Omnis generatio creata, quæ habet cauſam materialem ex qua fiat, eſſentialiter & intrinſecè eſt mutatio.

262 VEritas hujus reſolutionis facilè conſtare poteſt ex definitione generationis ſupra allata; Ariſt. namque pro ratione genericæ generationis ſemper aſſignat mutationem, quod D. Th. [a] confirmat his verbis ajens. *Generatio eſt ſpecies mutationis*. Ratio eſt. Nam cum mutatio ſit tranſitus ſubjecti de non eſſe ad eſſe, ideò ad mutationem tria ſunt neceſſaria, ſcilicet terminus à quo, terminus ad quem, & ſubjectum utrique commune, ſed in omni

[a] *q. 2. de pot. a. 1. ad 15.*

omni generatione hæc tria intrinſecè inveniuntur; *quob. prob.* Nam cum generatio eſſentialiter ſit quædam via & tendentia ad formam quam educit in materiam, illa nequit intelligi ſine eſſentiali reſpectu, tam ad terminum à quo recedit, quam ad terminum ad quem accedit, & à quo ſpecificatur, jam autem iſte receſſus & acceſſus non exercetur niſi in quodam ſubjecto, quod eſt materia, ergo.

263 *Dices.* Poteſt dari generatio, in qua non fiat tranſitus à privatione formæ ad ipſam formam, ut cum ex ſpeciebus ſacramentalibus generantur vermes, ſubminiſtratâ materiâ à Deo, quæ nunquam fuit in aliquo inſtanti privata formâ vermium, ſed in eodem inſtanti generationis ſubrogatur à Deo, ergo generatio non eſt eſſentialiter mutatio. *Reſp. quod etiam* in caſu argumenti non variatur naturalis modus generationis, quo minùs fiat tranſitus à privatione formæ ad ipſam formam, nam tunc quantitas conſervata ſine ſubjecto in omnibus gerit vices materiæ privatæ formâ, atque adeò præcedit in illa generatione privatio, non quidem in ipſa materia, ſed in ſubſtituto materiæ, quæ deinde in inſtanti generationis producitur continuata ad id, quod gerebat vices materiæ.

RESO-

RESOLVTIO IV.

Generatio ſubſtantialis eſt actio eſſentialiter diſtincta à tota alteratione præcedenti, per quam materia diſpoſita fuit ad novam formam.

264 NOn exigua eſt controverſia inter Philoſophos, ſitnè generatio ſubſtantialis actio realiter & eſſentialiter diſtincta à tota alteratione præcedenti, an verò ipſa ſubſtantia geniti poſitâ alteratione uſque ad ultimam diſpoſitionem, reſultet deinde ſine nova actione ſeu efficientia, propter naturalem connexionem cum illis diſpoſitionibus, quemadmodum reſultant propriæ paſſiones poſitâ eſſentiâ ſine novâ efficientiâ. Hoc ſecũdum nonnullis etiam ex Thomiſtis, primum verò nobis placet aſſerere cum S. Th. [a] ubi ſic habet. *Si formæ accidentales quæ ſunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma ſubſtantialis, habet aliquam propriam actionem, non eſt autem hujuſmodi actio diſponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam ſufficiunt formæ*

[a] *3. co. gen. c. 69.*

accidentales, igitur forma generantis eſt principium actionis, ut forma ſubſtantialis introducatur in generatum. Quibus verbis S. D. manifeſtè condiſtinguit actionem introducentem formam ſubſtantialem, ab actione diſponente materiam, ad quam dicit ſufficere formam accidentalem, ad illam verò requirit formam ſubſtantialem generantis, licet non ut principium proximum: & hinc eſt, quod dum ex ligno generatur ignis, non ſufficiat calefactio & exſiccatio diſponentes lignum, ſed ijs præſuppoſitis, debet accedere nova actio eductiva formæ ignis ex ligno.

265 *Ratio eſt.* Nam productis accidentibus per diſpoſitiones & alterationes præcedentes, non eſt eo ipſô producta ſeu educta de potentia materię nova forma ſubſtantialis neque unita eidem materię, ergo requiritur nova & diſtincta actio per quam educatur & uniatur. *Prob. Antec.* quia eductio formæ ſubſtantialis & unio ejus cum materia eſt novus atque diſtinctus effectus, & ſubſtantialis quidem, & per conſequens alterius ordinis à qualitatibus per alterationem productis, ergo petit novum atque diſtinctum fieri, id eſt, novam actionem, non ſucceſſivam, ſed inſtantaneam, ſiquidem

quidem etiam ipſa ſubſtantia habet totum ſuum eſſe ſimul in inſtanti.

266 *Dices*. Subſtantia geniti reſultat poſitâ alteratione, unde etiam S. Th. [a] generationem vocat terminum alterationis, ergo non indiget nova actione. *Reſp. impoſſibile eſſe* quod reſultet ab alteratione, nam reſultantia fundatur in connexione neceſſaria & per ſe unius cum alio, ita ut exiſtente re, à qua aliquid reſultat, etiam exiſtat res reſultans, uti conſtat in proprijs paſſionibus, quæ reſultant ab eſſentia & exiſtunt cum illa, ſed generatio non habet connexionem exiſtentiæ cum alteratione, hæc enim corrumpitur per generationem, quatenus per hanc corrumpitur ſubjectum in quo exiſtit alteratio, ergo nequit ab hac reſultare generatio. Quod autem S. Tho. generationem vocet terminum alterationis, ſenſus eſt, quod ſit finis ipſius tanquam actio principalior, ad quam ordinatur alteratio, non tanquam ad rem productam per reſultantiam, ſed tanquam ad actionem diſtinctam, quæ præſuppoſitâ alteratione ut diſponente, oritur neceſſariò à generante.

267 *Inſtabis*. In inſtanti generationis nulla

[a] *in tract. de nat. ma.*

eſt cauſa, à qua poſſit illa nova actio generativa procedere, nam inprimis non poteſt eſſe ipſum generans; quod aliquando non amplius vivit, neque poteſt eſſe virtus relicta à generante, quia in inſtanti generationis viventium V. g. nullum eſt accidens, quia jam tota virtus ſeminalis in illo inſtanti deſinit eſſe unà cum ſemine, cui forma geniti unitur, ergo.

Reſp. cauſam illius novæ actionis eſſe virtutem ſeminalem à generante relictam, quod ut intelligatur. *Advertendum eſt*, in ſemine eſſe duas partes diverſæ rationis, unam corpulentam & craſſam, alteram verò minus corpulentam & magis ſubtilem ac ſpirituoſam. Iam ergo virtus activa generantis non eſt in toto ſemine, ſed in partibus ſpirituoſis, quæ agunt in alias maximè corpulentas, & formant illas per formas embrionis, uſque ad perfectæ formæ introductionem, poſt cujus formæ introductionem deſinit eſſe illa vis activa in parte ſpirituoſa ſeminis, eo quod erat vis inſtrumentalis, quæ ceſſat effectu producto, & reſolvitur unà cum parte ſpirituoſa, in qua reſidebat, in aliquid aliud, ſcilicet in aliquos ſpiritus vitales reſidentes circa cor.

RESO-

RESOLVTIO V.

Terminus totalis ſeu adæquatus, vel etiam terminus qui producitur per generationem ordine intentionis ſimpliciter primarius, eſt ſuppoſitum exiſtens.

268 DVo communiter à Philoſophis aſſignantur termini generationis, unus totalis & adæquatus, in quo conſiderantur omnes partes ipſam naturam integram conſtituentes, inter quas etiam eſt ſubſiſtentia, quâ natura ſubſiſtit, & exiſtentia, quâ exiſtit: Alius eſt terminus formalis, qui etiam eſt duplex, partialis ſcilicet, qui eſt illud principium, quod diſtinguitur contra materiam, & illi unitum componit naturam completam, ſicut eſt forma ſubſtantialis: Alius verò eſt totalis, qui eſt natura integra conſtans materia & forma unitis, ut condiſtinguitur contra ſuppoſitum vel perſonam ſicut V. g. humanitas: Quod ergo terminus totalis generationis ſit ſuppoſitum exiſtens docet S. Th. [a] inquiens. *Fieri ordina-*

[a] *1. p. q. 45. a. 4.*

dinatur ad eſſe rei, unde illis propriè convenit fieri, quibus convenit eſſe. Iam ſubſumo. Sed ſoli ſuppoſito convenit eſſe, ergo. *Ratio idipſum ſuadet.* Nam illud quod eſt in aliqua linea rerum ultimum in executione, debet eſſe primum in intentione, ſed ſupoſitum exiſtens eſt ultimum in executione intra lineam ſubſtantiæ, ergo erit primum in intentione.

269 Dices. B Virgo verè & propriè genuit Chriſtum, & tamen non attigit ejus ſuppoſitum neque producendo. neque uniendo, ergo terminus ultimatus generationis non eſt ſuppoſitum. *Reſp.* quod B. Virgo etiam attigerit ſuppoſitum Chriſti uniendo illud naturę, non quidem immediatè, ſed mediatè, mediante ſcilicet anima rationali, cui per prius prioritate naturæ communicata fuit ſubſiſtentia Verbi, & deinde corpori: quamvis enim in generatione hominis generans non producat formam, neque ejus ſubſiſtentiam, ſed hæc creetur & infundatur à Deo, unit tamen materiam illi formæ, ſicque illud eſſe vel ſubſiſtere animæ, quod fit à Deo, communicatur à generante ipſi corpori, quatenus animam ſimul cum ſuo eſſe communicat corpori: ſic etiam quando actio generativa B. Virginis attigit unionem corpo-

ris

ris jam formati & diſpoſiti ad animam, quam Deus infundebat & aſſumebat, illud ipſum eſſe & ſubſiſtentiam, quam in anima inveniebat communicabat corpori.

RESOLVTIO VI.

Subjectum generationis ſubſtantialis, quatenus hæc mutatio quædam eſt, eſt ſola materia prima, quatenus verò actio eſt diſtincta à tota alteratione præcedenti, ſic ſubjectum inhæſionis ipſius eſt totum compoſitum.

270 GEneratio duobus modis conſiderari poteſt, ſemel ut mutatio quædam eſt, quâ ratione ſupra [a] illam definivimus, quod ſit mutatio totius in totum &c. Alio modò ut actio eſt diſtincta ab alteratione, procedens à virtute relicta à generante. Si priori modo ſpectetur, dicimus ſubjectum ejus eſſe ipſam materiam primam. *Ratio eſt*: Quia illud eſt ſubjectum mutationis, quod eſt ſubjectum terminorum, inter quos verſatur motus, ſed materia prima nudè accepta eſt ſubjectum termi-

[a] *n.* 160.

noi um generationis, quatenus mutatio eſt, ergo. *Minor prob:* Nam termini generationis ut mutatio eſt, ſunt privatio & forma ſubſtantialis, ſed tam privatio quam forma habent pro ſubjecto materiam primam, ipſa enim eſt privata forma ſubſtantiali, & ipſa etiam immediatè informatur forma ſubſtantiali, & mutatur de privatione ad formam, ergo. Et hoc eſt, quod S. Th. [a] ait *Quod in generatione & eſt mutatio, & eſt relatio, quâ refertur genitum ad generans. Ratione ergo mutationis non habet pro ſubjecto ipſum generatum, ſed ejus materiam, ſed ratione relationis habet ſubjectum ipſum generatum.*

271 Si verò generatio ſpectetur, ut actio eſt, ſic ejus ſubjectum eſt totum compoſitum. *Ratio eſt.* Quia ſic ſumpta ſuam denominationem non tribuit materię, ſed compoſito, compoſitum enim denominatur intrinſecè genitum, non verò materia prima, quæ eſt ingenerabilis & incorruptibilis. Hinc etiam S. Th. [b] inquit *Nativitas quæ eſt quadam ſpecies generationis, attribuitur ſicut ſubjecto ei quod naſcitur.*

Objicies. Totum compoſitum ſubſtantiale ſub-

[a] *q. de pot. a. 3. ad. 4.* [b] *3. p. q. 35. a. 1.*

ſubſiſtens eſt terminus generationis, ut paulò ante [a] diximus. ergo nequit eſſe ſubjectum inhæſionis actionis generativæ, quia ſubjectum generationis eſt prius ſaltem naturâ generatione; terminus verò eſt poſterior naturâ generatione, eſt autem impoſſibile, quod idem reſpectu ejuſdem ſit prius & poſterius. ergo.

Reſp. Quod compoſitum ſubſtantiale duobus modis conſiderari poſſit, ſemel in fieri, & quatenus tendit ad eſſe perfectum & quietum: aliô modô in facto & in quieto eſſe. Si priori modo de eo ſit ſermo, ſic habet rationem ſubjecti, & eſt prius natura ipsâ generatione, in genere cauſæ materialis, licet generatio in genere cauſę formalis & efficientis ſit prior: ſi poſteriori modo de eo loquamur, ſic eſt terminus generationis, & eſt natura poſterius ipsâ generatione, eſſe autem prius & poſterius ſecundùm diverſam conſiderationem, nullum eſt inconveniens.

[a] *reſol.* 5.

§. 3. De

§. 3.

De corruptione ſubſtantiali.

RESOLVTIO VII.

Corruptio ſubſtantialis definitur, quod ſit tranſitus materiæ ab eſſe formæ ſubſtantialis ad non eſſe illius in ipſa materia.

271 SVppoſito dari corruptionem ſubſtantialem, quod ex capacitate & neceſſitate materiæ ſublunaris colligitur, quæ dum per generationem recipit unam formam, perdit aliam, quatenus videlicet duarum formarum ſimul non eſt capax, nunc declaranda eſt natura ejuſdem, ex differentia quæ verſatur inter generationem & corruptionem: cum enim hæ ſint oppoſitæ mutationes, oportet, quod ſicut in generatione reducuntur res de potentia in actum, ita è converſo in corruptione reducantur de actu in potentiam, quia totum compoſitum reſolvitur in materiam primam, quæ eſt pura potentia, ergo ſicut generatio eſt tranſitus materiæ à non eſſe formę ad eſſe illius, ita corruptio erit tranſitus materiæ ab

ab eſſe formæ ad non eſſe illius in eadem communi materia.

273 *Dices.* Omnis mutatio identificatur cum ſuo termino *ad Quem*, ſed corruptio non identificatur cum ſuo termino *ad Quem*, qui eſt non eſſe rei corruptæ, ergo non eſt mutatio. *Reſp.* Maiorem veram eſſe de mutatione acquiſitiva, qualis eſt generatio, non verò de mutatione deperditiva ſeu deſtructiva, qualis eſt corruptio, hęc enim cum ſuo *termino à Quo* identificari debet. *Ratio diſparitatis eſt.* Quia mutatio acquiſitiva eſt ipſum fieri formæ futuræ ſeu generandæ, corruptio vero eſt ipſum corrumpi, ſeu deficere formæ præſentis, unde illa ſpecificatur à ſuo termino *ad Quem*, ut proinde generatio muris & ranę ex eâdem materia ſit diverſæ ſpeciei: mutatio verò deperditiva ſpecificatur à termino *à Quo*, unde corruptio hominis & bovis eſt diverſę ſpeciei, etſi uterque terminus *ad Quem* ſit non eſſe ſimpliciter.

RESOLVTIO VIII.

Corruptio ſubſtantialis eſt mutatio naturalis reſpectu materiæ ſublunaris, non tamen eſt naturalis reſpectu formæ, ſeu compoſitis.

274 DEſumitur hęc reſolutio ex S. Th. [a] ita inquiente *Corruptiones & defectus rerum ſunt naturales, non quidem ſecundùm inclinationem formæ, quæ eſt principium eſſendi & perfectionis, ſed ſecundùm inclinationem materiæ.* Et *ratio prioris*, quod ſcilicet formæ aut compoſito non ſit naturalis, eſt. Quia corruptio tendit per ſe ad non eſſe formæ, quod etiam eſt non eſſe compoſiti; ſed nil inclinatur ad proprium non eſſe, ſed potiùs appetit naturaliter eſſe, & conſervationem in eo, ergo corruptio non poteſt eſſe naturalis reſpectu formæ ſeu compoſiti. *Quod verò reſpectu materiæ ſit naturalis, ſic probatur.* Nam cum materia prima ſit pura potentia, appetit naturaliter quamlibet formam, prout diximus in priori parte Phil. Natur. [b] Ergo habens unam formam naturali-

ter

[a] *1. 2. q. 85. a. 6.* [b] *reſol. 10.*

tur appetit aliam, ſed non poteſt eam recipere niſi excluſa priori, ergo tunc inclinabitur in corruptionem illius prioris formæ.

RESOLVTIO IX.

Hæc propoſitio, Generatio unius eſt corruptio alterius, *verificatur ſolum in ſenſu cauſali, non verò in formali, neq; in identico.*

275 Non procedit hoc axioma de generatione & corruptione ſub formalitate actionis, quia generatio & corruptio in ratione actionis non diſtinguuntur, cum per eandem actionem, quâ introducitur una forma, expellatur alia, non quidem æque primariò ac immediatè, ſed mediante cauſalitate formali, quare ſolum de ijs loquimur ſub titulo & formalitate mutationis, quatenus mutationes ſunt, dicimuſque dictam propoſitionem verificari in ſenſu cauſali. Nam generatio cauſat & introducit formam ſubſtantialem, & conſequenter expellit aliam cum illa incompatibilem, quod eſt eſſe cauſam corruptionis non per ſe primò, ſed ſecundariò. *Quod autem* neque

que in ſenſu formali, neque identice vera ſit dicta propoſitio, conſtat, *Tum* quia ſunt mutationes ſpecie diverſę, quæ de ſe invicem prædicari non poſſunt: *Tum*, quia etiam realiter inter ſe differunt, nam generatio formaliter ſumpta identificatur cum forma geniti, & corruptio cum forma corrupti, hæc autem inter ſe nec prædicari, nec identificari poſſunt.

RESOLVTIO X.

In corruptione ſubſtantiali fit reſolutio uſque ad materiam primam, ita quod nec quantitas, nec qualitas, nec ullum aliud accidens maneat in genito, quod erat in corrupto.

276 NOn placet hæc noſtra ſententia cuidam Neoterico Athomiſtæ, qui in diſputatione philoſophicâ de ortu & interitu Dilingæ Anno 1653. *Menſe* Iunio impreſsâ theſi 22. numerat eam inter difficiles Thomiſtarum opiniones, his verbis inquiens. *Miror profectò quod Thomiſta nullô ſolidô argumentô nixi auſint à quoquam exigere tam duram ſervitutem intellectus & ſenſus in obſequium ſuarum*

ſuarum difficilium opinionum. Hæc ille.

Verum mittamus nos hanc ſtoliditatem, dicit enim ſapiens, [a] *qui contumeliam profert inſipiens eſt:* videamusque utra ſententia firmioribus ac ſolidioribus nitatur argumentis. Gloriatur is ſe *Ducem habere Ariſtotelem, experientiam & rationem.* Magna gloria, ſi ita eſt, quod deinceps enucleandum erit. Nobis præter Ariſtotelem Dux eſt & comes Doctor Aquinas, in quo habemus auctoritatem & rationem, qui inſtar alterius Archangeli Raphaëlis nos perpetuô comitatur, ne à via & veritate doctrinæ ejus angelicæ toties à Deo & Eccleſia commendatæ aberremus. Comitantur præterea nos illuſtria, eaque nominatiſſima Collegia Complutenſe & Conimbricenſe, quorum hoc poſterius lib. 1. de Gen. q. 18. (relata prius in art. 1. opinione aiente, in corruptione non fieri reſolutionem formarum accidentalium uſque ad materiam primam) ita de hac noſtra ſententia ediſſerit. *Placet tamen contrariam aſſertionem,* (vid. noſtram) *quæ magis Ariſtotelica videtur, tueri cum D. Thoma* [b] *cumque utroque illius magiſtro Alenſe & Magno Alberto, cum Hervæo, Caietano, Iavello, Soncinate, Hiſpalenſi, Capreolo,*

[a] *Pro.* 10. [b] *1. p. q. 76. a. 6.*

Digitized by Google

Capreole, &c. Si ergo hæc noſtra ſententia ſecundùm Conimbricenſes magis Ariſtotelica eſt, uti revera eſt, quomodo noſter adverſarius gloriatur ſe Ducem habere Ariſtotelem? ſed mox evaneſcet hæc gloria, dum contrarium ſenſiſſe Ariſtotelem, oſtendemus.

277 *Probamus* itaque inprimis ſententiam noſtram ab auctoritate Ariſtotelis ſic [a] generationem definientis. *Eſt mutatio totius in totum, nullo ſubjecto ſenſibili remanente.* Si autem poſt generationem ignis v. g. ex ligno, manerent in ipſo igne genito aliqua accidentia, & quidem eadem numero quę erant in ligno corrupto, jam generatio non eſſet reſolutio & mutatio totius in totum, ſiquidem remanerent aliqua accidentia ſenſibilia in genito, quæ erant in corrupto.

Reſpondet ſupra memoratus inſectator theſi. 22. circa finem in hæc verba. *Minus negotij faceſſunt illa verba, nullo ſenſibili remanente, per hæc enim plus non intelligunt, quàm in corruptione non remanere idem ſubjectum totale denominationis, ſive eandem ſubſtantiam completam ſenſibilem.* Sed certè pulchra explicatio, quam ut ipſemet fatetur, ridet Arriaga, & meritò, quod præter

[a] *l. I. de Gen. c. 4.*

præter inſtantiam, qui ipſe Arriaga eam impugnat dicens, *cum totum precedens ſit tantùm unicum, minùs aptè dici nullum remanere*, nos alijs inſtātijs ijſque evidentiſſimis oſtendemus explicationem illam meritiſſimè ridendam.

278 *Nam inprimis*, quod Ariſtoteles nomine ſubjecti ſenſibilis, intelligat ſubjectum totale denominationis, falſiſſimum eſt, & planè voluntariè ſine ullo prorſus fundamento aſſeritur, eò quod jam in prioribus verbis, dum dicit, *eſt mutatio totius in totum*, de eo fateatur, quod omninò tranſmutetur, & nihil ejus remaneat, ſi ergo in ſequentibus Verbis, *nullo ſubjecto ſenſibili remanente*, itidem de ſubjecto totali loqueretur, non plus diceret in ſequentibus, quàm in prioribus verbis, ſed id quod prius jam dixerat, ſolummodo repeteret, ut fieret ſenſus, *generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſubjecto totali remanente*, quô quid abſurdius riſuque magis dignum dici poſſit, non apparet, quare omninò tenendum eſt, Ariſtotelem loqui de ſubjectis ſeu objectis ſenſibilibus, id eſt, de accidentibus, quæ per ſe ſenſibilia ſunt, atque de ijſdem fateri, nullum eorum idem numero remanere in corruptione rei ſubſtantialis.

Deinde, ſubjectum totale cum ſit ſubſtantia,

non eſt per ſe ſenſibile, quia ut inquit S. Th. [a] *nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis*, ergo rurſus Ariſt. nomine ſubjecti ſenſibilis non potuit intellexiſſe ſubjectum totale denominationis, ſed intellexit qualitates ſenſibiles, quæ per ſe & ratione ſui ſenſibiles ſunt. Ex quo etiam firma manet inſtantia P. Arriaga, quam quidem adverſarius noſter conatur effugere dicendo, quod Arriaga non attenderit *ad communem loquendi modum, juxta quem de pupillo aliquo ſolemus dicere, nullam ipſi amplius ſupereſſe matrem, etſi non niſi unam habuerit.* cum enim nomine ſubjecti ſenſibilis non intelligatur ſubjectum totale, prout oſtenſum eſt, ſed accidentia ſenſibilia, ideò exemplum allatum de pupillo & matre non eſt ad propoſitum.

279 *Probamus* 2. auctoritate S. Th. qui perpetuus eſt in hac noſtra ſententia, eamque pluribus in locis apertiſſimè docet. Ita enim inquit primò [b] *Accidentia individuantur per ſubjectum, quod eſt ſubſtantia.* Secundò [c] *Accidentia ſicut eſſe habent in ſubjecto, ita ex ſubjecto, ſuſcipiunt unitatem vel multitudinem.* Tertio. [d] *Accidentia multiplicantur ſecundùm diviſio-*

[a] *in 2. di 13. q. 1. a. 3.* [b] *1. p. q. 29. a. 3.* [c] *Ibid. q. 39. a. 3.* [d] *in 1. d. 4. q. 1. a. 2. C.*

Digitized by Google

viſionem ſubjecti, unde hæc albedo eſt alia ab illa, in quantum hæc eſt hujus, & illa illius. Ad quæ loca ſic placet ſubſumere. Sed in generatione & corruptione rerum multiplicantur ſubjecta totalia, ita ut aliud ſit ſubjectum genitum & aliud corruptum, ergo etiam multiplicabuntur omnia accidentia, ita ut eadem numero non maneant in genito, quæ erant in corrupto.

280 *Probamus tertiò* ab optimis rationibus, nobis maximè, minimè verò adverſario patrocinantibus, quarum prima hæc eſto. Materia prima eſt in potentia ad formas ſubſtantiales & accidentales, non qualitercunque, ſed ordine quodam, ita ut prius recipiat ſubſtantiales, quas per ſe primò tanquam ſuum proprium ſpecificativum reſpicit, quam accidentales, dicit enim S. Th. [a] *cum materia ſit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet, quod id quod eſt primùm ſimpliciter in actibus, primò in materia intelligatur, primum autem inter omnes actus eſt eſſe. Impoſſibile ergo eſt intelligere materiam prius eſſe calidam vel quantam, quam eſſe in actu; eſſe autem in actu habet per formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimpliciter.* Ita S. D. ergo quando materia privatur forma ſubſtantiali

 un-

a 1. p. q. 76. a. 6. C.

ut contingit in corruptione, privatur etiam omnibus formis accidentalibus, alias, ut benè argumentantur Conimbricenſes loco cit. *Sequeretur firmiorem eſſe unionem materiæ cum quantitate, quam cum forma ſubſtantiali, ſiquidem hæc eſſet diſſolubilis, illa vero perpetua. Confirmatur.* Nam ex materia & forma fit unum ens per ſe, quia ſpectant ad eandem Categoriam ſubſtantiæ, ex materia verò (intellige mediante forma) & quantitate alijſque accidentibus, fit ſolum ens per accidens, ergo ſi id diſſolvatur quod per ſe & immediatè unitur materiæ, ſicut eſt forma, multó magis diſſolventur ea quæ per accidens ſolùm uniuntur, uti ſunt accidentia, fortior enim eſt nexus & unio inter ea, quę per ſe, quam quæ per accidens uniuntur & copulantur. *Nec poteſt dici*, quod materia prius prioritate originis reſpiciat accidentia, ſàltim ea, quę formam inducunt, quam ipſam formam. *Nam* materia ut diſponitur ad aliam formam, nunquam eſt nuda ab omni forma, ſed ſemper exiſtit ſub aliqua forma, & dum eſt ſub illa forma, diſponitur ad aliam formam, ut materia ſub forma ligni exiſtens diſponitur ad formam ignis.

281 *Secunda ratio.* Materia non eſt ſuſcepti-

va

va accidentium niſi mediante forma, ergo pereunte forma, pereunt etiam omnes formæ accidentales. Antecedens præterquam quod id doceat S. Th. [a] dicens, *impoſſibile eſt, quod quæcunque diſpoſitiones accidentales praexiſtant in materia ante formam ſubſtantialem. Probatur etiam ratione.* Materia prima non eſt ſuſceptiva accidentium, niſi illa ſit in certa ſpecie, ſed non eſt in certa aliqua ſpecie, niſi mediante forma ſubſtantiali, ut diximus in 1. p. phil. Nat. [b] ergo non eſt ſuſceptiva accidentium niſi mediante forma. Minor eſt certa, *maior verò prob.* Nam accidentis eſt inhærere & inexiſtere ſubjecto, ſed ei quod non eſt in aliqua certa ſpecie, nihil poteſt inhærere, aut inexiſtere, hoc enim implicat, ergo. *Si Dicas.* Vt accidentia ſingularia inſint in materia, requirere quidem formam, non tamen hanc determinatè, quaſi ſolutâ inter illam & materiam unione oporteat quoque omnium accidentium cum materia conjunctionem ſtatim dirimi. *Contra ſic efficaciter inſto.* Quando in materia uni formæ ſuccedit alia forma, tunc trahit illam de una ſpecie ad aliam ſpeciem, ut jam non dicatur V. g. materia ligni, ſed mate-

 ria

[a] *loc. proximè cit.* [b] *reſol.* 17. *& reſol.* 13.

Digitized by Google

ria ignis, adeoque facit cum ea aliud ſpecie diſtinctú compoſitum, ergo etiá aliud numero ſubjectnm, quæ enim ſpecie, etiam numero differunt, ergo etiam accidentia quæ mediante poſteriori forma ſunt in materia, ſunt alia numero ab ijs, quę erant in materia mediante priori forma, cum ſubjectum eorum ſit aliud numero.

282 *Dices aliter*. Materiam primam ex ſe ipſa eſſe ſufficientem ad recipiendum accidentia, eò quod propriam habeat exiſtentiam, ſitque ens actu & extra ſuas Cauſas. *Deinde* illa habet ſufficientem entitatem ad ſuſtentandam formam ſubſtantialem, ergo multò magis ad ſuſtentanda accidentia, cum hæc ſint debilioris entitatis, minuſque actualitatis requirant ex parte ſubjecti. *Sed contra ad primum dicimus*, illud ſupponere falſum, probavimus enim jam ſupra in 1 p. hujus Philoſophiæ loco antea citato, materiam primam carere omni actualitate, tam formali quam entitativâ, atque adeò etiam actu exiſtentię, quod autem non habet exiſtentiam, neque alteri eam tribuere poteſt; ſicque accidentia nequeunt exiſtere in materia nuda ab omni forma. *Deinde* gratis conceſſo, quod materia prima habeat aliquam propriam actua-

actualitatem ſive entitativam ſive exiſtentiæ, adhuc tamen ex vi illius non poteſt ſuſtentare accidentia, quod *probatur. Nam* illud quod ſuſtentat accidentia, debet eſſe hoc aliquid, id eſt, prima ſubſtantia; ſed materia prima non eſt ſubſtantia prima, ſed eſt principium & pars componens ſubſtantiam primam, ergo. *Major prob.* Illud eſt proprium ſubjectum ſeu ſubjectum accidentium, quô poſitô exiſtunt accidentia, & quô ſublatô etiam accidentium exiſtentia auffertur, ſed poſitis primis ſubſtantijs exiſtunt accidentia, ut inductivè patet, & ablatis ſeu deſtructis primis ſubſtantijs etiam auffertur exiſtentia accidentium, uti docet Ariſt. [a] his verbis inquiens, *Non exiſtentibus primis ſubſtantijs aliquid aliorum eſſe impoſſibile eſt*, id eſt, nihil remanere quoad eſſe realis exiſtentiæ, ut plerumque Commentatores intelligunt, ergo. *Ad alterum quod objicitur*, dicitur, quod quamvis materia immediatè poſſit recipere & ſuſtentare formam ſubſtantialem, exinde tamen non ſequitur, poſſe etiam immediatè recipere & ſuſtentare accidentia, diſparitas ſumitur ex S. Th. [b] ubi docet, quod forma det eſſe materiæ, accidens autem non dat eſſe ſubjecto, ſed

 ſub-

[a] *lib. cit. c. 5. de ſub.* [b] *opuſc. 3.*

ſubjectum accidenti, ad quod requiritur ſubſtantialis actualitas, & per ſe completa, quâ cùm careat materia, nequit Eſſe præbere accidenti. *Ex quo* etiam habetur verum non eſſe, quod cum accidentia ſint debilioris entitatis, minus actualitatis requirunt ex parte ſubjecti, imò verò ſequitur qnod ideò ex parte ſubjecti majorem actualitatem exigunt, quia non dant eſſe materiæ ſicut forma, ſed ſupponunt eſſe.

283 *Tertia ratio pro noſtra ſententia.* Si in corruptione ſubſtantiali non fieret reſolutio uſque ad materiam primam, eſſet maximè ideò, quia poſt corruptionem maneret in genito adhuc eadem numero quantitas, aliaque accidentia communia, quæ erant in corrupto, ſed hoc planè voluntariè ſine ullo prorſus fundamento aſſeritur, ergo fit reſolutio uſque ad materiam primam. Major eſt noſtri adverſarij. *Minor verò prob.* Nam ſi maneret eadem numero quantitas, deberet illa recipi immediatè in ſola & nudâ materiâ, ut ipſe ſibi, ſed falſò perſuadet, ſed ſed hoc imprimis eſt contra Ariſtotelem, quem tamen ſuum profitetur Ducem, qui expreſſè fatetur [a] materiam primam ſecundum ſe nec quantam, nec qualem

[a] *lib. 7. met. t. 3.*

ſem eſſe, his verbis inquiens. *Materia prima ſecundùm ſeipſam neque quid, neque quantum, neque aliud quippiam eſt, quibus ens determinatur;* *Secundò* eſt contra D. Th.ª cujus verba jam antea allegavimus, dum ait, *impoſſibile eſt materiam prius eſſe calidam vel quantam, quam eſſe in actu. Tertiò* militat contra ipſam rationem dupliciter, *Primò*, quia quantitas dimanat à forma ſecundùm gradum corporeitatis, materia autem prima niſi intelligatur ſub forma, non eſt corpus, ſed eſt principium corporis unà cum forma conſtituens corpus: *Secundò* quia materia prima ſecundùm ſe nullas habet dimenſiones quantitativas, neque enim eſt parva, neque magna, ſicut nec calida, nec frigida eſt, adeoque nullam habet figuram, niſi mediante forma ſubſtantiali, ut ſi informetur forma humana recipiet figuram & quantitatem hominis, ſi leonina, leonis, &c. ergo ſine fundamento aſſeritur, quod quantitas recipiatur in materia nuda ab omni forma.

284 *Dices.* quantitas ſequitur materiam, ſicut qualitas ſequitur formam, ergo ſaltem quantitas debebit inhærere materiæ, quod vel maximè in homine verum habet, in quo quantitas

ª *ſupra* 1.

titas nullo modo inhærere poteſt formæ quæ ſpiritualis eſt, ergo.

Reſp. quod illud axioma, quantitas ſequitur materiam ſicut qualitas formam, ſic eſt intelligendum, *Primò* ut materia ſit ratio ipſi compoſito recipiendi mediante forma accidentia materialia, quicquid enim materiale in compoſito recipitur, habet pro principio quo & prima radice recipiendi ipſam materiam, quæ eſt prima potentialitas & prima radix recipiendi: *Secundò poteſt* intelligi quod ſequatur materiam non nudam & ſine forma, quia quantitas ſequitur gradum corporeitatis qui à forma prębetur, ſed quia quantitas ſolum reperitur in rebus materialibus. *Tertiò* intelligi poteſt, quod quantitas ſequatur materiam in officio recipiendi accidentia, quia quantitas eſt medium ea recipiendi. Porrò de anima rationali admittimus illi ut ſic ſumptæ non poſſe inhærere quantitatem, aut alia accidentia materialia, quia illa non eſt ſubjectum quod recipit, cum non ſit totum ſed pars, nec etiam eſt ſubjectum quo ſeu radix recipiendi, quia non eſt principium recipiendi, ſed eſt principium actuandi & conſtituendi ſubjectum quod recipit illa accidentia, qua ratione ei non repugnat

pugnat eſſe conprincipium ad inhæſionem accidentium materialium, licet in ſe ſit entitas ſpiritualis, non enim concurrit ad talem inhęſionem [illegible] eſt, ſed quatenus tribuit materiæ gradum ſenſitivum corporeitatis, medio quo ipſa capax redditur ut ſubſter accidentibus, eaque per inhæſionem in exercitio accipiat.

285 *Hæc igitur ſunt* argumenta quibus ſententiam noſtram roborare voluimus, videat nunc adverſarius noſter, an non ſit operoſum, uti præfert, hæc Thomiſtarum fundamenta ſubvertere; videant & alij partium non ſtudioſi, an non maxima ſit temeritas aſſerere quod Thomiſtæ in hac ſententiâ tuendâ nullo ſolidô nitantur argumento. Sed videamus & nos, quibus ipſe argumentis ſuam opinionem muniat, an fortè noſtris ſolidiora ſint, ut quempiam perſuadere poſſint. Placuit autem ea ejuſdem formalibus terminis proponere. Ita enim habet theſi. 31.

286 ***Tenendum ergò eſt, quoad accidentia cõmunia non fieri reſolutionẽ uſque ad materiã primam, ſed remanere eadẽ numero in & cũ genito quæ fuerant in & cũ corrupto. In quo*** **Ducẽ** ***habemus Ariſtotelẽ, Experientiam & rationem, Ariſt. enim*** **2.** ***de Gen.*** **ſ. 25.**

s. 25. docet, cum elementa ſymbolica in ſe tranſmutantur, tantùm unam qualitatem abiici, alterâ in elemento recens producto permanente. Experientiâ item & judicio ſenſuum conſtat, in homine mortuo eſſe eundem calorem, colorem, figuram cicatricem, & alia quædam accidentia, quæ fuerant in eodem homine paulò ante adhuc vivo. Et paulò poſt interiectâ cenſurâ ſuprà poſitâ ſic intentum ſuum proſequitur, *Sed & ratio plus nobis patrocinatur quam Thomiſtis. Fruſtra eſt enim omnis labor naturæ diſponentis materiam ligni ad formam ignis recipiendam, ſi cum ligno pereunte ipſæ quoque diſpoſitiones ad formam ignis pereunt: ſi enim eodem reali inſtanti, quo forma ligni deſtruitur, etiam illa ipſa accidentia per quæ ignis materiam ligni ſibi diſpoſuerat, corrumpuntur, forma ignis vel non poterit naturaliter introduci in ſubjectum, cum jam tum ſuis prærequiſitis ad introductionem novæ formæ deſtitutum ſit, vel introducitur naturaliter in ſubjectum tunc indiſpoſitum, quorum utrumque abſurdum eſt.* Et iterum paulò poſt ſic ſuam theſin concludit. *Taceo quod ſi omnia accidentia vetera, etiam quantitas cum formâ priore pereant, ipſa quoque materia eodem inſtanti ſit interitura. Deſtituitur enim tunc ſuis connaturalibus proprie-*

tatibus

tatibus: : *Eſſentia autem ſi ſuis proprietatibus penitus denudetur, pro eo inſtanti non exigit amplius conſervari.*

Hiſce argumentis convictus noſter adverſarius opinionem ſuam ita ſolidam & irrefragabilem judicat, ut nobis Thomiſtis nullum ſolidum argumentum ad noſtram ſtabiliendam ſupereſſe arbitretur. Verùm quàm futilia ſint & verè ſtraminea ejus argumenta, mox ex eorundem refutatione manifeſtum fiet. Quare

287 *Reſpondemus ad primum* cum Complutenſibus, Conimbricenſibus, aliiſque innumeris, Ariſtotelem ſolùm velle, cum ex aëre gignitur aqua, manere eandem diaphaneitatem ſecùndùm ſpeciem, non autem numero. Qui ſenſus colligitur tum ex definitione generationis ſuprà explicatâ, tum ex textu 23. ubi ſic ait. *Alteratio ſanè eſt, quando ſenſibile ſubjectum permanens in ſuis mutatur affectibus* : *at cum totum mutatur, nec ſenſibile quicquam ut ſubjectum, idem permanet* : tum denique quia S. Th. [a] ibidem movet hanc quęſtionem, *Dubitatur, utrum eadem paſſio numero quæ ſit altera pars contrarietatis, poſſit eſſe in generatô & corruptô?* Et Reſpondet, *Dicendum quod non manet idem*

[a] *lect.* 10.

idem numero, ſed id quod prius erat corrumpitur per accidens. corruptione ſubjecti mediante formâ, quæ prius erat talis accidentis, & advenit ſimile accidens conſequens formam de novo advenientem. Tantùm igitur abeſt, quod ei faveat Ariſtoteles, quod potius manifeſtè contrarium doceat.

288 *Ad ſecundum Reſp.* ad ſenſum nullatenus pertinere judicare de mutatione individuali, quæ fit ex ſola corruptione ſubjecti, quando ſubrogatur illi accidens ſimile vel ejuſdem ſpeciei, ſed ſolùm tunc, quando alteratur & mutatur accidens in aliud ſibi diſſimile, quapropter corrigendi ſunt ſenſus per rationem, oppoſitum concludentem. Sed Dicit. *Verum eſſe corrigendos eſſe ſenſus, ſed non prius quam ratio theologica, & ex fide deſumpta, vel philoſophica urgeat: quam diu verò neutra ſuppetit, ſenſuum judicio ſtandum eſt, cum Experientia, quam per ſenſum haurimus, Mater ſit Philoſophia.* Ita ibidem.

Reſpondemus, nobis non deeſſe optimas, eaſque efficaciſſimas rationes, quibus erroneum & falſum ſenſuum judicium circà unitatem numericam accidentium corrigamus, è quarum numero jam antea aliquas pro ſententia

tia noſtra adduximus, quę evidenter probant materiam nudè ſumptam non eſſe capacem, ut ſibi accidentia immediatè inexiſtant: maximè verò de quantitate, & auctoritate & ratione oſtenſum eſt, eam immediatè non inhęrere materiæ, utpote cum ei effectum ſuum formalem & dimenſiones quantitativas tribuere nequeat, niſi mediante forma, & ideò ſecundùm has rationes fallibile ſenſuum judicium corrigi debet.

289 *Exempla talem* correctionem ſuadentia etiam nobis non deſunt, ex quibus ſequentiam adducere placuit. Objiciatur V. g. viſui noſtro aliquod ovum, & deinde ipſo non percipiente ſubſtituatur aliud planè ſimile, quod poſſibile eſt; nonne ipſe iudicabit eſſe eandem albedinem, imo eſſe idem ovum, quod prius vidit? indubie. *Sed quæro*, eſt ne ſtandum huic judicio? certe nemo ſanæ mentis id aſſeverare audebit, idque non aliam ob cauſam, niſi quia ratio corrigit ſenſum, dicendo, eſſe aliud numero ſubjectum hujus, & aliud illius albedinis (non enim ſola materia nudè ſumpta eſt ſubjectum albedinis, cum illa nec alba nec nigra ſit, ſed materia informata formâ ovi) ac per conſequens ob diverſitatem numericam ſubjectorum

ctorum, eſſe etiam diverſitatem albedinum. *Applicando* ergo hoc exemplum ad propoſitum dicimus, quod dum ſenſus judicat eſſe eandem quantitatem, calorem &c. in cadavere, qui erat in homine paulò ante adhuc vivo, ipſe corrigi debeat per rationem, eoque magis, quod in hoc caſu inveniat non ſolùm numericam, ſed & ſpecificam diverſitatem ſubjectorum, cadavere non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie ab homine differente: Quapropter ſicut ſenſus fallitur judicando eſſe eandem albedinem, quam prius viderat, eò quod ſenſu non percipiente, poſſit alia albedo ſubſtitui, ita etiam fallitur judicando eſſe eandem numero quantitatem, cum tamen alia numero per mortem, ſenſu non percipiente, ſubſtituatur.

290 *Aliud exemplum.* Moveatur homo motu ambulativo, & ſub hoc motu moriatur, & deinde abſque ullâ morâ fiat à corpore illo cadaverico virtute divinâ aut angelicâ proſecutio iſtius motus; nonne judicabit ſenſus eſſe eundem numero; & continuum motum, imò eſſe eundem hominem, qui prius & nunc ambulat? cujus tamen judicio minimè ſtandum eſt, ſed à ratione corrigendum aſſerente, quod prior motus fuerit vitalis, ſequens verò non vitalis,

vita

vita autem ut habet S. D. [a] *non videtur oculo corporali ſicut per ſe viſibile, ſed ſicut ſenſibile per accidens, quod quidem à viſu non cognoſcitur. Nec poteſt dici* quod ſit unicus motus ab unitate materiæ; *Tum quod ſubjectum motus localis ſit ens completum ut docet* S. Th. [b] *Tum* etiam, quod materia non ſit mobilis ſed principium entis mobilis. *Tum* denique quia ipſum totum denominatione intrinſeca dicitur moveri, igitur & ipſum erit ſubjectum motus, de quo vide ſuperius dicta. [c]

291 *Tertium exemplum* habetur in iride, cujus colores percipiuntur à viſu tanquam veri colores, cùm tamen ſolùm ſint apparentes, quo in caſu viſus fallitur, ideoque corrigi debet per rationem. *Quartò* denique viſus fallitur, dum à longe videns turrim quadratam, judicat eam rotundam. Quare ſicut in hiſce aliiſque innumeris exemplis judicium ſenſitivum indiget correctione, ita etiam in noſtro caſu, dum judicat eſſe eandem numero quantitatem, cicatricem, colorem &c. in & cum genito, quæ erant in & cum corrupto. *Abſit* ergo à Philoſophiâ noſtrâ, quod nuncupemus ei & conſti-

[a] *1. p. 12. a. 3. ad 2.* [b] *2. d. 12. q. 1. a. 1.* [c] *l. 3. phyſ. re. 50.*

tuamus Matrem tam debilem & fallibilem, quemadmodum adverſarius noſter hanc falli- bilem ſenſuum experientiam nuncupat ma- trem non noſtræ, ſed ſuæ Philoſophiæ: Si ergo Mater ſuæ Philoſophiæ id eſt, principia ejus ſint tot erroribus, fallitatibus & deceptio- nibus ſubjecta, quilibet veritatis & rationis amans à tali Philoſophia liberari precabitur. *Si quæratur*, à quonam iſta accidentia produ- cantur? *Reſp. ea produci* à generante, & reſul- tare ad formam cadavericam, non abſolutè & ſecundùm ſe ſumptam, ſed quatenus modifica- tam & temperatam à materiâ, ex quâ educi- tur, ſic enim ſępè contingit, quod generans determinetur à materiâ ad producendas quali- tates aliquas, quas ex ſe ſolùm non produceret, ut V. g. virtus ſeminalis maris aliquando pro- ducit fœtum infectum V. g. leprâ propter ma- teriam infectam ſubminiſtratam à fœminâ: ſic etiam dicendum eſt de cadavare, in quo ma- nent eædem cicatrices aliæque qualitates pro- ductæ à generante, non numero, ſed ſolùm ſi- miles ſecundùm ſpeciem.

292 *Ad tertium dicimus*, quod diſpoſitiones præparantes materiam præcedant tempore ad formam generandam & ſeſe compatiuntur

cum

cum formâ corrumpendâ, ut V. g. calor ut quinque, ſex, ſeptem, compatitur ſe cum formâ ligni, at verò diſpoſitio ultima utpote incompoſſibilis cum formâ ligni, ut V. g. calor ut octo, non eſt ſimul cum formâ ligni, quæ corrumpitur, ſed cum formâ ignis; cujus eſt proprietas, & quæ tunc generatur & formam oppoſitam expellit à materiâ: unde quemadmodum ut forma ignis expellat formam ligni, non requiritur quod ſimul ſit cum formâ ligni, ſed ut ei conjungatur per ſucceſſionem & expulſionem, ita ſimiliter ut diſpoſitio ultima expellat diſpoſitivè formam ligni, non requiritur quod ſimul cum eâ exiſtat, ſed quod unà cum formâ ſuccedat illi expellendo eam à materiâ. *Nec inde* ſequitur formam ignis introduci in materiam indiſpoſitam, aut etiam indifferentem, *Nam* materia ligni præparatur & determinatur per diſpoſitiones antecedentes ad formam ignis V. g. per calorem ut ſex, ſeptem, qui omnes gradus caloris tendunt ad expulſionem formæ ligni in fieri, ultima verò diſpoſitio V. g. calor ut octo, qui eſt proprietas ignis, & formæ ignis annexa, terminativè & conſummativè ſeu in facto eſſe expellit formam ligni, ſicque tanquam terminus & conſummatio

præcedentium diſpoſitionum, quas virtualiter tanquam ſupremus caloris gradus continet, continuat præparationem & determinationem, quam illæ faciebant in materia. Videatur Eximius Magiſter Ioannes à S. Th. qui in 1. de Gen. q. 1. a.7. difficultatem hanc fuſiſſime & ſimul doctiſſimè explicat. Videantur etiam quæ diximus ſup. [a]

293 *Ad quartum dicimus*, adverſarium noſtrum nimiâ & ſupervacaneâ ſolicitudine tangi & angi, dum timet ſi omnis accidentia vetera, etiam quantitas cum forma priore pereant, etiam materiam ipſam in eodem inſtanti perituram, non enim cauſa conſervâns in eſſe materiam eſt quantitas, aut alia accidentia, utpote à quibus eſſe ſuum non habet, ſed eſt forma ſubſtantialis, quæ ſicut eam conſtituit in certa ſpecie, ita etiam in illa dat ei exiſtere, eamque in eo conſervat, quamdiu eidem manet unita, ubi autem forma iſta à materiâ ſeparata fuerit, idem præſtat ſibi ſubſequens forma, quod prior præſtabat, adeoque beneficium conſervationis minimè accipit à quantitate, cum ejus non ſit capax, niſi mediante formâ ſubſtantiali ſecundùm gradum corporeitatis, uti pro-

[a] *reſol. 4. hujus partis.*

probavimus: Vel dicat nobis, an dum ex ligno mediante igne generantur cineres, an tunc materia illa pereat, vel non? Primum utpote contra ſenſum & rationem nequit dici, ergo dicendum eſt ſecundum, quod non pereat, & tamen perit quantitas ejus, quia dum materia illa erat ſub formâ ligni; habebat quantitatem continuam, modo autem dum eſt ſub forma cinerum, habet quantitatem toto genere diſtinctam à priori, nimirum diſcretam. *Ex quo* unico exemplo manifeſtiſſimè & ad oculum oſtenditur *Primò*, quod quantitatis non ſit conſervare materiam; *II.* Quod non ſit eidem coæva, quia poteſt eam amittere ſalva materia. *III.* Quod veriſſimè in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio uſque ad materiam primam, quia cum quantitate neceſſariò pereunt & cętera accidentia, quod hactenus ſolidiſſimè probatum eſſe, quiſquis æquus peritatis arbiter voluerit eſſe, facile iudicabit.

§. 4.

De Alteratione.

RESOLVTIO XI.

Alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibilem terminatus, habentem latitudinem cum contrarietate, ſubjecto manente invariato ſecundum eſſentiam.

194 SVppoſitô quod in pręſenti ſit ſermo de Alteratione ſtrictiſſimè ſumpta; quatenus videlicet eſt mutatio ad qualitatem ſenſibilem tertiæ ſpeciei tantùm, quæ habet contrarium, & quâ res ordinatur ad corruptionem vel generationem phyſicam; nunc explicanda eſt ejuſdem definitio. Dicitur ergo I, *Eſt motus* quæ particula ponitur loco generis, per eam enim convenit cum augmentatione & loci mutatione, & diſtinguitur ab omni inſtantanea mutatione. Dicitur. 2. *ad qualitatem* ad excludendas alias ſpecies motus, quæ verſantur circa quantitatem & locum. Dicitur 3. *ad qualitatem ſenſibilem*, ad excludendos motus, qui fiunt

fiunt circa qualitates ſpirituales. Dicitur 4. *latitudinem habentem cum contrarietate*, ad excludendum qualitates, quæ contrarium non habent, ut lux, figura &c. Dicitur 5. *ſubjecto manente invariato ſecundùm eſſentiam*, quia in alteratione compoſitum phyſicum non corrumpitur, ſed manet poſt alterationem, ut cum aqua frigida fit calida.

RESOLVTIO XII.

Alteratio ut ſic ſumpta adæquatè dividitur in tres ſpecies, quarum una commune nomen ſui generis retinet, vocaturque Alteratio, ſecunda intenſio, tertia Remiſſio.

295 Obſervandum eſt, alterationem dupliciter ſumi poſſe, *Primò* genericè, ut ſcilicet eſt cõmunis ad omnem alterationẽ ſucceſſivam, & dicit acquiſitionem qualitatis cum motu, abſtrahendo ab hoc, quod tota qualitas primò producatur, vel iã producta intẽdatur aut remittatur, & ſic eſt diviſum hujus diviſionis: *Secundò* ſumitur ſpecificè, ut dicit ſpecialem productionem ſucceſſivam qualitatis, quę an-

tea non erat, adeoque reſpicit ipſam ſubſtantiam qualitatis ut motu acquirendam, & ſic eſt membrum dividens, retinetque nomen commune ſui generis ob penuriam vocabulorum: quô ſuppoſitò, *Probatur nunc eſſe tres ſpecies Alterationis.* Tot ſunt ſpecies alterationis, quod ſunt termini motus alterationis ſpecie diſtincti, ſed terminus ad quem alterationis tantùm eſt triplex, ſcilicet qualitas ſecundùm ſuum eſſe, ut de novo producitur, qualitas ſecundùm ſuum eſſe intenſum, & qualitas ſecundùm ſuum eſſe remiſſum, ergo tres erunt ſpecies alterationis.

Inde colliges definitiones harum ſpecierum. Nam *alteratio ſimplex eſt motus ad totum eſſe qualitatis de novo productum terminatus, ſubjecto manente invariato ſecundũ eſſentiam.* Intenſio *eſt motus terminatus ad eſſe perfectius,* & *Remiſſio ad eſſe imperfectius qualitatis praexiſtentis, ſubjecto manente invariato ſecundùm eſſentiam.*

RESO-

RESOLVTIO XIII.

In ſola qualitate invenitur propriè intenſio & Remiſſio, non tamen in omni ſpecie qualitatis.

295 QVia radix intenſionis & remiſſionis inde originatur, quod forma aliqua ſecundùm ſuam eſſentiam & ſpeciem non ſit determinata ad tantum vel tantum gradum, ſed habeat & admittat latitudinem gradualem, juxta quam diverſimodè eſt participabilis à ſubjecto: quod cum ſolùm in qualitatibus propriè deprehendatur, ideò aſſerendum eſt, ijs ſolùm competere intenſionem. *Ratio eſt*, quia inter omnia prædicamenta ſoli qualitati proprium eſt ſuſcipere magis & minus uti ex Philoſophia Rat. conſtare poteſt, ergo. *Quod verò* intenſio & remiſſio non conveniat omni ſpeciei qualitatis, manifeſtum eſt in quarta ſpecie qualitatis formâ videlicet & figurâ, in quibus motus intenſionis non invenitur, quia figura non compatitur latitudinem gradualem, quacunque enim figuræ novâ terminatione admiſsâ, non intenditur figura, ſed variatur ſecundùm ſpeciem. RE-

RESOLVTIO XIV.

Intenſio qualitatum non ſit per additionem gradus ad gradum, ſed per majorem radicationem eiuſdem qualitatis in ſubjecto.

297 HÆc Thomiſtica veritas etſi pluribus diſpliceat, expreſſè tamen aſſeritur à D. Th. [a] his verbis. *Cauſa augens habitum facit quidem ſemper aliquid in ſubjecto, non autem formam, ſed facit quod ſubjectum perfectius participet formam præexiſtentem.* Item ibidem in ſolutione ad 3. ſic habet. *Id quod eſt minus calidum aut album, non eſt in potentia ad formam, cum jam actu formam habeat, ſed eſt in potentiâ ad perfectum participationis modum, & hoc conſequitur per actionem agentis.* Vult ergo S. D. docere, quod eidem calori V. g. ſemel producto non accreſcat ab extra nova particula caloris (alias iſte novus calor deberet vel ſpecie vel numerô à præcedenti diſtingui, quod impoſſibile videtur) ſed quod præcedens calor firmiores altioreſque obtineat radices in illô ſub-

[a] 1. 2. q. 51. a. 2. ad. 2. & ad 3.

ſubjectô, & poſt intenſionem non differat à ſe ipſo realiter, ſed tantum modaliter propter novam terminationem, nam quando V. g. de minus calido, putat ut duo, fit magis calidum, puta ut quatuor, non corrumpitur prçexiſtens calor, ſed abijcitur ſolùm actualis terminatio caloris ad gradum ut duo, & pervenitur ad actualem terminationem caloris ut quathor, ſicque non fit novus calor, ſed tantùm novus modus radicationis & participationis caloris in eodem ſubjecto, qui motus addit ſupra ipſum calorem quandam actualitatem, per quam ſubjectum redditur magis in actu, adeoque per motum intenſionis non eſt ſubjecto omninò novus terminus, ſed antiquus novô modô ſe habens ſecundum magis & minus.

298 Sic ergo explicata noſtra reſolutio, ***Probat ur nunc ratione.*** Nam ſicut extenſio ſcientiç attenditur penes comparationem ejuſdem ad objectum & majorem acceſſum ad illud, ita intenſio qualitatis attenditur penes comparationem ejuſdem ad ſubjectum & majorem acceſſum ad illud, ergo ſicut ſcientia per hoc extenditur, quod magis ad ſuum objectum accedat plures de illo veritates cognoſcendo, ita etiam qualitas intendetur ex eo, quod magis ad

ad eandem partem ſubjecti accedat, hic autem major acceſſus conſiſtit in majori radicatione in eâdem parte ſubjecti, ergo intenſio qualitatum fit per majorem radicationem & explicationem ejuſdem qualitatis in eâdem parte ſubjecti. Confirmatur. Formam produci de novo in ſubjecto nihil aliud eſt, quam ipſam de potentiâ ſubjecti educi ad actum, ergo quod magis intendatur, nihil alind erit, quam quod magis educatur de potentiâ ad actum ſecundùm modum perfectiorem, quem habebat in potentiâ, ſed hoc nihil aliud eſt, quam magis inhærere, ſeu radicari in ſubjecto, ergo intenſio qualitatum fit per majorem radicationem in ſubjecto.

299 *Objicies.* I. S. Th. [a] aſſerentem, quod propriam vocem ignorant, qui dicunt qualitatem intendi per radicationem, & non ſecundum eſſentiam, ergo intendit S. Th. docere, quod intenſio fiat per additionem, non autem per ſolam radicationem. II. Nam nova actio totaliter diſtincta à præexiſtenti, debet habere novum terminum totaliter diverſum, ſed intenſio eſt nova actio, & totaliter diſtincta à prima productione qualitatis, ergo terminus ejus

a 22. *q.* 24. *a.* 4. *ad* 3.

ejus debet eſſe novus per additionem novæ entitatis.

300 *Reſp. ad* I. S. Th. ſolum redarguere eos, qui volebant qualitatem intendi in ſubjecto ſine hoc, quod intrinſecè in ſe perficeretur, quaſi videlicet ſubjectum tantum diverſimodè ſe haberet in participando formam, ipsâ formâ omnino invariatâ manente in ſeipsâ, hoc enim dicere, eſt ignorare propriam vocem: quare non eſt putandum, quod qualitas præciſè in ordine ad ſubjectum dicatur magis radicari, ſed etiam in ſeipsâ evadit perfectior, & etiam perfectius eſſe ſubjecto communicat.

Ad II. *dicitur*, non eſſe neceſſarium, ut terminus alterationis & intenſionis ſit alius & alius realiter entitativè diſtinctus, ſed ſufficit, quod ſit diſtinctus realiter formaliter, unde eadem numero qualitas, quæ alterationem terminat ſimpliciter ſecundum totam ſuam entitatem, terminat intenſionem ſecundum eandem entitatem, ſecundum novum modum, quatenus videlicet firmius & perfectius eſſe accipit in ſubjecto V. g. ut duo vel tria, quod eſt magis in ſubjecto radicari.

§. 5. De

§. 5.

De Nutritione, Augmentatione & diminutione.

RESOLVTIO XV.

Nutritio eſt motus acquiſitivus novæ partis ſubſtantialis per introceptionem alimenti.

301 EXplicatur data definitio, ly, *motus*, habet rationem generis, in quo convenit nutritio cum alijs motus ſpeciebus, ly, *novæ partis*, additur ad deſignandam dictinctionem nutritionis ab alteratione & motu locali, in quibus non nova pars, ſed ſolummodo novus modus vel novus terminus acquiritur. ly, *ſubſtantialis*, deſignat differentiam augmentationis, in qua præciſè nova pars quantitatis acquiritur. Denique ly, *per introceptionem alimenti*, additur ad differentiam non viventis. V. g. ignis, qui non exigit, quod lignum intromittatur minutim in omnes ejus poros, ſed ſatis eſt, quod ei juxtaponatur.

303 Hinc

301 *Hinc obſervandum eſt*, quod de actione nutritivâ loqui debemus, ſicut de generativâ in viventibus, ſicut enim generatio non perficitur unâ actione, ſed pluribus, quæ per diverſas formas tranſeunt uſque ad ultimam, in quâ conſummatur generatio, ultimâ formâ introductâ, conſtat enim quod prius diſponitur materia ſeminis & ſanguinis, & efformantur membra, & introducitur forma embrionis, & tandem forma perfecta animalis; ita etiam in nutritione prius alimentum diverſis diſpoſitionibus tranſmutatur V. g. ut imprimis cibus ore ſumatur, ibidemque maſticetur, & mediante ſalivâ alteretur, ac tandem per virtutem attractivam trahatur ad ventriculum, ubi convertitur, in quendam ſuccum, ſeparatis tamen partibus impuris & in ventrem miſſis, deinde ſuccus ille defertur ad jecur, ubi fit ſecunda decoctio, fitque virtute jecoris maſſa quædam rubea, in quâ fusè continentur quatuor humores, cholera, melancholia, ſanguis & phlegma, ſicque alimentum varias formas ſubſtantiales induit uſque ad ultimam, in qua conſummatur nutritio ſubſtantiâ vivâ aliti productâ, ac proinde propriè & conſummatè conſiſtit in illâ actione, quâ alimentum tranſit in partem ſolidam

ſolidam

liuam aliti, ita quod non amplius maneat alimentum, ſed alitum & nutritum.

RESOLVTIO XVI.

Nutritio diſtinguitur realiter ab Augmentatione.

303 CVm nutritionis & augmentationis termini primarij & immediati ſint inter ſe realiter diſtincti, (nam illius terminus eſt ſubſtantia, hujus verò nova quantitas,) ideò neceſſariò dicendum eſt, etiam ipſas met mutationes inter ſe realiter eſſe diſtinctas. *Deinde*, Nutritio abſtrahit à majori vel minori quantitate acquirendâ, nutritio namque etiam durat in ſenibus, in quibus tamen jam ceſſat augmentatio, ergo.

Inde colligitur in primis, formalem terminum nutritionis eſſe formam ſubſtantialem, non ficut in generatione, ut totaliter & de novo introducta in totam materiam, ſed ut de novo applicata & de novo informans partem inadęquatam materiæ, terminum verò formalem augmentationis eſſe quantitatem, ut majorem. *Deinde* etiam habetur, quod nutritio com-

comparetur ad aggenerationem, ſicut aliquid ſpecificum & particulare ad genericum & commune, quia aggeneratio eſt ſola acquiſitio ſubſtantiæ, ſive ſit in viventibus, ſive in non viventibus, nutritio verò eſt ſolùm vitalis acquiſitio ſubſtantiæ, ſicut & generatio communiter dicta eſt aliquid ſuperius ad generationem vitalem.

304 *Dices.* In generatione totali, non requiritur diſtincta actio, per quam producatur ſubſtantia, & diſtincta per quam producatur quantitas, hæc enim reſultat ad ſubſtantiam totaliter productā, ergo ſimiliter in nutritione non requiritur nova actio, quâ producatur ſubſtantia partialis, & alia, quâ producatur quantitas partialis. *Reſp. neg. conſeq.* diſparitas eſt, quod in generatione totali primò & per ſe intendatur à natura ſubſtantia rei, & ſecundariò quantitas, & ideo ſequitur quantitas ſubſtantiam tanquam paſſio: at verò in augmentatione, non intenditur ſecundariò major quantitas, ſed primariò, ſicque non eſt paſſio partialis ſubſtantiæ, quia debet ſic acquiri, ut plus acquiratur de illa quam deperdatur, quomodo non eſt propria paſſio ſubſtantiæ, & per conſequens debet fieri diſtinctô motu

ab eô, quô acquiritur ſubſtantia.

RESOLVTIO XVII.

Nutritio & augmentatio ſunt mutationes ſucceſſivæ, & continuæ.

305 DVobus modis intelligi poteſt hæc reſolutio: *Primò* quod continuò, id eſt, totô vitæ tempore durent; *Secundò* quod ſint motus ſucceſſivi & continui, quatenus videlicet dum durant, habent ſucceſſionem & continuationem. Noſtra reſolutio non intelligitur priori modo, nam ſi ſermo ſit de nutritione, certum quidem eſt, eam durare totô vitę tempore, poſt aliquantulum temporis, quod requiritur, ut alimentum apponatur & diſponatur, ut converti poſſit in ſubſtantiam aliti, quia videlicet calor naturalis in animali ſemper agit in humidum, & de ſubſtantia ejus conſumit, proinde ſemper debet ſubminiſtrari materia extrinſeca, quâ animal nutriatur; tamen nonnunquam per accidens ob aliquod impedimentum V. g. infirmitatis poteſt impediri nutritio: Et è contra ſi ſermo ſit de augmentatione, de ea quoque certiſſimum eſt, quod

quod non duret toto vitæ tempore, ſed juxta S. Th. [a] regulariter loquendo augmentum in homine ſolummodo durat uſque ad finem tertij ſeptennij: quapropter loquitur ſolum de continuatione iſtorum motuum dum durant. dicimuſque quod ſint motus continui & ſucceſſivi, id eſt, non diſcreti vel inſtantanei, ſed quod diviſibiliter & per partes continuentur.

306 *Conſtat* hoc inprimis ex Philoſopho [b] ubi dicit, *augmentationem eſſe motum propriè dictum*, tunc ſubſumo, ſed motus propriè dictus non poteſt eſſe in inſtanti, ſed fit ſucceſſivè, ergo. *Et idem dicendum* eſt de nutritione, quia hæc neceſſariò comitatur augmentationem, ne detur aliquando quantitas ſine ſubjecto, eſt enim augmentatio, *Motus à minori ad majorem quantitatem per virtutem internam agentis quod augetur.* Ergo ſi augmentatio fit ſucceſſivè, etiam nutritio.

307 *Dices.* Si nutritio eſſet mutatatio ſucceſſiva, ſequeretur, quod ſubſtantia alita inciperet per ultimum non eſſe, & ſubſtantia alimenti deſineret per ultimum eſſe, ſed utrumque repugnat modo incipiendi & deſinendi ſubſtantiæ, ut ſupra [c] vidimus, ergo nutritio

[a] 22. *q.* 147. *a.* 4 *ad.* 2. [b] 5. *ph. c.* 2. [c] *reſol.* 75.

non eſt motus ſucceſſivus. *Reſp.* quod quando forma ſubſtantialis primò & totaliter introducitur in materiam, tunc debet incipere per primum ſui eſſe, & oppoſita deſinere per primum non eſſe, quando verò ſolummodò aggeneratur, ſicut fit in nutritione, tunc non eſt inconveniens, ut incipiat ad modum motus & per ultimum non eſſe, ſic enim cum ſubſit quantitati, ideò ad modum partis & diviſibiliter acquiritur, quia fit à privatione formæ non abſolutè, ſed à privatione formæ ut tantæ, & in tanta materia, & in tanta parte quæ diviſibilis eſt.

RESOLVTIO XVIII.

Sola viventia propriè augentur.

308 HAnc aſtruit S. Th. [a] cum Ariſt. dicens. *Nihil propriè nutritur, niſi animatum, ignis autem videtur quidem per quandam ſimilitudinem nutriri, non autem propriè nutritur. Ratio eſt.* Nam augmentum propriè ſumptum non fit per juxtà poſitionem, ſed per intus ſumptionem & virtutem intrinſecam illius quod augetur, ſed ſola viventia augentur per

[a] *2. de animal. lib. 9.*

Digitized by Google

per intus ſumptionem, non viventia per juxta poſitionem, ergo ſola viventia propriè augentur. *Major conſtat.* Nam quando fit augmentum per juxta poſitionem, res eodem modô manet, quô antea, ut ſi ferro unius digiti addas aliud alterius digiti, ut cum illo continuetur, ferrum non dicitur augeri ſecundùm priorem partem, quia eodêm modô manet. *Minor verò prob.* Nam ignis & quæcunque res inanimata ſtatim in prima ſui productione accipit quantitatem ſibi debitam ad ſui perfectionem, & conſiſtentiam, & ideo ignis quantumvis exiguus ſtatim poteſt generare ſibi ſimile, animata verò non ſtatim habent quantitatem ſibi debitam, & ideò natura communicavit ipſis formam nutritivam & augmentativam, quibus ab intrinſeco augeantur, ergo.

309 *Nec eſt* eadem ratio de generatione, ac de augmentatione, ut ſi illa inveniatur in non-viventibus, etiam iſta inveniri debeat, *Nam* quando ignis augetur, ſubſtantia quæ eidem accreſcit; non eſt eſſentialiter pars, ſed per accidens, aggeneratio autem terminatur per ſe ad partem ſubſtantialem, ut tantum ſubſtituat, quantum eſt deperditum, unde quando ignis convertit lignum in ſuam ſubſtantiam, hoc fit

per potentiam generativam, & non per augmentativam, quatenus ſcilicet intendit ſibi generare ſimile.

RESOLVTIO XIX.

Qualibet pars animalis augetur ſive poroſa ſit, ſive non poroſa, illa quidem per intus ſuſceptionem, hæc verò per juxta poſitionem.

310 NOn eſt ſermo de partibus eſſentialibus, quæ ſunt materia & forma, ſed de integralibus, cujuſmodi ſunt oſſa, carnes, nervi &c. & de his, ſi ſint poroſæ, *Aſſerimus*, quod augeantur per intus ſumptionem, hic enim eſt finis naturæ conſtituentis poros, nempe ut membra mediantibus illis intra ſe ſuſcipiant alimentum & ſuccum, ut alantur & vegetentur, ergo: *Si verò* pars non eſt poroſa, non poteſt intra ſeipſam alimentum ſumere, alias daretur penetratio, vel diviſio talium partium, quod ſine ingenti dolore fieri non poſſet, ergo augetur per juxta poſitionem.

RESOLVTIO XX.

Quamvis mathematicè loquendo in rarefa-ctione & condenſatione non maneat eadem quantitas, phyſicè tamen loquendo manet eadem quantitas, quando ſubſtantia condenſatur aut rareſit.

311 OBſervandum eſt ex S. Th. a *quod ra-rum & denſum, ſunt quædam qualita- conſequentes corpora ex hoc, quod habent multum vel parum de materia ſub dimenſionibus*, ut V.g. ſi accipio ferrum digitale, & ſimiliter ceram digitalem, ferrum reſpectu ceræ dicitur magis denſum, quia ſub æquali quantitate plus materiæ continet, cera verò dicitur magis rara, quia minus materiæ continet. Eſt ergo lis inter Philoſophos, an in rarefactione & condenſatione maneat eadem quantitas? *Nos aſſerimus* non manere eandem quantitatem mathematicè loquendo, quia non manet eadem longitudo & latitudo, nec eadem diſtantia partium extre-

Ff 4 marum

a 3. p. q. 77. a. 2. ad 3.

mirum, phyſicè tamen loquendo manere eandem quantitatem, ſi enim acquireretur nova quantitas, deberet etiam acquiri nova materia, in eadem enim parte materiæ non poteſt dari nova quantitas, niſi velis ponere penetrationem cum præcedenti quantitate, atqui non acquiritur nova materia, uti ſupponitur, ergo nec quantitas.

Hinc colligitur, rarefactionem & condenſationem non eſſe ſpecies augmentationis, ſed eſſe alterationes, quia denſitas & raritas, ut habet Ariſt. [a] ſunt qualitates, quia in eis invenitur contrarietas, invenitur etiam intenſio & remiſio, ergo rarefactio & condenſatio ad has qualitates terminatæ erunt formaliter alterationes: habent tamen etiam adiunctum motum localem, quia raritas & denſitas ita modificant quantitatem, ut majorem locum occupare ſit apta, ergo.

[a] *7. phiſ. text. 21.*

LIBER

LIBER SECVNDVS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

§. 6.

De Elementis, Qualitatibus, & mixtione earum.

RESOLVTIO XXI.

Elementum eſt corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus ineſt actu vel potentia, ipſum autem eſt indiviſibile in diverſa ſecundum ſpeciem.
S. Thom. a

312 Dicitur in primis eſſe *corpus*, quæ particula ponitur loco generis, quia in hoc convenit elementum cum aliis corporibus, & per eandem excluduntur illa elementa, quæ ſunt prima principia co'porum, ut materia & forma, non autem ſunt corpus, ſed ſunt

a *lib. 3. de cælo. c. 3.*

Digitized by Google

ſunt principium corporis. Dicitur 2. *in quod alia corpora dividuntur*, ad denotandam differentiam inter elementa & corpora mixta, quæ ex iis conſtituta, in ea rurſus reſolvuntur. Dicitur 3. *in quibus ineſt actu vel potentia*, quia elementa virtualiter manent in mixto, uti paulò poſt dicemus. Dicitur denique, *ipſum autem eſt indiviſibile in diverſa ſecundùm ſpeciem*, per quod diſtinguitur elementum à mixtis, quia hæc cum ex elementis fiant, poſſunt dividi in illa, & ideò ſunt diviſibilia in diverſa ſecundùm ſpeciem ſcilicet elementa.

RESOLVTIO XXII.

Quatuor tantummodo ſunt elementa, ſcilicet ignis, aer, aqua & terra.

313 ASſignatum elementorum numerum probat Ariſt. [a] ex quadrifaria combinatione quatuor primarum qualitatum. Nam tot ſunt elementa, quot ſunt poſſibiles combinationes quatuor primarum qualitatum, quæ ſunt calor & frigus, humiditas & ſiccitas, ſed tales ſunt tantùm quatuor, ergo etiam quatuor ſolùm

[a] *c.* 3.

ſolùm erunt elementa. *Maior patet ex eo*, quia quatuor primæ qualitates, eô ipſô quod ſunt primæ, conveniunt primis corporibus, quæ nos elementa vocamus, & ex his aliquę debent competere in ſummo ipſis corporibus ſimplicibus, ſi enim nullę competerent in ſummo, ſed omnes temperatè & moderatè, competerent eô modô quô mixtis, in quibus omnes quatuor ſunt moderatæ. *Minor verò prob*. Nam tantùm quatuor ſunt poſſibiles combinationes, ſcilicet calidi & ſicci, quæ competit igni, calidi & humidi, quæ convenit aëri, frigidi & humidi, quæ aquæ, ſicci & frigidi, quæ terrę competit, ergo. Duæ aliæ combinationes, quæ fieri poſſunt inter qualitates contrarias, ſive in gradu remiſſo, ſive intenſo, non competunt corporibus ſimplicibus, ſed mixtis ſolùm. Vt porro naturæ primarum qualitatum meliùs percipiantur, placet earum definitiones ex Ariſt. adducere.

214 Calidum igitur definitur eſſe *id, quod congregat homogenea & ſimilaria, diſgregando heterogenea & diſſimilaria*, uti patet in auro, quod dum calore liquefit, tunc partes auri congregantur ex una, & partes terrę ex altera parte. Frigidum eſt, *quod ſimilaria & diſſimilaria*

ria congregat, ut patet in glacie, quæ ob oppoſitam virtutem condenſandi involuit lapides, paleas, & quicquid eſt aliud. Humidum eſt, *quod facilè terminatur alieno termino, difficilè proprio*, uti conſtat in aëre & aqua, quæ facilè induunt figuram cujuſcumque corporis, ut aqua ſine reluctantia in vaſe triangulari induit figuram triangularem. Siccum eſt denique, *quod difficilè terminatur terminô alienô, facilè autem propriô*, unde ſicut ſuæ tenax eſt figuræ, ita difficile eſt capax alienæ, ut patet in luto ſicco.

RESOLVTIO XXIII.

Ignis eſt ſumme calidus, & propè ſummum ſiccus.

315 CVm jam conſtet ex priori reſolutione, cuilibet elemento competere duas qualitates, videlicet igni calorem & ſiccitatem, aeri calorem & humiditatem &c. nunc celebris controverſia exoritur, an ambæ qualitates, quæ ſingulis elementis inſunt, conveniant ijs in ſtatu naturali & in ſummo gradu, an verò una in ſummo, & altera in remiſſo. De igne in præſenti conſemus cum Ariſt.

Ariſt. [a] quod ſit in ſummo calidus, & propè ſummum ſiccus, ſic enim inquit. *Terra enim ſicci magis quam frigidi, aqua autem frigidi magis quam humidi, aër autem humidi magis quam calidi, ignis autem calidi magis, quam ſicci.* Vbi D. Ang. [b] etiam ſuo calculo eandem opinionem approbat, dicens. *In igne verò magis dominatur caliditas, quàm ſiccitas.*

316 *Probatur deinde etiam ratione*, & inprimis, quod ſit ſummè calidus. Nam calor eſt qualitas omnium perfectiſſima, ergo debet competere ſimplici corpori omnium perfectiſſimo, ſecundùm maximam ſuam perfectionem, ſed ignis eſt elementum perfectiſſimum, quod conſtat *Tum* ex ejus ſubtilitate; *Tum* ex loco ſupremo; *Tum* denique ex maxima ejus activitate, ergo debet ei convenire calor in ſummo gradu. *Quod verò ſit propè ſummum ſiccus, etiam probatur.* Nam ſi in igne eſſet ſumma ſiccitas, illa jam dudum conſumpſiſſet aëris humiditatem, quam adverſarij dicunt non eſſe ſummam, quia ignis, utpote calore potentior, nullam inveniſſet reſiſtentiam in aëre, niſi remiſſam aliquam & debilem humiditatem, ergo non eſt in ſummo ſiccus.

317 Nec

[a] *li. 2. de gen. c. 3.* [b] *S. T. ibid.*

317 Nec exiſtimandum eſt S. Th. [a] ſibi contradicere cum ait. *Non eſt intelligendum, ut quidam dicunt, quod terra, licet ſit magis ſicca quam frigida, quod propter hoc ſit ſiccior igne, quia ratio in contrarium perſuadet.* Nam duobus modis poteſt aliquid dici ſicciſſimum; *Primò* poſitivè, quia omnes gradus ſiccitatis habet, *Secundò* negativè ſeu privativè, quia videlicet omni gradu contrariæ qualitatis, ſcilicet humiditate in omni ſua parte caret. Intelligendus igitur eſt S. D. quod ignis ſit ſiccior terrâ privativè, quatenus ſiccitas non eſt aliud, quam humiditatis privatio, quam omninò reſpuit ignis, terra verò non ſic, quia ſecundum partes ſuas ſuperficiales eſt humida, & in hoc ſenſu ignis eſt ſiccior terrâ, quia ſcilicet ſe toto eſt purior ab omni humore, quam terra, terra autem plures gradus ſiccitatis habet in ſuis partibus puris, & ideò poſitivè ſiccior eſt.

[a] 2. de gen. c. 3.

RESO-

RESOLVTIO XXIV.

Aër eſt ſummè humidus, & propè ſummum calidus.

318 PRobatur 1. pars. Humidum eſt quod facillimè alieno, & difficillimè propriô clauditur termino, ſed aër facillimè & cum minori reluctantia clauditur quôcunque terminô alienô, aqua autem cum majori reſiſtentiâ, ergo aër eſt humidior aquâ, & conſequenter in ſummo humidus. *Confirmatur*, Nam illa quæ ſunt humida, dominio aëris ſunt humidiora, quàm ſit aqua, uti patet de oleo & aliis unctuoſis, ergo aër humidiſſimus eſt. *Probatur ſecunda pars*. Nam aër eſt rarior quam aqua & terra, ergo calidior, quia condenſatio eſt ex frigore.

319 *Dices* S. Th loco proximè citato tribuit aëri minus caloris, quam humiditatis, & minus humiditatis, quam aquæ, ergo ex mente ejuſdem neutram qualitatem habet in ſummo, ſed in debita proportione citra ſummum. *Reſp*. S. D. loqui de humiditate, quæ ratione ſuę groſſitiei eſt fortior ad humectandum, magiſque

moyet

movet ſenſum tactus, hæc enim in aqua ratione frigoris condenſantis confluit, humiditas vero aëris ratione caloris rarefacientis magis diffluit, ideòque minùs percipitur. *Declaratur hæc ſolutio exemplo* Nam duobus modis poteſt aliquid dici calidius *Primò* quia habet intenſiorem calorem, ſicut flamma eſt calidior ferro non candenti; *Secundò* quia eſt fortius calefactivum, quomodo ferrum candens eſt calidius igne excitato in ſtupa, non ab inæqualitate caloris, cum omnis ignis ſupponatur calidus ut octo, ſed ex majori denſitate materię. Et ſic eſt in propoſito de humiditate aëris & aquæ, hæc enim propter ſuum pondus, groſſitiem & denſitatem obruit, ſupprimit & ſuffocat ignem quod aëri non competit ex defectu iſtarum diſpoſitionum.

RESOLVTIO XXV.

Aqua eſt ſummè frigida, & propè ſummum humida.

320 RAtio 1. partis eſt. Quia quod ſummè aduerſatur ſummè calido, eſt frigidiſſimum, ſed aqua ſummo calori ignis adverſatur

ſatur extremè, ergo. *Secunda pars* etiam conſtat, quia aqua facilè terminatur alienô terminô, quamvis minus principaliter propter ſuam denſitatem & fluxibilitatem maximam, & difficilè propriô; ergo erit penes ſummum humida.

Dices. Si aqua eſſet frigidiſſima, ſemper foret congelata, quod tamen experientiæ repugnat, ergo, *Reſp*. quod frigus ſe ſolo non ſit cauſa congelationis, acetum enim quod alias perfrigidum eſt, nunquam congelatur, & oleum ex natura ſua calidum cito concreſcit, frigus igitur non niſi congelatione terrea adjutum congelat.

RESOLVTIO XXVI.

Terra eſt ſummè ſicca, & propè ſummum frigida.

321 PRima pars ſumitur ex S. Scriptura, in qua [a] terra vocatur arida, idque non ob aliud, niſi quia in ea viget ſiccitas, velut principalis ejus proprietas. *Ratio eſt*. Nam ſiccum eſt, quod facile terminatur propriô terminô, difficilè alienô, ſed hęc definitio

[a] *Gen.* 1.

convenit primò & per ſe terræ propter ſoliditatem & duritiem ejus, ergo erit maximè ſicca. *Deinde* cum elementum terræ cęteris ſit materialius, debebit etiam idem competere qualitas materialior, qualis eſt ſiccitas. *Altera pars*, quod penes ſummum ſit frigida, conſtat ex eo, quia terra eſt conſtituta commune domicilium animalium & hominum, ut in eo vivant & conſerventur, ſed ſi ſummam haberet frigiditatem, non poſſet eſſe conveniens eorum habitaculum, ſed neceſſariò animalia perirent, ergo eſt tantùm frigida penes ſummum.

Nec exinde ſequitur, quod ſi terra ſit ſicciſſima, quod deberet reſolvi in pulveres, id enim ſolùm verum eſt, ſi ſecundùm omnes ſuas partes, tam ſuperficiales, quàm intraneas eſſet ſummè ſicca, jam autem ratione frigoris condenſantis & congregantis tam ſimilaria, quàm diſſimilaria compacta conſiſtit.

§. VII.

§. 7.

De Mixtione & temperamento quatuor primarum qualitatum.

RESOLVTIO XXVII.

Elementa manent virtualiter in mixto, quatenus manent in eo formaliter quatuor primæ qualitates ad mediocritatem redactæ.

322 PRæſupponendum eſt tanquam certum, in mixto non manere actu formas ſubſtantiales elementorum, alias una & eadem materia informaretur ſimul pluribus formis ſubſtantialibus miſcibilium, quod ſupra a tanquam impoſſibile negavimus, manent ergo ſolum virtualiter, prout docet S. T. b inquiens: *Et ideo dicendum eſt ſecundum Philoſophum in 1. de generat. quod formæ elementorum manent in mixto, non actu, ſed virtute, manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remiſſæ, in quibus eſt virtus formarum elementalium.*

a n. 123. b 1. p. q. 76. a. 4. ad 4.

Dices. Vbi eſt propria paſſio, debet etiam eſſe forma ſubſtantialis, ad quam ſequitur talis paſſio, ſed virtutes elementorum ſunt illorum paſſiones, ergo ſi illæ maneant in mixto, remanebunt etiam formæ ſubſtantiales elementorum. *Reſp.* Majorem veram eſſe, ſi paſſio eodem modo ſit in mixto, quô modô eſt in ſuo connaturali ſubjecto, jam autem qualitates primæ non ſunt eô modô, id eſt, in gradu ſummo, in mixto, quô ſunt in elementis, ſed tantùm ſecundum gradum remiſſum attemperatæ & ad mediocritatem redactæ.

RESOLVTIO XXVIII.

Naturaliter impoſſibile eſt dari in mixto temperamentum æquale ad pondus.

323 NOmine temperamenti nihil aliud intelligimus, quam quatuor primas qualitates in corpore animalis ad mediocritatem redactas, quod quidem eſt duplex, aliud uniforme, in quo omnes illæ quatuor qualitates ſunt in æquilibrio, id eſt, in omnimoda æqualitate & pondere, ſoletque appellari temperamentum

mentum ad pondus, quia in eo qualitates quaſi æquo pondere librantur: *Aliud eſt difforme*, eſt que illud, in quo una vel duæ qualitates prędominantur aliis. *Dicimus* ergo in præſenti, illud temperamentum uniforme naturaliter eſſe impoſſibile in mixto, quod expreſſis verbis docet S. T.[a] dum. *Impoſſibile eſſe*, inquit, *quod complexio perveniat ad tantam æqualitatem, quin alterum contrariorum prædominetur, quia alias non fieret mixtio, niſi unum ageret in alterum dominans ad medium reducendo, altero reſiſtente, & præcipue hoc oportet in corpore humano.*

324 *Probatur idipſum experientia.* Nam experimur hominem per totam vitam ſuam non habere hujuſmodi ęqualitatem ad pondus quatuor qualitatum, ſiquidem in infantia multum viget calor & humiditas, & ideo membra ſunt laxa, pedes infirmi, ut nequeat homo ambulare præ nimia humiditate. *Deinde* in pueritia viget calor & humiditas, quamvis non tanta quia paulatim conſumitur: *Tertio* in pubertate adhuc minus eſt de humiditate: *Quarto* in adoleſcentia in omnibus calor & humiditas vigent, quamvis ſemper minor humiditas: *Quinto* in inventute, quæ dicitur alias florida, incipit

Gg 3

a *in 3. diſt. 16. q. 1. ad 4.*

incipit vigere ſiccitas & caliditas: *Sexto* in virili ætate, quæ eſt uſque ad quinquageſimum, complexio tendit verſus mediocritatem qualitatum, & in ſenectute Incipit eſſe frigida & ſicca: & Tandem in decrepita ætate complexio eſt frigidiſſima, ergo per totam vitam non reperitur æquale temperamentum primarum qualitatum ad pondus.

§. 8.

De reproductione rei corruptæ.

RESOLVTIO XXIX.

Nulla res permanens ſemel corrupta poteſt naturaliter eadem numero reproduci, benè tamen ſupernaturaliter.

325 PRima pars fundatur in illo axiomate philoſophico, videlicet. *De privatione ad habitum non datur regreſſus.* Ariſt [a] Et ratio eſt. Nam unitas numerica rei dependet ab unitate actionis numericæ, quę eam produxit, actio enim importat rem ipſam in fieri, unde

[a] *c. de oppoſitis.*

unde ſi fieri eſt diverſum, etiam factum eſſe rei debet eſſe diverſum, ſed non poteſt una & eadem actio agentis naturalis redire, quæ jam ſemel præteriit. eò quod nequeat redire idem numero tempus, à quo actio. ſuam habet unitatem, ergo. *Altera pars* eſt de fide, dicit enim Iob.[a] *Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius.* Item. *Et in hac carne mea videbo Deum ſalvatorem meum.* Ergo ſupernaturaliter fieri poteſt, ut idem numero ſemel corruptum reparetur.

RESOLVTIO XXX.

Implicat contradictionem, eandem numero rem ſucceſſivam ſemel extinctam reproduci.

326 NOn poſſe eandem numero rem redire naturaliter, tanquam certum & à Philoſophis communiter receptum ſupponimus, proinde notanter dicimus, id implicare cõtradictionem, ad inſinuandum, nec per Dei potentiam abſolutam fieri poſſe, ut eadem numero res ſucceſſiva reproducatur. Ratio contradictionis deſumitur ex S. T.[b] quia ſi res ſucceſſiva

[a] c. 9. [b] quodl. 4. a. 5.

ceſſiva ſemel tranſacta, V. g. dies heſterna, quæ præteriit, reproduceretur, tunc eſſet eadem numero, & non eſſet eadem numero, nam imprimis eſſet eadem numero, uti ſupponimus, & non eſſet eadem numero, *quod probatur.* Vt enim motus eſſet idem numero, deberet habere unitatem & continuationem durationis. ita ut talis duratio non interrumpatur; idem enim eſt motum eſſe eundem numero, atque non eſſe interuptum, ſed hoc ipſo quod motus & tempus ſemel ſint, & poſtea interrumpantur, non poteſt duratio eorum non interrumpi, ergo etiam non manent tunc idem numero.

Et tantum ex lib. de generat. Ad laudem Omnipotentis Dei Patris, qui ab æterno ſine corruptione genuit æternum Filium, & gloriam ejuſdem Filii in tempore geniti ex utero Matris, & ejuſdem Spiritus *Sancti ſuper venientis, & virtute Altiſſimi obumbrantis uterum B. Virginis*, D. *Thomæ Aquinatis præceptoris noſtri, & omnium Sanctorum.*

PHILO-

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS PARS TERTIA.

Complectitur difficultatum ex tribus libris Ariſt. de Anima Reſolutiones.

§. 1.

De objecto librorum de Anima.

RESOLVTIO I.

Obiectum formale Quod librorum de Anima eſt ens mobile animatum, obiectum vero formale Quo in eſſe rei, eſt anima.

317 DVplex eſt objectum formale, aliud *Quo*, quod conſtituit in eſſe rei objectum *Quod*, & Aliud *Quod*, & eſt illud, quod per objectum *Quo* conſtituitur. Illud ergo dicimus eſſe animam, prout abſtrahit à vegetativa, ſenſitiva & rationali, hæc enim eſt quæ conſtituit in eſſe rei corpus animatum, quod eſt objectum formale *Quod* horum librorum

brorum, ut ſequens ratio oſtendit. *Nam* cum objectum formale *Quod* totius Philoſophiæ Naturalis, ſit ens mobile, objectum formale *Quod* horum librorum, qui ſunt pars quędam Philoſophiæ, non eſt ſola anima, ſed peculiaris quædam ſpecies corporis contenta ſub ente mobili; atqui hoc non eſt aliud, quam ens mobile animatum, ergo.

§. 2.

De Natura & eſſentia animæ.

RESOLVTIO II.

Prima definitio animæ, quod ſit actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis, benè traditur ab Ariſt. a

328 EXplicatur definitio. Dicitur 1. *Actus*, quæ particula ponitur loco generis, ſupponit enim pro actu phyſico, quatenus abſtrahit ab actu primo & ſecundo, ſubſtantiali & accidentali, perfecto & imperfecto. Dicitur ſecundò, *primus*, id eſt ſubſtantialis, per quam particulam diſtinguitur anima ab omni actu ac-

a *li. 2. c. 1.*

Digitized by Google

accidentali, quia proprium eſt actus ſubſtantialis non præſupponere alium actum. Dicitur. 3. *Corporis phyſici*, ubi nomine corporis non intelligitur materia prima nudè accepta, ſed formata gradu corporeitatis, non quidem ab alia forma, ſed à ſe præſtito, quatenus anima ut anima & ſecundùm gradum animę neceſſariò præſupponit gradum corporis, ideoque potius dicitur anima eſſe actus corporis, quam materiæ. ly *Phyſici* ponitur ad excludendas formas artificiales & mathematicas, & etiam formas ſeparatas & completas, quales ſunt Angeli. Dicitur 4. *Organici*, id eſt corporis, quod habet partes diverſarum rationum, ſitu, figurâ, & complexione diſtinctas, ad diverſa vitæ munia exercenda, ſicque differt corpus ab anima formatum à corpore non organico. Dicitur denique 5. *potentiâ vitam habentis*, ubi nomine vitæ non intelligitur vita in actu primo ſeu ſubſtantialis, quæ dicit primam radicem potentiarum & actionum vitalium, ſed intelligitur vita in actu ſecundo ſeu accidentalis, quæ conſiſtit in operatione vitali. *Et ratio eſt*, quia corpus organicum cum conſtituatur tale per animam ut anima eſt, jam includit animam, & conſequenter jam actualiter vivit vita ſubſtantiali,

ſtantiali, debet proinde illa particula intelligi de vita accidentali.

RESOLVTIO III.

Altera definitio animæ, quâ eam Ariſt. deſcribit, Eſſe id quo vivimus, ſentimus, loco movemur & intelligimus primò; etiam optima eſt.

329 EXplicatur ſimiliter hæc definitio. Dicitur 1. *Eſſe id quo*, quæ particula denotat animam eſſe formam ſeu principium intrinſecum motuum vitalium; extrinſeca enim principia non ſunt id, quo aliquid conſtituitur in eſſe, ſicut cauſa efficiens, & finalis non ſunt id quo aliquid conſtituitur, ſed id à quo aliquid movetur, vel cujus gratia aliquid fit, unde illa particula conjungenda eſt cum ultima, ut fiat ſenſus, anima eſt id, quo primò vivimus, ſentimus &c. Dicitur 2. *primò*, quæ particula denotat, quod anima debeat eſſe principium ſubſtantiale radicale, quia potentiæ operativæ non ſunt id quo primò operamur aut vivimus, ſed ſunt inſtrumenta operandi & vivendi. *In reliquis* particulis denotantur gradus principales

les & operationes animæ, ſcilicet gradûs vegetativus in illa particula, *quô vivimus*, gradus ſenſitivus, in illa, *quô ſentimus*, gradus intellectivus in illa, *quô intelligimus*, & tandem operatio appetendi & loco movendi, in illa, *quô loco movemur*.

§. 3.

De diviſione animæ & modis vivendi.

RESOLUTIO IV.

Anima adæquate dividitur in vegetativam, ſenſitivam, & Rationalem.

330 PRobatur ratione S. Thom. [a] Tot ſunt animæ, quot ſunt diverſæ operationes excedentes operationem naturæ corporalis inanimatæ, ſed hæ ſunt tres, ergo ſolùm tres erunt animæ. Major conſtat. *Quia tota natura corporalis ſubjacet animæ, & comparatur ad ipſam, ſicut materia & inſtrumentum. Minor verò prob.* Nam aliqua eſt operatio animæ, quæ excedit adeò

[a] *1. p. q. 78, a. 1.*

adeò naturam corpoream, ut nequeat exerceri per organum corporeum, qualis eſt intellectio, & huic correſpondet anima intellectiva; *Alia verò eſt* operatio animæ infra iſtam, quæ quidem fit per organum corporeum, medijs qualitatibus non nimis materialibus, ſed ſubtilioribus, quæ ſunt ſpecies intentionales ab objectis materialibus profectæ, per quas iu organo corporeo ſuſceptas, res animata ſenſibilia objecta cognoſcit, & huic operationis correſpondet anima ſenſitiva: *Tertia tandem* operatio eſt omnium infima, quæ licet dependeat, ab organo corporeo, fiatque virtute corporeæ & primæ qualitatis, in quo cum inanimatorum operatione convenit, ſupergreditur tamen iſtam in hoc, quod fit à principio intrinſeco & ſeipſam moveat, operationes autem rerum inanimatarum à principio intrinſeco eſſe nequeunt, cum ſeipſas ab intrinſeco movere non poſſint, ſed neceſſario ab extrinſeco moveantur.

331 *Nec eſt putandum*, quod anima quę eſt principium loco movendi, conſtituat diſtinctam animam ab anima ſenſitiva, id enim falſum eſt, unde quamvis ſit perfectior, non tamen conſtituit diſtinctum genus animę à ſenſitiva, ſed continetur ſub modo eſſendi animæ

ſenſitivæ,

ſenſitivæ, & differunt ſolùm tanquam perfectum & imperfectum ſub eodem genere, quia loco motivum eſt idem, quod ſenſitivum perfectum quatenus habet ſenſus percipientes res diſtantes, quod autem tantùm eſt ſenſitivum ſecundùm gradum infimum, & non ſimul loco motivum, habet quidem ſenſum tactus & motum dilationis aut reſtrictionis, non verò motum progreſſivum, ut patet in oſtreis, ut proinde concedi poſſint quatuor modi vivendi, non autem quatuor animę.

RESOLVTIO V.

Quatuor ſunt modi ſeu gradus vivendi, ſcilicet, Vegetativum ſenſitivum, loco motivum & intellectivum.

332 DEſumitur ex S. Thom. a ſic ajente. *Modi verò viventium diſtinguuntur ſecundum gradus viventium. Quadam enim viventia ſunt, in quibus tantum eſt vegetativum, ſicut in plantis. Quadam verò in quibus cum vegetativo eſt etiam ſenſitivum, non tamen motivum ſecundum locum, ſicut ſunt immobilia animalia,*

a 1. p. q. 78. a. 1.

malia, ut conchilia. Quædam verò ſunt, quæ ſupra hoc habent motivum ſecundùm locum, vt perfecta animalia, quæ multis indigent ad vitam ſuam, & ideò indigent motu, ut vitæ neceſſaria procul poſita quærere poſſint. Quædam verò viventia ſunt, in quibus cum his eſt intellectivum. Ex quibus verbis talis formatur ratio. Modi ſeu gradus viventium diſtinguuntur ſecundum diverſos modos ſeu gradus vivendi, qui reperiuntur in rebus animatis, quorum prior reperitur ſine conſequenti; ſed quatuor ſunt modi vivendi ita ſe habentes, ut imperfectior ſine perfectiori reperiatur, perfectior autem ſemper in ſe contineat imperfectiorem, uti ex verbis allatis conſtat, ergo quatuor tantummodò ſunt gradus ſeu modi viventium.

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO VI.

Anima rationalis non ſolùm continet eminenter animam ſenſitivam & vegetativam, ſed eminenter & formaliter ſimul, quemadmodum anima ſenſitiva continet vegetativam.

333 DVobus modis contingit unam rem aliam continere, *ſemel virtualiter* aut eminenter, quando continet aliud ſeclusis totaliter aut ex parte imperfectionibus, ita tamen, ut res continens non denominetur à re contenta, qua ratione Deus dicitur virtualiter aut eminenter continere lapidem, quia continet in ſe quicquid perfectionis eſt in lapide, demptis imperfectionibus, ſed non denominatur lapis: *Alio modo* formaliter, quando una res continet aliam ſecundùm omnia quæ in conceptu formali importat, ita ut denominet continens & de eo prædicetur, ſicut albedo continet colorem.

334 *Dicimus* ergo animam rationalem non ſolùm continere ſenſitivam & vegetativã priori, ſed etiam poſteriori continentiâ, idque

expreſſè docere videtur. S. Th. [a] dum ſic ait. *Nulla forma ſubſtantialis unitur materiæ mediâ aliâ ſubſtantiali, ſed forma perfectior dat materia, quicquid dabat forma inferior, unde anima rationalis dat corpori humano, quicquid dat anima ſenſibilis brutis, & vegetabilis, plantis, & propter hoc ipſa eſt in homine & vegetabilis, & ſenſibilis, & rationalis.* Vocat ergo S. D abſolutè animam rationalem ſenſibilem & vegetabilem, quod utique malè fieret, ſi ſolùm virtualiter & non formaliter ſenſibilis foret. *Probatur ratione.* Anima eſt eſſentialiter forma & principium quô conſtitutivum ſui compoſiti, ergo ſi compoſitum formaliter conſtituitur paſſivè ſenſitivum & vegetativum, etiam ipſa anima formaliter ut quo continebit iſtos gradus vegetandi & ſentiendi. *Prob. conſeq.* Nam quicquid eſt in effectu formali formaliter paſſive & ut quod, debet eſſe in forma tribuente talem effectum formaliter activè, & ut quo.

[a] *q. de an. a. 11. & 1. p. q. 76. a. 4.*

§. IV. De

§. 4.

De diviſibilitate & informatione animæ.

RESOLVTIO VII.

Anima rationalis ſicut etiam omnes animæ animalium perfectorum ſunt omninò indiviſibiles.

335 QVamvis quorundam viventium animas, ut plantarum & quorundam imperfectorum animalium, ut lacertarum, formicarum &c. diviſibiles & extenſas eſſe libenter fateamur, animam tamen rationalem, ſicut & animas ſenſitivas animalium perfectorum omninò indiviſibiles eſſe aſſerimus. *Ratio prioris eſt*, quia ſi anima rationalis eſſet diviſibilis, ſequeretur quod in manu hominis abſciſſa remaneret pars animę; tunc enim aliqua forma diviſibilis eſt, quando dividitur ad diviſionem ſubjecti, taliter quod remaneat in qualibet parte ſubjecti aliqua pars formæ, ſed hoc eſt contra experientiam, ergo. *Ratio poſterioris*

eſt, quia animæ perfectorum animalium V. g. equi, leonis &c. non conſervantur poſt diviſionem in partibus abſciſſis ergo.

Illud quod de S. Paulo ſolet obiici, quod caput ejus amputatum ter ſaltaverit, & in ſingulis ſaltibus nomen Ieſu invocaverit, facilè ſolvitur dicendo, illos ſaltus fuiſſe factos virtute divinâ: locutio autem illa non debuit neceſſariò fuiſſe vitalis, licet ſpeciem vitalitatis habuerit, ſed potuit eſſe facta ad eum ferè modum, quo locutio fit ab Angelis in corporibus ex aëre formatis & aſſumptis.

RESOLVTIO VIII.

Sanguis verus & purus ſicut & reliqui tres humores in animali vivunt & informantur anima totius, ſaltem quoad gradum vegetativum.

336 NOn immeritò homo ob ſuę corporeę fabricę heroicam ſtructuram à veteribus compellatus fuit Microcoſmus, hoc eſt parvus mundus, ſicut enim in mundo univerſo coordinantur quatuor elementa, ita in anima-

animalibus perfectis quatuor dantur humores, qui vices elementorum ibidem gerunt, ſuntque Cholera, ſanguis, Phlegma & Melancholia. *Cholera* utpote ſicca & arida ignem præſefert, *Sanguis* utpote humidus & calidus aërem ſapit, Phlegma aquam, & tandem melancholia terram, ex quorum etiam humorum congreſſu quatuor animalium complexiones naſcuntur. Hi ergo 4 humores informantur animâ totius, quod *probatur*. Nam ſanguis habet accidentia vitæ, ſiquidem habet calorem, augetur & creſcit, pertinet etiam ad integritatem naturę humanæ multo magis quam ungues & capilli; Similiter dicendum eſt de aliis tribus humoribus, qui omnes pertinent ad integritatem corporis animalis, ergo dicendum eſt, quod informentur animâ totius.

RESOLVTIO IX.

Dentes, capilli & ungues vivunt animâ totius.

837 DE capillis & unguibus expreſſe id docet S. D. [a] ſic aiens. *Capilli & ungues nutriuntur & augentur, quod non poſſet eſſe*

[a] in 4. d. 44. a. 2. q. 2. ad. 3.

niſi eſſent partes aliquo modò ab anima, perfectæ. Et ratio eſt. Quia capilli & ungues ſunt in animali, ſicut folia in arbore, ſicut enim illa ſunt ad conſervationem principalium partium, ita capilli & ungues ad conſervationem capitis & digitorum tutelam, ſed anima arboris vivificat etiam folia, ergo anima animalis vivificat quoque dentes, capillos & unges: Vnde videmus, quod in inferiori parte dentur fibræ ſeu venulæ, & ſimiliter in dentibus, quibus alimentum intus ſugunt.

§. 5.

De Potentijs animæ in communi.

RESOLVTIO X.

Potentiæ non organicæ immediatè ſubiectantur in anima, potentiæ verò organicæ in toto compoſito.

338 OPerationes animę ſunt in duplici differentia, quædam; enim ſunt adeò elevatæ ſupra naturam corpoream, quod non exerceantur organô corporeô, uti ſunt intellectiones & volitiones: Aliæ verò ſunt, quæ ejuſmodi

modi organis corporeis exercentur, ut videre, audire &c. Potentię igitur quæ ad priores operationes ordinantur, dicuntur non organicæ, uti ſunt intellectus & voluntas, & de his aſſerimus cum S. Th. [a] *quod ſunt in anima ſicut in ſubjecto.* Ejus eſt enim potentia ſicut ſubjecti, cujus eſt operatio, atqui animæ competunt illæ operationes, ergo etiam principia earundem erunt in anima: at verò *potentiæ quæ ſunt principia operationum, quæ exercentur per organa corporalia, ſicut viſio per oculum, auditus per aurem, ſunt in conjuncto ſicut in ſubjecto, & non in anima ſola*, [b] Si enim eſſent in ſola anima tanquam in ſubjecto, poſſent etiam manere in anima ſeparata, quod falſum eſt. *Addendum* tamen eſt, quod potentiæ vitales in alijs animalibus ab homine ſunt in toto compoſito ſicut in ſubjecto, & non in ſola anima, quatenus omne accidens corporale in toto compoſito ſubjectatur.

[a] *1. p. q 77. a. 5. in C.* [b] *ibid.*

RESOLVTIO XI.

Quinque ſunt genera potentiarum animę, ſcilicet vegetativum, ſenſitivum, loco motivum, appetitivum & intellectivum. a

339 QVinarius numerus potentiarum animæ deducitur ex numero objectorum, à quibus potentiæ unitatem & diſtinctionem ſuam ſortiuntur, atqui tantum ſunt quinque genera objectorum, ergo quinque ſolum erunt genera potentiarum. *Minor prob.* Nam objectum operationis animæ in triplici ordine conſiderari poteſt, in primo ordine eſt corpus unitum & intus ſumptum, in quod ſemper operatur anima vegetativa, In ſecundo eſt aliud objectum univerſalius, ſcilicet corpus ſenſibile, licet per ſeipſum non ſit unitum viventi, & circa iſtud conſtituitur ſecundum genus potentię, ſcilicet ſenſitivum; in Tertio eſt aliud adhuc univerſalius & communius objectum, ſcilicet quodcunque ens, unde in ordine ad iſtud conſtituitur tertium genus potentiæ, ſcilicet intellectivum,

a 1. p. q. 78. a. 1.

Digitized by Google

lectivum, quia per intellectum non tantùm ſenſibilia, ſed etiam inſenſibilia intelligimus. Quia autem intellectus non tantùm verſatur circa unita, ſed etiam circa remota & abſentia, ideò ipſum objectum ſenſus habet adhuc aliam rationem terminandi actum animæ, ſcilicet quatenus eſt bonum animalis nondum habitum in re, idque dupliciter contingit, Vnô modô, quatenus terminat actum deſiderij, & ſecundum talem operationem conſtituitur in ordine ad objectum potentia appetitiva; Secundò, quatenus eadem res terminat executionem & acquiſitionem finis, & ita conſtituitur motivum ſecundum locum, ſic ergo erunt quinque genera potentiarum.

340 *Vocamus* autem notanter in præſenti genera potentiarum, ut inſinuaremus, ſub quolibet genere adhuc plures contineri ſpecies potentiarum, ut v. g. vegetativum continet ſub ſe tres ſpecies, videlicet, potentiam nutritivam, augmentativam, & generativam &c. de quibus, ſicut & de aliarum potentiarum ſpeciebus plura in ſequentibus.

RESO-

RESOLVTIO XII.

Potentiæ diſtinguuntur, per actus, & actus per objecta.

341 NOn eſt ſenſus hujus reſolutionis, quaſi actus & objecta ſint principia formalia conſtituentia ipſas potentias ad eum modum, quô rationale conſtituit hominem, ſed quod conſtituantur & diſtinguantur per habitudinem & ordinem ad actus vel objecta, qui ordo eſt intrinſecus potentiis & actibus, ipſi autem actus & objecta terminant prædictum ordinem, ut ſic habeant rationem cauſæ formalis extrinſecæ, ſicque intellecta reſolutio probatur. Nam unumquodque accipit ſuam unitatem, & diſtinctionem ſpecificam ex eo, ad quod ſecundùm ſuam eſſentiam per ſe primò ordinatur; ſed potentiæ ſecundum ſuam eſſentiam per ſe primò ordinantur ad actus, & actus ad objecta, ergo *Minor prob.* Ideò natura tribuit ſubſtantiæ potentias, quia ſubſtantia nequit eſſe immediatum principium operationum, & conſequenter perſe primo ad illas ordinari non poteſt, potentiæ verò ſunt immediatum

diatum principium operationum, ſed imme diatum principium operationum per ſe primò ordinatur ad actus, & actus ad objecta, ergo.

§. 6.

De Anima vegetativa, ejuſque potentijs.

RESOVTIO XIII.

Anima vegetativa, quæ eſt principium generandi tale quale ipſa eſt, tres in genere habet potentias, ſcilicet, nutritivam, augmentativam & generativam.

34. DEfinitionem allegatam animę vegetativæ ſtatuit Ariſt. [a] eamque approbat S. Th. dicens *Quod quia omnia definiuntur & denominantur à fine, finis autem operum animæ vegetativæ eſt generare alterum ſimile ſibi, ſequitur, quod ipſa ſit conueniens definito animæ vegetabilis, ut ſit generativa alterius ſimilis*

a 2. de ani. t. 49.

mius ſecundum ſpeciem. Ejuſdem animæ ſolùm tres dari in genere potentias aſſignatas, *probatur.* Nam finis animę vegetativæ eſt conſervatio viventis tam in proprio individuo, quàm in ſpecie, ſed in conſervatione proprii individui includitur duplex potentia & operatio, ſcilicet potentia nutritiva & nutritio, potentia augmentativa & augmentatio, nam ratione primi reſtauratur, quicquid deperditur per calorem naturalem, & ratione ſecundi eſt ſtatu imperfecto, in quo generatur vivens, perducitur ad ſtatum perfectum, ſcilicet ad debitam quantitatem: pro conſervatione autem ſpeciei attenditur generatio, quâ vivens producit ſibi ſimile, ergo tres erunt in genere potentiæ animę vegetativæ.

RESOLVTIO XIV.

Potentia nutritiva, augmentativa & generativa ſunt tres potentię realiter inter ſe diſtinctæ.

343 CVm iſtæ potentiæ diſtinguantur actibus, objectis, ſubjectis & etiam ſeparatione, evidenter colligitur eas diſtingui realiter

realiter inter ſe. *Et primo* quidem diſtinguuntur actibus, nam nutritio eſt actio ſubſtantialis, & unio partis cum vivente præexiſtente, augmentatio verò eſt motus ad quantitatem: generatio eſt productio viventis ſimpliciter. *Secundò* diſtinguuntur objectis, nam potentia nutritiva verſatur circa partem ſubſtantialem viventis, augmentativa circa majorem quantitatem, generativa circa novum vivens. *Tertiò* diſtinguuntur ſubjectis & ſeparatione, nam nutritiva & augmentativa ſunt in toto corpore ut in ſubjecto, generativa autem in certa parte. *Item* potentia nutritiva ſemper eſt in vivente, non verò augmentativa & generativa, ut patet in ſene, ergo hæ potentiæ differunt, actibus, objectis, ſubjectis & ſeparatione, & per conſequens realiter.

§. 7. De

§. 7.

De anima ſenſitiva & ejus potentijs.

RESOLVTIO XV.

Senſus eſt potentia activa, quatenus actum ſenſationis elicit, paſſiva verò, quatenus ſpeciem ab objecto recipit, & actu ſentiendi informatur.

344 IN ſenſatione tria neceſſariò invenire eſt. *Primum* quod objectum uniatur potentię per ſpeciem ſuam, quam tale objectum imprimit, per quam conſtituitur potentia in actu primo ad operandum, & ſimul determinatur ad operandum circa tale objectum. *Secundum* eſt, quod potentia ipſa actuata per ſpeciem in ſe receptam eliciat ſenſationem tanquam principium effectivum ejus, *Tertium* eſt, quod illa potentia tandem in ſe recipiat actum à ſe elicitum. Itaque reſpectu primi & ultimi dicimus ſenſum eſſe potentiam paſſivam, quia recipiendo ab objecto ſpeciem intentionalem, &

Digitized by Google

& etiam ſuſcipiendo proprium actum reverà patitur: reſpectu autem ſecundi aſſerimus ſenſum eſſe potentiam activam, ſic enim verè & proprie operatur & agit eliciendo à ſe actum, vitalem V. g. viſionem, ergo.

Hinc colligitur non dari ſenſum agentem & patientem, ſicut datur intellectus agens & patiens, ſed eandem facultatem ſenſitivam eſſe ſimul activam & paſſivam, ſub diverſa tamen conſideratione. *Ratio* diſcriminis eſt, quia ſenſus poteſt pati ab objecto materiali à parte rei exiſtente, intellectus verò minimè, & ideò neceſſariò ponitur intellectus agens, qui purificet & denudet objectum à conditionibus individuantibus ſive materialibus, quod reſpectu ſenſus non requiritur.

RESOLVTIO XVI.

Neceſſariò ſunt ponendæ ſpecies ſenſibiles, ut potentiæ ſenſitivę, tum externæ, tum internæ illis informatæ producant ſenſationem.

315 SPecies ſenſibiles nil ſunt aliud, quam qualitates intentionales objecti ſenſibilis

bilis repræſentativæ, quas neceſſarias eſſe ad ſenſationes eliciendas, ex eo conſtat, quia omne cognitum debeat eſſe in cognoſcente, ac proinde omne ſenſibile in ſenſu, cum autem non poſſit eſſe in eo ſecundùm ſeipſum, quia ab eo diſtat, neceſſe eſt, ut in illo ſit ſecundum ſimilitudinem, quæ niſhil aliud eſt, quam ſpecies intentionalis. *Item* ſenſus ex ſe eſt indifferens ad hoc vel illud cognoſcendum, ut viſus ad videndum nigrum vel album, ita ut ſecundùm ſe non magis ſit determinatus ad hoc vel illud videndum, ergo debet in eo eſſe principium aliquod determinans illum ad hanc potius, quam ad illam ſenſationem, quod eſt ſpecies.

RESOLVTIO XVII.

Species ſenſibilis etiam in genere cauſæ efficientis concurrunt cum ſenſu ad eliciendam ſenſationem.

446 EXiſtimant aliqui quod ſpecies ſenſibiles ſolùm concurrant cum ſenſu in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ ad ſenſationem: *Verius* tamen eſt, quod etiam concurrant

rant in genere cauſæ efficientis tanquam principium quo, conſtituendo cum ſenſu unum totale principium compoſitum ex duplici quaſi partiali, unde S. Th. a ait *quod ſicut calor eſt principium calefactionis in igne, ita ſpecies rei viſæ eſt formale principium viſionis in oculo* Conſtat autem quod calor ſit principium effectivum calefactionis. *Et ratio eſt.* Nam potentia non eſt ſufficienter conſtituta in actu primo ad operandum, eſt enim indifferens & nullam operationem in particulari exercere poteſt, niſi determinetur ab objecto, adeoque indiget determinari mediâ ſpecie impreſſâ objecti, quia ſoli potentiæ non poteſt aſſimilari talis effectus, ergo oportet aſſignare alterum principium effectivum, cui ſimul cum potentia aſſimiletur effectus. quod non eſt aliud niſi ſpecies impreſſa objecti.

a 1. p. q. 56. a. 1.

Digitized by Google

RESOLVTIO XVIII.

Senſus nunquam decipitur circa ſenſibile proprium adæquatum, etſi nonnunquam per accidens ejuſmodi deceptio accidat circa proprium ſenſibile inadæquatum.

447 DVplex eſt ſenſibile proprium, Aliud adæquatum, quod ſcilicet ſenſum adæquat, ut coloratum reſpectu viſus: Aliud inadęquatum, quod ſcilicet ſub adæquato continetur, ut album & nigrum. Circa primum dicimus, ſenſum nunquam decipi, quia nulla potentia fertur extra ſuum objectum adæquatum, ſed ſemper reſpicit illud tanquam ſuum ſpecificativum: ut autem circa objectum inadæquatum non decipiatur, tres requiruntur conditiones. *Prima eſt*, quod ſenſibile ſit debitè approximatum ſenſui, & proportionatum quoad magnitudinem & parvitatem, ex cujus defectu iudicamus ſolem eſſe minorem terra. *Secunda eſt*, ut medium per quod fit ſenſatio, ſit purum, nitidum, & bene diſpoſitum, defectu cujus

cujus judicamus. quandoque lunam eſſe ſanguineam, ob interpoſitionem aliquorum vaporum in aëre. *Tertia eſt*, quod organum ſenſus non ſit læſum. Si itaque una ex conditionibus deficiat, per accidens contingit ſenſum decipi, ut quando medium eſt infectum colore viridi, omnia apprehenduntur ut viridia, & ſi ligna, quæ eſt organum guſtus ſit infecta humore amaro, omnia ſapiunt amara.

§. 8.

De Senſibus externis.

RESOLVTIO XIX.

Objectum adæquatum potentiæ viſivæ eſt lucidum, ſub quo comprehenditur coloratum, tanquam eius principale obiectum.

448 DVplicis generis dantur ſenſus, Alij enim, ſunt interni, qui nimirum abſtruſi in cerebri cellulis deliteſcunt; Alij verò externi, qui extrinſecùs apparent, & ad interiores ordinátur. E quibus ſenſus viſus, utpote

Digitized by Google

cęteris nobilior, primô locô ſeſe offert explicandus, cujus objectum adęquatum dicimus eſſe lucidum, quia quicquid attingit, lucidum eſſe debet, neque enim coloratum à viſu attingitur, niſi ſub ratione lucidi, neque etiam omnia quæ viſus percipit colorata eſſe debent, ut dum percipit cœlum & aſtra, quę colorata non ſunt. Ergo lucidum eſt ejus objectum adæquatum, licet color, qui nil aliud eſt, quàm lux quædam participata, ſit objectum ejus principale.

Fit autem viſio non per emiſſionem alicujus à potentia, ſed per emiſſionem ſpeciei ab objecto in pontentiam, & receptionem ejus intra potentiam, mediâ quâ receptione objectum unitur potentiæ, & ſic à potentia & objecto unitis per modum unius principij elicitur viſio propria: ſi enim viſio fieret per emiſſionem alicujus luminis ab oculis, quo objectum reddere viſibile & illuminatum, non minus de nocte videremus, quam de die.

RESO-

RESOLVTIO XX.

Auditus ſecundus ſenſus exterior habet pro obiecto adæquato ſonum.

349 OBſervandum eſt, ſonum non eſſe motum, ſed qualitatem ſenſibilem tertię ſpeciei reſultantem ex forti percuſſione ſeu colliſione corporum ſonororum & medij reſilientia. In qua ſoni deſcriptioni inſinuatur, tria debere ad ſonum concurrere, ſcilicet percutiens, percuſſum & corpus confractum, id eſt corpus medium, quod ex vi talis percuſſionis reſilit, in quo deinde etiam ſonus recipitur tanquam in proprio ſuo ſubjecto, non verò in corporibus collidentibus, hæc enim potiùs appellantur ſonantia, ſeu ſonum efficientia non verò ſonô affecta. Hic ergo ſonus eſt objectum adæquatum auditus. Non generatur ſonus in aqua vel alio corpore, niſi interveniente aëre, ita enim docet experientia, nam infra mare piſces quantumcunque grandes & velociſſimi in ſuo motu non faciunt ſonum, neque audiuntur, ſi autem ſaltant extra aquam ſtatim audiuntur, imo etiam ipſa aqua maris aliquando

do in profundo movetur velociſſimè, & impingit ad rupes & alia corpora ſolida, & tamen non efficit ſonum, ergo aqua non eſt medium congruum ad efficiendum ſonum.

RESOLVTIO XXI.

Odor qui eſt obiectum Olfactus vel potentiæ odorativæ, eſt qualitas ſecunda ex certa temperie primarum qualitatum originem trahens.

350 Exiſtimant aliqui odorem eſſe fumeam quandam exhalationem, quæ ex corpore odorifero egreditur, ſed falluntur, quandoquidem nulla ſubſtantia, qualis etiam eſt iſta exhalatio, per ſe ſub ſenſibus cadit, conſtat autem quod odor ſit objectum proprium olfactus, *Quapropter dicendum eſt*, quod ſit qualitas ex certo temperamento primarum cauſata, in quo temperamento ſiccitas prædominatur, calore humidum decoquente & exſiccante, unde liquet, terrarum plagas quò ferventiores, eo eſſe odoratiores, ut in partibus Arabiæ & Syriæ pleraque corpora ſunt odori-

odorifera, non quod in illis non reperiatur aliquid humidi, ſed humidum à ſicco ſuperatur, unde etiam roſæ ſereno die collectæ majorem reddunt odoris fragrantiam, quàm ſi tempore pluviarum madidæ legantur.

RESOLVTIO XXII.

Sapor qui eſt obiectum guſtus, eſt qualitas ſecunda orta ex commixtione primarum qualitatum, ita ut humor prædominetur.

351 ORganum guſtus principaliter conſiſtit in duobus nervis à cerebro ad linguam uſque deſcendentibus, qui inſiguntur in medio linguę, & per plures ramos ſparguntur in extremitatibus lateralibus linguæ, quod experientiâ conſtat, quando enim volumus exactè judicium ferre de ſapore aliquo, tunc ſolemus rem ſapidam collocare in extremitate linguæ, quod natura prudenter inſtituit, ut ſtatim in initio ſentiamus, an alimentum conveniens ſit, nec ne. *Ratio* autem cur in extremitate linguæ maximè fiat guſtus, eſt, quod illa pars linguæ ſit mollior, ejuſque nervi minores molliores &

Digitized by Google

ad ſapores principiendos magis idonei; ſalva autem non habet rationem medii, ſed eſt condimentum ſaporum.

RESOLVTIO XXIII.

Obiectum primarum tactus ſunt quatuor primæ qualitates, ſecundarium verò ſunt alia qualitates ſecundæ ex primis orta.

351 QVamvis nonnulli autores putent, plures eſſe tactus ſpecie, eò quod inter tangibilia inveniantur diverſæ contrarietates, circa quas videtur non poſſe verſari unus & idem tactus, *probabilius tamen videtur*, tactum eſſe unum ſecundum ſpeciem, *Tum* quia in hoc ſalvamus commune dictum, quod ſcilicet ſunt tantum quinque ſenſus externi, *Tum* etiam, quia alias deberemus quoque multiplicare alios ſenſus externos juxta pluralitatem objectorum circa quæ verſantur; nam etiam auditus verſatur circa ſonum gravem & acutum, viſus circa colorem album & nigrum, & tamen non ſunt diſtincti viſus vel auditus ſpecie, ergo ſimiliter non erunt diſtincti ſenſus tactus ſpecie. Porro

ro organum tactus nulli parti corporis affixum eſt, ſed per omnia ejus membra diffunditur, ita ut ſenſus tactus collocetur in nervis, ſub carne contentis, caro verò ſit medium. Ratio eſt, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, ſed per tactum ſentimus aliquid poſitum ſupra carnem. ergo caro non eſt organum, ſed ſolum medium tactus.

§. 9.

De ſenſibus internis.

RESOLVTIO XXIV.

Quatuor dantur ſenſus interni, ſcilicet, ſenſus communis, phantaſia, æſtimativa & memoria S. T. a

313 NEceſſitas ſenſuum internorum inde colligitur, quod animalia cognoſcant res in abſentia, & non ſolùm in præſentia, alioquin non moveretur animal ad quærendum aliquid abſens, ſicut videmus moveri ad quærendum cibum, vel potum; res autem abſentes non

a 1. p. q. 78. a. 4.

non percipiuntur à ſenſibus externis, oportet ergo conſtituere ſenſus aliquos internos. quatuor videlicet præmemoratos, quorum officia breviter ſic explicamus.

Ad munus igitur & officium ſenſus communis tria potiſſimùm ſpectant. *Primum eſt*, non tantùm omnia ſenſibilia, ſed etiam omnes ſenſationes ſenſuum exteriorum percipere. *Secundum eſt*, objecta diverſorum ſenſuum diſcernere & dijudicare, & propterea ſenſum communem ajant eſſe cœterorum quaſi arbitrum & judicem. *Tertium munus eſt*, impertiri ſenſibus externis ſpiritus animales, eò quod omnes illi radicentur in cerebro, & nervi eorum uniantur & terminentur in fronte, ubi ſedem habet ſenſus communis, unde ipſe eſt origo & principium diſtribuendi ſpiritus animales alijs ſenſibus.

354 *Phantaſia* ſive imaginativa deſervit inprimis ad retinendas ſpecies à ſenſu communi hauſtas, ideòque pro illis ſpeciebus habet vim memoriæ, & cognoſcit res in abſentia. *Secundò* deſervit ad componendas formas varias inter ſe, ſicut ex ſpecie montis, & auri format montem aureum, quod proprie pertinet ad imaginationem.

355 *Ad*

355 *Ad æſtimativam* pertinet non ſolùm cognoſcere ſenſibilia externa, quę inſpicit in phantaſia, ſed etiam illius eſt elicere ſpecies non ſenſatas, quæ ſenſu externo non percipiuntur, ut V. g. ſunt amicitiæ, ratio utilis, vel nocivi &c. quæ ſenſus externus non percipit, ùt V. g. ovis fugit lupum, non quia talis coloris vel figuræ eſt, ſed quia ſibi inimicus. Atque hæc æſtimativa in homine propter unionem & ſubordinationem ad intellectum, vocatur etiam cogitativa.

356 *Memoria* denique ſpecialiter neceſſaria eſt pro iſtis intentionibus & ſpeciebus inſenſatis conſervandis, inde enim movetur animal ad rememorandum de aliquo, qui ſenſus in homine etiam vocatur Reminiſcentia, quia memoria in homine non fit ſemper per ſimplicem aut ſubitam recordationem, ſed cum quadam collatione, inquirendo unum ex alio, quouſque pervenitur ad hoc quod volumus recordari.

§. 10. De

§. 10.

De Anima Rationali ſecundum ſe.

RESOLVTIO XXV.

Anima rationalis eſt vera humani corporis forma, ſubſtantia ſpiritualis, incorruptibilis & immortalis.

317 HÆc reſolutio etſi de fide ſit certa, utpote quam frequenter aſtruunt ſacrarum paginarum oracula, Conciliorum decreta, & SS. PP. teſtimonia, haud tamen difficile eſt, eam quoque rationibus naturalibus evincere, & imprimis quod ſit forma informans humanum corpus, *ex eo probatur*, quia eſt pars perfectiva materiæ primę, determinans illam ad certam ſpeciem, proprietates & operationes, facitque cum materia prima unum ens per ſe, ergo. *Deinde* quod ſit ſpiritualis, probant operationes ejus quibus apprehendit naturas abſtractas & immateriales, ut Deum & Angelos, quod potentiæ corporeæ nequaquam competere poteſt. *Ex quo* etiam infertur, quod ſit immortalis & incorruptibilis,

is, quatenus omne ſpirituale, immortale & incorruptibile eſt.

RESOLVTIO XXVI.

Anima rationalis duplici decoratur intellectu, quorum unus vocatur agens, alter verò patiens, ſeu poſſibilis.

358 INter potentias animę primum locum ſibi vendicat intellectus, qui in ordine ad voluntatem comparatur, veluti rex ad reginam. Eſt autem duplex intellectus, *agens & poſſibilis*. Munus illius eſt illuſtrare phantaſmata, & producere ſpecies intelligibiles, cum enim intellectus poſſibilis ex ſe ſit nudus & inſtar tabulæ raſę, in qua nihil eſt depictum, hinc fit, quod ſit ſuſceptivus formarum, & conſequenter opus eſt aliquô, quod ei has formas imprimat, ſicque intellectum poſſibilem in actu primo conſtituat intelligentem, & hoc facit intellectus agens. *Munus verò* intellectus poſſibilis eſt, ſpecies impreſſas ab intellectu agente repręſentatas in ſe recipere, ut intellectionem producat cognoſcendo objectum: & inde vocatur iſte intellectus patiens, quia non producit, ſed recipit illas ſpe-

ſpecies impreſſas, etſi deinde ijs informatus activè concurrat ad intellectionem. *Diſtinguuntur* porrò iſti intellectus inter ſe realiter, quia habent etiam objecta inter ſe realiter diſtincta, nam objectum intellectus agentis eſt intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendum eſt intelligibile in actu, objectum verò intellectus poſſibilis eſt idem intelligibile, ut jam mediante ſpecie eſt intelligibile in actu.

RESOLVTIO XXVII.

Objectum adæquatum intellectus humani eſt ens in tota ſua latitudine, objectum verò connaturale & proportionatum eiuſdem pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis.

359 DVplex ſolet aſſignari objectum intellectus noſtri, *Vnum adæquatum* quod recipit intellectus tam intra quam extra corpus, & hoc dicimus eſſe ens in tota ſua latitudine, prout ſub ſe comprehendit tam ſupernaturalia, quàm naturalia, ſiquidem ens naturale non adæquat intellectum creatum: *Aliud eſt* conaturale & proportionatum intellectus pro ſtatu viæ, & hoc

hoc dicimus eſſe quidditatem rei materialis, hęc enim eſt, quam intellectus agens abſtrahit à conditionibus individuantibus, facitque eam intelligibilem in actu, adeóque proportionatam, ut de ea intellectus poſſibilis conceptum formalem & ſpeciem expreſſam formare poſſit.

RESOLVTIO XXVIII.

Intellectio quæ eſt propria actio intellectus poſſibilis, diſtinguitur realiter tanquam res à re à ſpecie expreſſa ſeu verbo mentis.

360 QVamvis verbum mentis ordinariè fiat cum intellectione, *nihilominus* ſentimus ea realiter inter ſe diſtingui, quia intellectio non eſt pura cauſalitas, ſicut actio de prædicamento actionis, quæ à termino ſuo realiter entitativè non diſtinguitur, ut in tertio phyſic. [a] diximus, ſed eſt qualitas ipſius operantis, & verbum mentis etiam eſt alia qualitas, quia eſt imago expreſſa, in qua res intellecta objectivè ſeu repræſentativè continetur. *Præterea*, intellectio poteſt quandoque eſſe ſine verbo, cum productio verbi non ſit de eſſentia intellectionis, quę præcisè reſpicit objectum ut intelligibili-

a reſol. 52. ter

ter attingendum, ergo realiter inter ſe diſtinguuntur, ſiquidem realis ſeparatio aliquorum evidens ſignum eſt realis diſtinctionis: quare producere verbum ſolòm convenit intellectioni ut dictio eſt, hæc enim ex natura ſua reſpicit habitudinem productivi.

RESOLVTIO XXIX.

Datur etiam in homine memoria quadam intellectiva, ſolâ ratione diſtincta ab intellectu poſſibili.

361 SEcundum ſedem inter rationalis animæ potentias occupat *Memoria*, cujus eſt præterita cognoſcere, non quidem directè, ſed ſaltem indirectè & per reflexionem, cujus munus eſt conſervare ſpecies immateriales, nec tamen realiter diſtinguitur ab intellectu, uti docet S. T.[a] *Ratio eſt.* Quia diſtinctio potentiarum deſumitur ex ratione formali, qua reſpiciunt ſua objecta, & non ex modo accidentali, ſed tam memoria quam intellectus reſpiciunt ſuum objectum ſub eadem formali ratione entis, & ſolum in hoc differunt, quod memoria

[a] 1. p. 79. a. 7.

ria tanquam theſaurus ſpecierum intelligibilium eas conſervet, intellectus autem poſſibilis eas recipiat, ergo.

Nec officit, quod communiter SS. PP. & Theologi tres potentias rationales agnoſcant & ponant, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, non enim volunt ponere diſtinctionem memoriæ ab intellectu ex parte potentiarum, ſed ſolum ex parte actuum, ad eum modũ quo ſupra in Philoſophia Rationali. [a] diximus diſtingui Logicam docentem & utentem.

RESOLVTIO XXX.

Tertia animæ rationalis potentia eſt voluntas, quæ ſic deſcribitur. Eſt appetitus liberè tendens in bonum, & fugiens malum à ratione appræhenſum.

362 APpetitus generatim loquendo ſignificat inclinationem in rem convenientem, dividitur communiter in naturalem ſeu innatum, & in elicitum, de quo diximus in Philoſophia Naturali [b] Appetitus elicitus iterum eſt duplex, alius animalis, qui ſequitur

[a] *reſol.* 4. [b] *part.* 1. §. 3.

bonum per ſenſum apprehenſum, alius verò rationalis, qui ſequitur bonum per intellectũ prçconceptum, & hic voluntas dicitur, per quam nos experimur appetere ea quæ ſenſu cognoſci non poſſunt, uti ſunt media honeſta relata in ſuum debitũ finem, item ſpiritualia &c. *Differt autem* volũtas ab intellectu inprimis in eo, quod voluntas objectum ſuum non trahat ad ſe per ſimilitudinẽ, ſicut intellectus. *Secundò*, quia intellectus eſt altior & nobilior potẽtia voluntate, quod patet *Tum* ex objecto, *Tum* ex modo operandi intellectus, nã objectũ intellectus eſt ſimplicius, magiſq; abſtractũ, quàm objectum volũtatis, *Deinde* intellectus nõ indiget aliâ potentiâ, quæ ei objectũ præſens faciat, quia illud ſibi ipſi per propriam operationem præſentat; Voluntas autem cum ſit potentia cçca, objectum ſibi præſens facere non poteſt, ſed tantùm in objectum ab intellectu ſibi præſentatum fertur, qui modus operandi eſt longe imperfectior, quam modus operandi intellectus.

Explicit tertia pars Philoſophiæ Naturalis, ad laudem SS. Trinitatis, ad cujus imaginem creata eſt anima rationalis cum intellectu, memoria & voluntate, faxit Deus, qui eam creavit, ut à prototypo ſuo nunquam diſcordet, ſed per omnia eidem conformetur.

PHI-

PHILOSOPHIÆ TRANSNATVRALIS

Hoc eſt

METAPHYSICÆ COMPENDIOSA TRACTATIO.

Complectitur earum difficultatum, quæ paſſim hoc tempore in Metaphyſica tractari ſolent, reſolutiones.

§. I.

In quo proœmialia expediuntur.

RESOLVTIO I.

Ens ut ens eſt objectum Metaphiſicæ. a

MEtaphyſicæ objectum etſi diverſi diverſum aſſignent, nos tamen aliud

a S. T. 3. met. lect. 6.

non ponimus niſi, *Ens reale per ſe, commune finito & infinito, creato & increato*, idque adæquatum ejus objectum agnoſcimus. Colligitur ex S. Th. ubi ait. *Metaphyſica conſiderat ut ſubjectum ipſum ſolum ens commune, hoc enim eſt ſubjectum in ſcientia, cujus cauſas & paſſiones quærimus.* Ad quæ verba ita placet ſubſumere, ſed non eſt alia ſcientia, quæ inquirendis & inveſtigandis paſſionibus & cauſis entis occupetur, niſi ſola Metaphyſica, ergo ens ut ens erit ejus objectum. *Minor ſubſumpta probatur.* Nam illa ſcientia, Vel eſſet ſuperior, vel inferior, non eſſet ſuperior, quia in naturalibus non datur ſcientia altior & univerſalior Metaphyſicâ, quæ propterea etiam meretur nomen primæ Philoſophię; Neque foret inferior, quia nulla ſcientia inferior conſiderat ens ſecundum communem & univerſalem rationem entis, ſed ſolum ſub ratione particulari, ſicut Phyſica contemplatur ens quatenus mobile, ergo tenendum eſt quod ens vt ens ſit ſolummodo objectum Metaphyſicæ: quod tamen ita intelligendum venit, ut ratio entis ſit ratio formalis *Quæ*, ipſum verò lumen metaphyſicum ſeu abſtractio ab omni materia, tam intelligibili ,quam

* in prolog. Meta.

quam ſenſibili, ſit ratio formalis *ſub qua* attingitur ratio entis, eo modo quo potentia viſiva fertur in coloratum ſub ratione luminis tanquam ſub ratione formali *ſub qua* coloratum attingit.

2 Addimus porro ad Ens in primis, ly *reale*, ad excludendum ens quod eſt commune enti reali & rationis. Secundò ly, *per ſe*, ad excludendum ens per accidens, de quo, ut inquit Ariſt. a non poteſt dari ſcientia. Tertio, *commune finito & infinito, creato & increato*, quia Metaphyſicus non tantùm verſatur circa ens prædicamentale ut quidam arbitrantur, ſed etiam circa quodlibet ens reale, abſtrahendo ab hoc, quod ſit prædicamentale, vel non.

RESOLVTIO II.

Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa.

3 R*Ectè autem ſe habet Philoſophiam* (adde primam) *ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe, ſpeculativæ etenim finis veritas, practicæ autem opus.* b Ariſt. Cum ergo Metaphyſica conquieſcat in veritatis contemplatione,

a *hic li. 6. t. 8.* b *2. Met. tex. 2.*

ne, neque hanc ad opus aliquod dirigat, ſimpliciter ſpeculativa, imò *omnium ſcientiarum honorabiliſſima, quia maximè divina, utpote de divinis tractans*. S. Thom. [a] dicenda eſt. Inſuper eſt maximè intelligibilis propter ſuam immaterialitatem, ſummeque appetibilis inter ſcientias reales à natura intellectuali, quatenus hæc naturaliter appetit ſcire & intelligere, tanquam propriam ſuam operationem.

Obijcies. Metaphyſica eſt ſapientia, ergo non eſt ſcientia, hæc enim ſibi repugnare videntur. *Reſp*. ſapientiam duobus modis uſurpari, *ſemel ſtrictè* pro habitu mentis diverſo ab habitu ſcientiæ, quô in ipſis primis principijs abſque rationis diſcurſu ſaltem expreſſe concluſiones cognoſcuntur, qui habitus in Angelis, & ut quidam ait, in perpaucis hominibus in Philoſophia verſatiſſimis invenitur. *Aliô modô* ſumitur pro eo ſcientiæ habitu, per quem aliquid deducitur ex primis & altiſſimis rerum principijs, & hoc poſteriori modo Metaphyſica ſapientia eſt, quia Deum & Angelos aliaque communiſſima principia, unde omnis cognitio derivatur, contemplatur; cum quo tamen ſtat eſſe ſimul ſcientiam, ſicut cum rationali, eſſe ſimul ſenſitivum.

§. 2. De

[a] 1. *Me. l.* 3.

Digitized by Google

§. 2.

De Natura Entis.

RESOLVTIO III.

Ens non eſt univocum, neque æquivocum, ſed eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis.

4 ENs dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet nominaliter & participaliter. *Ens participialiter* eſt concretum ab exiſtentia, & derivatur, à verbo *Sum*, unde idem eſt quod exiſtens. *Ens nominaliter* ſumptum idem eſt quod eſſentia, quâ ratione dividitur in decem prædicamenta, quia ens exiſtens non competit omni rei contentæ in prædicamento, nam ens reale & quoad eſſentialia completum, nec tamen productum extra ſuas cauſas, eſt verè in prædicamento, etſi de facto nullam habeat exiſtentiam.

5 *In præſenti* ergo loquimur de ente nominaliter ſumpto, dicimuſque inprimis, illud non eſſe univocum, quia in ſubſtantia, quæ eſt unum ex inferioribus entis, continetur aliquis

dus, ſcilicet, eſſe per ſe, qui non continetur in accidentibus; & è contra in accidentibus continetur aliquis gradus, ſcilicet, eſſe in alio, qui non continetur in ſubſtantia: atqui eſt contra rationem naturæ univocæ ſic diviſim contineri in ſuis inferioribus, unde quia natura animalis univocè prædicatur de ſuis inferioribus, fit quod nullus gradus animalis continetur in homine, qui non etiam contineatur in equo. *Secundò aſſerimus*, Ens neque eſſe æquivocum, quia inter ęquivoca non attenditur ordo prioris & poſterioris ſecundùm nomen æquivocum; ſed inter ſubſtantiam & accidens in ratione entis invenitur talis ordo, nam accidens definitur per ordinem ad ſubſtantiam, quatenus totum ejus eſſe eſt ineſſe ſubſtantiæ. *Concludimus ergo tertio*, illud eſſe analogum. Nam analoga ſunt quorum nomen commune ratio verò ſignificata per illud nomen partim eſt eadem partim diverſa, ſed ens dicit nomen commune ſubſtantiæ & accidenti, rationem verò partim eandem partim diverſam: eandem ſecundùm proportionem, ſicut enim ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita ſe habet accidens ad ſuum eſſe; diverſam verò, quia ens in ſubſtantia eſt ens per ſe, in accidente autem eſt ens in alio, ergo.

Dices

6 *Dices.* Iſta diverſitas quæ per nomen ens in ſua ratione ſignificata importatur, non impedit univocationem, quia etiam animal diverſimodè participatur à ſuis inferioribus, & tamen eſt univocum, ergo etiam ens erit univocum. *Reſp.* admittendo quod diverſitas quæ reperitur in inferioribus animalis non impediat univocationem, quia illa ſe tantum tenet ex parte differentiarum contrahentium, non verò ex parte communis rationis animalis, quatenus dicit vivens ſenſibile in qua inferiora animalis conveniunt: at verò diverſitas, quæ eſt in inferioribus entis, tenet ſe ex parte communis rationis entis, & ideo fundat analogiam & tollit univocationem.

RESOLVTIO IV.

Enti non correſpondet in intellectu unus conceptus, & diſtinctus, ſed tantùm imperfectus & confuſus.

7 DVplex eſt conceptus, objectivus vnus, formalis alius, formalis alius. *Conceptus objectivus* eſt ipſa res intellecta, ipſum conceptū formalem terminans; *conceptus verò formalis* eſt

eſt idolum quoddam ſeu imago mentis interna, quæ eſt repræſentativa rei intellectæ, & expreſſa ſimilitudo ejus, qui conceptus à Theologis vocatur Verbum: & hic iterum duplex eſt, *alius perfectus*, ſeu explicitus & diſtinctus, qui nimirum repræſentat plura convenientia ſub una aliqua ratione, quam rationem ille conceptus diſtinctè & immediatè veluti ab inferioribus præciſum repræſentat; *imperfectus* verò ſeu confuſus eſt, quô aliqua plura concipiuntur ſub aliqua ratione, quæ tamen non eſt una ſimpliciter in illis, ſed ſecundum proportionē.

8 *Dicimus ergo in* præſenti reſolutione, quod enti in intellectu noſtro non correſpondeat unus conceptus formalis ſimpliciter unus, ſed ſolùm unus ſecundum quid *Ratio eſt*. Quia conceptus ſimpliciter unus & diſtinctus debet repræſentare rem ſimpliciter unam. in qua plura conveniunt, ſed ens non ſignificat immediatè rationem aliquam ſimpliciter unam, in qua ejus inferiora, ſubſtantia, & accidens conveniant, ſed ſignificat ipſa inferiora immediatè, & per conſequens ipſe conceptus in ratione imaginis nequit eſſe ſimpliciter unus, quia res repræſentata eſt tantum una ſecundùm quid & analogicè, ergo.

RESO-

RESOLVTIO V.

Neque etiam dicit ens conceptum aliquem obiectivum precisum à ſuis inferioribus, ſed immediatè ſignificat ſua inferiora ſecundùm quod proportionabiliter ſunt eadem.

9 VOlumus dicere, quod ens non ſignificet immediatè aliquem gradum ſeu rationem communem à ſuis inferioribus, ſubſtantia ſcilicet & accidenti diſtinctam & abſtractam, ſicut. V. g. animal ſignificat aliquam rationem communem homini & bruto, ſed quod ſignificet immediatè ſua inferiora, ut proportionabiliter ad invicem ſeſe habentia. *Ratio eſt.* Quia omnis gradus verè communis & potentialis debet excludere illa, per quę determinabilis eſt, ſicut animal excludit ſuas differentias ſpecificas, nec eſt incluſum in ultimis differentijs hominis & brutorum, ſed ens non excludit modos differentiales ſubſtantię & accidentis per quos determinatur, ſed potius clauditur & imbibitur intrinſecè in illis, cũ nil poſſit concipi niſi ſub ratione entis, ergo.

10 Ei

10 *Et hinc eſt*, ens eô modô abſtrahere ab inferioribus, quô modô ab illis contrahitur ad ſua inferiora, certum autem eſt, nihil enti ſuperaddi, dum contrahitur ad ſua inferiora, quod ſit extraneum naturæ entis, ſicut individua addunt ſpeciebus differentias individuales, quæ ſunt extra rationem ſpeciei, ſed ens ſemper claudit ipſa ſua inferiora, ut proinde etiam non dicatur proprie contrahi per ſua inferiora, ſed ſecundum quid tantùm, per hoc ſcilicet, quod ſubſtantia & accidens exprimant modos illius entis, qui ſunt, eſſe per ſe, & eſſe in alio, qui nomine proprio entis non exprimuntur, quia ſolum implicite & confuſè importat proprias rationes inferiorum.

11 *Nec putandum eſt.* conceptum objectivum entis diſtingui à conceptu objectivo ſubſtantiæ & accidentis ſimpliciter, ſed ſolum diſtinguitur diſtinctione ſecundum quid & imperfecta, hoc eſt, penes ſignificatum implicitum & explicitum, licet enim ens non dicat explicitè Eſſe per ſe, & eſſe in alio, dicit tamen & claudit iſta implicitè, non in potentia ſolùm, ſicut animal ſuas claudit differentias ſed in actu confuſo, à quibus modis eſſendi non poteſt præſcindi conceptus entis perfectus & adæquatus.

§. 3. De

§. 3.

De Proprietatibus Entis.

RESOLVTIO VI.

Ens quod eſt obiectum Metaphyſices, obtinet veras aliquas & legitimas proprietates, non quidem reales, ſed demonſtrabiles ſolùm de illo.

12 DVplices ſunt proprietates rerum, *Aliæ* ſunt & dicuntur ſolum demonſtrabiles de re, quarum ſubjectum eſt quidem prius conceptibile, ſed tamen re non differt à ſuis proprietatibus: *Aliæ* verò ſunt demonſtrabiles & reales ſimul, quarum videlicet ſubjectum non ſolum prius eſt conceptibile, ſed inſuper eſt principium earum, à quo proinde paſſiones realiter dimanant, ſicut riſibilitas ab homine: *Prioris* generis proprietates etiam competunt enti, quod enim conceditur objectis omnium aliarum ſcientiarum, id minimè denegandum eſt objecto ſcientiæ præſtantiſſimæ, qualis eſt Meta-

taphyſica, ſed habere proprietates demonſtrabiles eſt commune omni objecto ſcibili, ergo id quoque concedendum eſt enti, quod eſt objectum Metaphyſicæ.

13 *Porrò communiter* tres enumerantur proproprietates entis, videlicet, Vnum, Verum, Bonum, quas ab ente realiter non diſtingui, ſic oſtenditur, *Nam imprimis* Ens & unum non diſtinguuntur realiter ſiquidem quælibet res eſt una per eſſentiam ſuam, & non per aliquid reale ſuperadditum. *Deinde* quodlibet ens eſt intelligibile ſeipſo, ergo etiam eſt verum ſeipſo, nullo alio reali ſuperaddito. *Tertiò denique*, quçlibet res in tantum eſt appetibilis, in quantum eſt bona, ſed eſt bona quatenus participat de entitate, quod enim non eſt ens, nequit eſſe bonum, ergo ens & bonum idem ſunt realiter.

RESO-

RESOLVTIO VII.

Vnum trăſcendĕtale, quod eſt proprietas entis, materialiter ſignificat naturam aliquam poſitivam, formaliter verò importat negationem diviſionis.

14 CVm *Vnum* ſit nomen concretum, ideò duo ſignificata importat, unum materiale, alterum formale; pro materiali ſignificat ipſam entitatem, quæ eſt quid poſitivum, ratione cujus *Vnum* convenit cum aliis proprietatibus entis; pro formali verò ſignificat negationem diviſionis, quemadmodum album pro materiali ſignificat ſubjectum, pro formali verò ipſam albedinem, unde S. T. [a] ait. *Dicendum quod unum non addit ſuper ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diviſionis, unum enim nihil aliud ſignificat quam ens indiviſum.* Accedit quoque ratio. Quia per diviſionem unum ens fit plura, ergo nulla alia ratione melius concipi poteſt ens eſſe unum, quam per negationem diviſionis. *Inde* ergo colligitur, quod ratio unius non ſit ſola entitas, neque ſo-

la

[a] 1. p. q. 11. a. 1.

ter attingendum, ergo realiter inter ſe diſtinguuntur, ſiquidem realis ſeparatio aliquorum evidens ſignum eſt realis diſtinctionis : quare producere verbum ſolòm convenit intellectioni ut dictio eſt, hæc enim ex natura ſua reſpicit habitudinem productivi.

RESOLVTIO XXIX.

Datur etiam in homine memoria quadam intellectiva, ſolâ ratione diſtincta ab intellectu poſſibili.

361 SEcundum ſedem inter rationalis animæ potentias occupat *Memoria*, cujus eſt præterita cognoſcere, non quidem directè, ſed ſaltem indirectè & per reflexionem, cujus munus eſt conſervare ſpecies immateriales, nec tamen realiter diſtinguitur ab intellectu, uti docet S. T. [a] *Ratio eſt.* Quia diſtinctio potentiarum deſumitur ex ratione formali, quâ reſpiciunt ſua objecta, & non ex modo accidentali, ſed tam memoria quam intellectus reſpiciunt ſuum objectum ſub eadem formali ratione entis, & ſolum in hoc differunt, quod memoria

[a] *1. p. 79. a. 7.*

ria tanquam theſaurus ſpecierum intelligibilium eas conſervet, intellectus autem poſſibilis eas recipiat, ergo.

Nec officit, quod communiter SS. PP. & Theologi tres potentias rationales agnoſcant & ponant, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, non enim volunt ponere diſtinctionem memoriæ ab intellectu ex parte potentiarum, ſed ſolum ex parte actuum, ad eum modũ quo ſupra in Philoſophia Rationali. [a] diximus diſtingui Logicam docentem & utentem.

RESOLVTIO XXX.

Tertia animæ rationalis potentia eſt voluntas, quæ ſic deſcribitur. Eſt appetitus liberè tendens in bonum, & fugiens malum à ratione appræhenſum.

362 Appetitus generatim loquendo ſignificat inclinationem in rem convenientem, dividitur communiter in naturalem ſeu innatum, & in elicitum, de quo diximus in Philoſophia Naturali [b] Appetitus elicitus iterum eſt duplex, alius animalis, qui ſequitur bo-

Kk

[a] *reſol.* 4. [b] *part.* 1. §. 3.

bonum per ſenſum apprehenſum, alius verò rationalis, qui ſequitur bonum per intellectũ preconceptum, & hic voluntas dicitur, per quam nos experimur appetere ea quæ ſenſu cognoſci non poſſunt, uti ſunt media honeſta relata in ſuum debitũ finem, item ſpiritualia &c. *Differt autem* volũtas ab intellectu inprimis in eo, quod voluntas objectum ſuum non trahat ad ſe per ſimilitudinẽ, ſicut intellectus. *Secundò*, quia intellectus eſt altior & nobilior potẽtia voluntate, quod patet *Tum* ex objecto, *Tum* ex modo operandi intellectus, nã objectũ intellectus eſt ſimplicius, magiſq; abſtractũ, quàm objectum volũtatis, *Deinde* intellectus nõ indiget aliâ potentiâ, quæ ei objectũ præſens faciat, quia illud ſibi ipſi per propriam operationem præſentat; Voluntas autem cum ſit potentia cœca, objectum ſibi præſens facere non poteſt, ſed tantùm in objectum ab intellectu ſibi præſentatum fertur, qui modus operandi eſt longe imperfectior, quam modus operandi intellectus.

Explicit tertia pars Philoſophiæ Naturalis, ad laudem SS. Trinitatis, ad cujus imaginem creata eſt anima rationalis cum intellectu, memoria & voluntate, faxit Deus, qui eam creavit, ut à prototypo ſuo nunquam diſcordet, ſed per omnia eidem conformetur.

PHI-

PHILOSOPHIÆ TRANSNATVRALIS

Hoc eſt

METAPHYSICÆ COMPENDIOSA TRACTATIO.

Complectitur earum difficultatum quæ paſſim hoc tempore in Metaphyſica tractari ſolent, reſolutiones.

§. I.

In quo procemialia expediuntur.

RESOLVTIO I.

Ens ut ens eſt objectum Metaphiſicæ. a

a METaphyſicæ objectum etſi diverſi diverſum aſſignent, nos tamen aliud non

a S. T. 3. met. lect. 6.

Digitized by Google

non ponimus niſi, *Ens reale per ſe, commune finito & infinito, creato & increato*, idque adæquatum ejus objectum agnoſcimus. Colligitur ex S. Th. ubi ait. *Metaphyſica conſiderat ut ſubjectum ipſum ſolum ens commune, hoc enim eſt ſubjectum in ſcientia, cujus cauſas & paſſiones quærimus.* Ad quæ verba ita placet ſubſumere, ſed non eſt alia ſcientia, quæ inquirendis & inveſtigandis paſſionibus & cauſis entis occupetur, niſi ſola Metaphyſica, ergo ens ut ens erit ejus objectum. *Minor ſubſumpta probatur.* Nam illa ſcientia, Vel eſſet ſuperior, vel inferior, non eſſet ſuperior, quia in naturalibus non datur ſcientia altior & univerſalior Metaphyſicâ, quæ propterea etiam meretur nomen primæ Philoſophię; Neque foret inferior, quia nulla ſcientia inferior conſiderat ens ſecundum communem & univerſalem rationem entis, ſed ſolum ſub ratione particulari, ſicut Phyſica contemplatur ens quatenus mobile, ergo tenendum eſt quod ens ut ens ſit ſolummodo objectum Metaphyſicæ: quod tamen ita intelligendum venit, ut ratio entis ſit ratio formalis *Qua*, ipſum verò lumen metaphyſicum ſeu abſtractio ab omni materia, tam intelligibili, quam

* *in prolog. Meta.*

Digitized by Google

quam ſenſibili, ſit ratio formalis *ſub qua* attingitur ratio entis, eo modo quo potentia viſiva fertur in coloratum ſub ratione luminis tanquam ſub ratione formali *ſub qua* coloratum attingit.

2 Addimus porro ad Ens in primis, ly *reale*, ad excludendum ens quod eſt commune enti reali & rationis. Secundò ly, *per ſe*, ad excludendum ens per accidens, de quo, ut inquit Ariſt. a non poteſt dari ſcientia. Tertio, *commune finito & infinito, creato & increato*, quia Metaphyſicus non tantùm verſatur circa ens prædicamentale ut quidam arbittantur, ſed etiam circa quodlibet ens reale, abſtrahendo ab hoc, quod ſit prædicamentale, vel non.

RESOLVTIO II.

Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa.

3 R*Ectè autem ſe habet Philoſophiam* (adde primam) *ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe, ſpeculativa etenim finis veritas, practica autem opus.* b Ariſt. Cum ergo Metaphyſica conquieſcat in veritatis contemplatione,

a *hic li. 6. t. 8.* b *2. Met. tex. 2.*

Digitized by Google

ne, neque hanc ad opus aliquod dirigat, ſimpliciter ſpeculativa, imò *omnium ſcientiarum honorabiliſſima, quia maximè divina, utpote de divinis tractans.* S. Thom. [a] dicenda eſt. Inſuper eſt maximè intelligibilis propter ſuam immaterialitatem, ſummeque appetibilis inter ſcientias reales à natura intellectuali, quatenus hæc naturaliter appetit ſcire & intelligere, tanquam propriam ſuam operationem.

Obijcies. Metaphyſica eſt ſapientia, ergo non eſt ſcientia, hæc enim ſibi repugnare videntur. *Reſp.* ſapientiam duobus modis uſurpari, *ſemel ſtrictè* pro habitu mentis diverſo ab habitu ſcientiæ, quô in ipſis primis principijs abſque rationis diſcurſu ſaltem expreſſe concluſiones cognoſcuntur, qui habitus in Angelis, & ut quidam ait, in perpaucis hominibus in Philoſophia verſatiſſimis invenitur. *Aliô modô* ſumitur pro eo ſcientiæ habitu, per quem aliquid deducitur ex primis & altiſſimis rerum principijs, & hoc poſteriori modo Metaphyſica ſapientia eſt, quia Deum & Angelos aliaque communiſſima principia, unde omnis cognitio derivatur, contemplatur; cum quo tamen ſtat eſſe ſimul ſcientiam, ſicut cum rationali, eſſe ſimul ſenſitivum.

§. 2. De

1. *Me.* .. [a] 1. *Me. l.* 32.

§. 2.

De Natura Entis.

RESOLVTIO III.

Ens non eſt univocum, neque æquivocum, ſed eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis.

4 ENs dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet nominaliter & participaliter. *Ens participialiter* eſt concretum ab exiſtentia, & derivatur, à verbo *Sum*, unde idem eſt quod exiſtens. *Ens nominaliter* ſumptum idem eſt quod eſſentia, quâ ratione dividitur in decem prædicamenta, quia ens exiſtens non competit omni rei contentæ in prædicamento, nam ens reale & quoad eſſentialia completum, nec tamen productum extra ſuas cauſas, eſt verè in prædicamento, etſi de facto nullam habeat exiſtentiam.

5 *In præſenti* ergo loquimur de ente nominaliter ſumpto, dicimuſque inprimis, illud non eſſe univocum, quia in ſubſtantia, quæ eſt unum ex inferioribus entis, continetur aliquis

dus, ſcilicet, eſſe per ſe, qui non continetur in accidentibus; & è contra in accidentibus continetur aliquis gradus, ſcilicet, eſſe in alio, qui non continetur in ſubſtantia: atqui eſt contra rationem naturæ univocæ ſic diviſim contineri in ſuis inferioribus, unde quia natura animalis univocè prædicatur de ſuis inferioribus, fit quod nullus gradus animalis continetur in homine, qui non etiam contineatur in equo. *Secundò aſſerimus*, Ens neque eſſe æquivocum, quia inter ęquivoca non attenditur ordo prioris & poſterioris ſecundùm nomen æquivocum; ſed inter ſubſtantiam & accidens in ratione entis invenitur talis ordo, nam accidens definitur per ordinem ad ſubſtantiam, quatenus totum ejus eſſe eſt ineſſe ſubſtantiæ. *Concludimus ergo tertio*, illud eſſe analogum. Nam analoga ſunt quorum nomen commune ratio verò ſignificata per illud nomen partim eſt eadem partim diverſa, ſed ens dicit nomen commune ſubſtantiæ & accidenti, rationem verò partim eandem partim diverſam: eandem, ſecundùm proportionem, ſicut enim ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita ſe habet accidens ad ſuum eſſe; diverſam verò, quia ens in ſubſtantia eſt ens per ſe, in accidente autem eſt ens in alio, ergo.

Dicis

Digitized by Google

6 *Dices.* Iſta diverſitas quæ per nomen ens in ſua ratione ſignificata importatur, non impedit univocationem, quia etiam animal diverſimodè participatur à ſuis inferioribus, & tamen eſt univocum, ergo etiam ens erit univocum. *Reſp.* admittendo quod diverſitas quæ reperitur in inferioribus animalis non impediat univocationem, quia illa ſe tantum tenet ex parte differentiarum contrahentium, non verò ex parte communis rationis animalis, quatenus dicit vivens ſenſibile in qua inferiora animalis conveniunt: at verò diverſitas, quæ eſt in inferioribus entis, tenet ſe ex parte communis rationis entis, & ideo fundat analogiam & tollit univocationem.

RESOLVTIO IV.

Enti non correſpondet in intellectu unus conceptus, & diſtinctus, ſed tantùm imperfectus & confuſus.

7 DVplex eſt conceptus, objectivus vnus, formalis alius, formalis alius. *Conceptus objectivus* eſt ipſa res intellecta, ipſum conceptũ formalem terminans; *conceptus verò formalis* eſt

eſt idolum quoddam ſeu imago mentis interna, quæ eſt repræſentativa rei intellectæ, & expreſſa ſimilitudo ejus, qui conceptus à Theologis vocatur Verbum: & hic iterum duplex eſt, *alius perfectus*, ſeu explicitus & diſtinctus, qui nimirum repræſentat plura convenientia ſub una aliqua ratione, quam rationem ille conceptus diſtinctè & immediatè veluti ab inferioribus præciſum repræſentat; *imperfectus* verò ſeu confuſus eſt, quô aliqua plura concipiuntur ſub aliqua ratione, quæ tamen non eſt una ſimpliciter in illis, ſed ſecundum proportioné.

8 *Dicimus ergo in* præſenti reſolutione, quod enti in intellectu noſtro non correſpondeat unus conceptus formalis ſimpliciter unus, ſed ſolùm unus ſecundum quid *Ratio eſt*. Quia conceptus ſimpliciter unus & diſtinctus debet repręſentare rem ſimpliciter unam. in qua plura conveniunt, ſed ens non ſignificat immediatè rationem aliquam ſimpliciter unam, in qua ejus inferiora, ſubſtantia, & accidens conveniant, ſed ſignificat ipſa inferiora immediatè, & per conſequens ipſe conceptus in ratione imaginis nequit eſſe ſimpliciter unus, quia res repræſentata eſt tantum una ſecundùm quid & analogicè, ergo.

RESO-

RESOLVTIO V.

Neque etiam dicit ens conceptum aliquem obiectivum prçciſum à ſuis inferioribus, ſed immediatè ſignificat ſua inferiora ſecundùm quod proportionabiliter ſunt eadem.

9 VOlumus dicere, quod ens non ſignificet immediatè aliquem gradum ſeu rationem communem à ſuis inferioribus, ſubſtantia ſcilicet & accidenti diſtinctam & abſtractam, ſicut. V. g· animal ſignificat aliquam rationem communem homini & bruto, ſed quod ſignificet immediatè ſua inferiora, ut proportionabiliter ad invicem ſeſe habentia. *Ratio eſt*. Quia omnis gradus verè communis & potentialis debet excludere illa, per quę determinabilis eſt, ſicut animal excludit ſuas differentias ſpecificas, nec eſt incluſum in ultimis differentijs hominis & brutorum, ſed ens non excludit modos differentiales ſubſtantię & accidentis per quos determinatur, ſed potius clauditur & imbibitur intrinſecè in illis, cũ nil poſſit concipi niſi ſub ratione entis, ergo.

10 Ep

10 *Et hinc eſt*, ens eô modô abſtrahere ab inferioribus, quô modô ab illis contrahitur ad ſua inferiora, certum autem eſt, nihil enti ſuperaddi, dum contrahitur ad ſua inferiora, quod ſit extraneum naturæ entis, ſicut individua addunt ſpeciebus differentias individuales, quæ ſunt extra rationem ſpeciei, ſed ens ſemper claudit ipſa ſua inferiora, ut proinde etiam non dicatur proprie contrahi per ſua inferiora, ſed ſecundum quid tantùm, per hoc ſcilicet, quod ſubſtantia & accidens exprimant modos illius entis, qui ſunt, eſſe per ſe, & eſſe in alio, qui nomine proprio entis non exprimuntur, quia ſolum implicite & confuſè importat proprias rationes inferiorum.

11 *Nec putandum eſt*, conceptum objectivum entis diſtingui à conceptu objectivo ſubſtantiæ & accidentis ſimpliciter, ſed ſolum diſtinguitur diſtinctione ſecundum quid & imperfecta, hoc eſt, penes ſignificatum implicitum & explicitum, licet enim ens non dicat explicitè Eſſe per ſe, & eſſe in alio, dicit tamen & claudit iſta implicitè, non in potentia ſolùm, ſicut animal ſuas claudit differentias ſed in actu confuſo, à quibus modis eſſendi non poteſt præſcindi conceptus entis perfectus & adæquatus.

§. 3. De

§. 3.

De Proprietatibus Entis.

RESOLVTIO VI.

Ens quod eſt obiectum Metaphyſices, obtinet veras aliquas & legitimas proprietates, non quidem reales, ſed demonſtrabiles ſolùm de illo.

12 DVplices ſunt proprietates rerum, *Aliæ* ſunt & dicuntur ſolum demonſtrabiles de re, quarum ſubjectum eſt quidem prius conceptibile, ſed tamen re non differt à ſuis proprietatibus: *Aliæ* verò ſunt demonſtrabiles & reales ſimul, quarum videlicet ſubjectum non ſolum prius eſt conceptibile, ſed inſuper eſt principium earum, à quo proinde paſſiones realiter dimanant, ſicut riſibilitas ab homine: *Prioris* generis proprietates etiam competunt enti, quod enim conceditur objectis omnium aliarum ſcientiarum, id minimè denegandum eſt objecto ſcientiæ præſtantiſſimæ, qualis eſt Meta-

ſpecies impreſſas, etſi deinde ijs informatus activè concurrat ad intellectionem. *Diſtinguuntur* porrò iſti intellectus inter ſe realiter, quia habent etiam objecta inter ſe realiter diſtincta, nam objectum intellectus agentis eſt intelligibile, quatenus ex intelligibili in potentia faciendum eſt intelligibile in actu, objectum verò intellectus poſſibilis eſt idem intelligibile, ut jam mediante ſpecie eſt intelligibile in actu.

RESOLVTIO XXVII.

Objectum adæquatum intellectus humani eſt ens in tota ſua latitudine, objectum verò connaturale & proportionatum ejuſdem pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis.

359 DVplex ſolet aſſignari objectum intellectus noſtri, *Vnum adæquatum* quod recipit intellectus tam intra quam extra corpus, & hoc dicimus eſſe ens in tota ſua latitudine, prout ſub ſe comprehendit tam ſupernaturalia, quàm naturalia, ſiquidem ens naturale non adæquat intellectum creatum: *Aliud eſt* conaturale & proportionatum intellectus pro ſtatu viæ, & hoc

hoc dicimus eſſe quidditatem rei materialis, hęc enim eſt, quam intellectus agens abſtrahit à conditionibus individuantibus, facitque eam intelligibilem in actu, adeóque proportionatam, ut de ea intellectus poſſibilis conceptum formalem & ſpeciem expreſſam formare poſſit.

RESOLVTIO XXVIII.

Intellectio quæ eſt propria actio intellectus poſſibilis, diſtinguitur realiter tanquam res à re à ſpecie expreſſa ſeu verbo mentis.

360 QVamvis verbum mentis ordinariè fiat cum intellectione, *nihilominus* ſentimus ea realiter inter ſe diſtingui, quia intellectio non eſt pura cauſalitas, ſicut actio de prædicamento actionis, quæ à termino ſuo realiter entitativè non diſtinguitur, ut in tertio phyſic. [a] diximus, ſed eſt qualitas ipſius operantis, & verbum mentis etiam eſt alia qualitas, quia eſt imago expreſſa, in qua res intellecta objectivè ſeu repræſentativè continetur. *Præterea*, Intellectio poteſt quandoque eſſe ſine verbo, cum productio verbi non ſit de eſſentia intellectionis, quę præcisè reſpicit objectum ut intelligibili-

[a] *reſol. 52.* ter

ter attingendum, ergo realiter inter ſe diſtinguuntur, ſiquidem realis ſeparatio aliquorum evidens ſignum eſt realis diſtinctionis: quare producere verbum ſolòm convenit intellectioni ut dictio eſt, hæc enim ex natura ſua reſpicit habitudinem productivi.

RESOLVTIO XXIX.

Datur etiam in homine memoria quædam intellectiva, ſolâ ratione diſtincta ab intellectu poſſibili.

361 SEcundum ſedem inter rationalis animæ potentias occupat *Memoria*, cujus eſt præterita cognoſcere, non quidem directè, ſed ſaltem indirectè & per reflexionem, cujus munus eſt conſervare ſpecies immateriales, nec tamen realiter diſtinguitur ab intellectu, ut docet S. T. [a] *Ratio eſt.* Quia diſtinctio potentiarum deſumitur ex ratione formali, quâ reſpiciunt ſua objecta, & non ex modo accidental ſed tam memoria quam intellectus reſpiciun ſuum objectum ſub eadem formali ratior entis, & ſolum in hoc differunt, quod mem

a 1. p. 79. a. 7.

I

ria tanquam theſaurus ſpecierum intelligibilium eas conſervet, intellectus autem poſſibilis eas recipiat, ergo.

Nec officit, quod communiter SS. PP. & Theologi tres potentias rationales agnoſcant & ponant, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, non enim volunt ponere diſtinctionem memoriæ ab intellectu ex parte potentiarum, ſed ſolum ex parte actuum, ad eum modũ quo ſupra in Philoſophia Rationali. [a] diximus diſtingui Logicam docentem & utentem.

RESOLVTIO XXX.

Tertia anima rationalis potentia eſt voluntas, quæ ſic deſcribitur. Eſt appetitus liberè tendens in bonum, & fugiens malum à ratione appræhenſum.

362 APpetitus generatim loquendo ſignificat inclinationem in rem convenientem, dividitur communiter in naturalem ſeu innatum, & in elicitum, de quo diximus in Philoſophia Naturali [b] Appetitus elicitus iterum eſt duplex, alius animalis, qui ſequitur bo-

[a] *reſol.* 4. [b] *part.* 1. §. 3.

bonum per ſenſum apprehenſum, alius verò rationalis, qui ſequitur bonum per intellectũ præconceptum, & hic voluntas dicitur, per quam nos experimur appetere ea quæ ſenſu cognoſci non poſſunt, uti ſunt media honeſta relata in ſuum debitũ finem, item ſpiritualia &c. *Differt autem* volũtas ab intellectu inprimis in eo, quod voluntas objectum ſuum non trahat ad ſe per ſimilitudinẽ, ſicut intellectus. *Secundò*, quia intellectus eſt altior & nobilior potẽtia voluntate, quod patet *Tum* ex objecto, *Tum* ex modo operandi intellectus, nã objectũ intellectus eſt ſimplicius, magiſq; abſtractũ, quàm objectum volũtatis, *Deinde* intellectus nõ indiget aliâ potentiâ, quæ ei objectũ præſens faciat, quia illud ſibi ipſi per propriam operationem præſentat; Voluntas autem cum ſit potentia cæca, objectum ſibi præſens facere non poteſt, ſed tantùm in objectum ab intellectu ſibi præſentatum fertur, qui modus operandi eſt longe imperfectior, quam modus operandi intellectus.

Explicit tertia pars Philoſophiæ Naturalis, ad laudem SS. Trinitatis, ad cujus imaginem creata eſt anima rationalis cum intellectu, memoria & voluntate, faxit Deus, qui eam creavit, ut à prototypo ſuo nunquam diſcordet, ſed per omnia eidem conformetur.

PHI-

PHILOSOPHIÆ TRANSNATVRALIS

Hoc eſt

METAPHYSICÆ COMPENDIOSA TRACTATIO.

Complectitur earum difficultatum quæ paſſim hoc tempore in Methaphyſica tractari ſolent, reſolutiones.

§. I.

In quo proœmialia expediuntur.

RESOLVTIO I.

Ens ut ens eſt objectum Metaphiſicæ. a

b MEtaphyſicæ objectum etſi diverſi diverſum aſſignent, nos tamen aliud

b S. T. 3. met. lect. 6.

non ponimus niſi, *Ens reale per ſe, commune finito & infinito, creato & increato*, idque adæquatum ejus objectum agnoſcimus. Colligitur ex S. Th. ubi ait. *Metaphyſica conſiderat ut ſubjectum ipſum ſolum ens commune, hoc enim eſt ſubjectum in ſcientia, cujus cauſas & paſſiones quærimus.* Ad quæ verba ita placet ſubſumere, ſed non eſt alia ſcientia, quæ inquirendis & inveſtigandis paſſionibus & cauſis entis occupetur, niſi ſola Metaphyſica, ergo ens ut ens erit ejus objectum. *Minor ſubſumpta probatur.* Nam illa ſcientia, Vel eſſet ſuperior, vel inferior, non eſſet ſuperior, quia in naturalibus non datur ſcientia altior & univerſalior Metaphyſicâ, quæ propterea etiam meretur nomen primæ Philoſophię; Neque foret inferior, quia nulla ſcientia inferior conſiderat ens ſecundum communem & univerſalem rationem entis, ſed ſolum ſub ratione particulari, ſicut Phyſica contemplatur ens quatenus mobile, ergo tenendum eſt quod ens vt ens ſit ſolummodo objectum Metaphyſicæ: quod tamen ita intelligendum venit, ut ratio entis ſit ratio formalis *Quæ*, ipſum verò lumen metaphyſicum ſeu abſtractio ab omni materia, tam intelligibili ,quam

* *in prolog. Meta.*

quam ſenſibili, ſit ratio formalis *ſub qua* attingitur ratio entis, eo modo quo potentia viſiva fertur in coloratum ſub ratione luminis tanquam ſub ratione formali *ſub qua* coloratum attingit.

2 Addimus porro ad Ens in primis, ly *reale*, ad excludendum ens quod eſt commune enti reali & rationis. Secundò ly, *per ſe*, ad excludendum ens per accidens, de quo, ut inquit Ariſt. a non poteſt dari ſcientia. Tertio, *commune finito & infinito, creato & increato*, quia Metaphyſicus non tantùm verſatur circa ens prædicamentale ut quidam arbitrantur, ſed etiam circa quodlibet ens reale, abſtrahendo ab hoc, quod ſit prædicamentale, vel non.

RESOLVTIO II.

Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa.

3 Rectè autem *ſe habet Philoſophiam* (adde primam) *ſcientiam veritatis contemplatricem appellaſſe, ſpeculativæ etenim finis veritas, practicæ autem opus.* b Ariſt. Cum ergo Metaphyſica conquieſcat in veritatis contemplatione,

a *hic li. 6. t. 8.* b *2. Met. tex. 2.*

ne, neque hanc ad opus aliquod dirigat, ſimpliciter ſpeculativa, imò *omnium ſcientiarum honorabiliſſima, quia maximè divina, utpote de divinis tractans.* S. Thom. [a] dicenda eſt. Inſuper eſt maximè intelligibilis propter ſuam immaterialitatem, ſummeque appetibilis inter ſcientias reales à natura intellectuali, quatenus hæc naturaliter appetit ſcire & intelligere, tanquam propriam ſuam operationem.

Obijcies. Metaphyſica eſt ſapientia, ergo non eſt ſcientia, hæc enim ſibi repugnare videntur. *Reſp.* ſapientiam duobus modis uſurpari, *ſemel ſtrictè* pro habitu mentis diverſo ab habitu ſcientiæ, quô in ipſis primis principijs abſque rationis diſcurſu ſaltem expreſſe concluſiones cognoſcuntur, qui habitus in Angelis, & ut quidam ait, in perpaucis hominibus in Philoſophia verſatiſſimis invenitur. *Aliô modô* ſumitur pro eo ſcientiæ habitu, per quem aliquid deducitur ex primis & altiſſimis rerum principijs, & hoc poſteriori modo Metaphyſica ſapientia eſt, quia Deum & Angelos aliaque communiſſima principia, unde omnis cognitio derivatur, contemplatur; cum quo tamen ſtat eſſe ſimul ſcientiam, ſicut cum rationali, eſſe ſimul ſenſitivum.

§. 2. De

[a] 1. *Me. l.* 3.

§. 2.

De Natura Entis.

RESOLVTIO III.

Ens non eſt univocum, neque æquivocum, ſed eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis.

4 ENs dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet nominaliter & participaliter. *Ens participialiter* eſt concretum ab exiſtentia, & derivatur, à verbo *Sum*, unde idem eſt quod exiſtens. *Ens nominaliter* ſumptum idem eſt quod eſſentia, quâ ratione dividitur in decem prædicamenta, quia ens exiſtens non competit omni rei contentæ in prædicamento, nam ens reale & quoad eſſentialia completum, nec tamen productum extra ſuas cauſas, eſt verè in prædicamento, etſi de facto nullam habeat exiſtentiam.

5 *In præſenti* ergo loquimur de ente nominaliter ſumpto, dicimuſque inprimis, illud non eſſe univocum, quia in ſubſtantia, quæ eſt unum ex inferioribus entis, continetur aliquis

dus, ſcilicet, eſſe per ſe, qui non continetur in accidentibus; & è contra in accidentibus continetur aliquis gradus, ſcilicet, eſſe in alio, qui non continetur in ſubſtantia: atqui eſt contra rationem naturæ univocæ ſic diviſim contineri in ſuis inferioribus, unde quia natura animalis univocè prædicatur de ſuis inferioribus, fit quod nullus gradus animalis continetur in homine, qui non etiam contineatur in equo. *Secundò aſſerimus*, Ens neque eſſe æquivocum, quia inter æquivoca non attenditur ordo prioris & poſterioris ſecundùm nomen æquivocum; ſed inter ſubſtantiam & accidens in ratione entis invenitur talis ordo, nam accidens definitur per ordinem ad ſubſtantiam, quatenus totum ejus eſſe eſt ineſſe ſubſtantiæ. *Concludimus ergo tertio*, illud eſſe analogum. Nam analoga ſunt quorum nomen commune ratio verò ſignificata per illud nomen partim eſt eadem partim diverſa, ſed ens dicit nomen commune ſubſtantiæ & accidenti, rationem verò partim eandem partim diverſam: eandem, ſecundùm proportionem, ſicut enim ſe habet ſubſtantia ad ſuum eſſe, ita ſe habet accidens ad ſuum eſſe; diverſam verò, quia ens in ſubſtantia eſt ens per ſe, in accidente autem eſt ens in alio, ergo.

6 *Dices*

6 *Dices*. Iſta diverſitas quæ per nomen ens in ſua ratione ſignificata importatur, non impedit univocationem, quia etiam animal diverſimodè participatur à ſuis inferioribus, & tamen eſt univocum, ergo etiam ens erit univocum. *Reſp.* admittendo quod diverſitas quæ reperitur in inferioribus animalis non impediat univocationem, quia illa ſe tantum tenet ex parte differentiarum contrahentium, non verò ex parte communis rationis animalis, quatenus dicit vivens ſenſibile in qua inferiora animalis conveniunt: at verò diverſitas, quæ eſt in inferioribus entis, tenet ſe ex parte communis rationis entis, & ideo fundat analogiam & tollit univocationem.

RESOLVTIO IV.

Enti non correſpondet in intellectu unus conceptus, & diſtinctus, ſed tantùm imperfectus & confuſus.

7 DVplex eſt conceptus, objectivus vnus, formalis alius, formalis alius. *Conceptus objectivus* eſt ipſa res intellecta, ipſum conceptū formalem terminans; *conceptus verò formalis* eſt

eſt idolum quoddam ſeu imago mentis interna, quæ eſt repræſentativa rei intellectæ, & expreſſa ſimilitudo ejus, qui conceptus à Theologis vocatur Verbum: & hic iterum duplex eſt, *alius perfectus*, ſeu explicitus & diſtinctus, qui nimirum repræſentat plura convenientia ſub una aliqua ratione, quam rationem ille conceptus diſtinctè & immediatè veluti ab inferioribus præciſum repræſentat; *imperfectus* verò ſeu confuſus eſt, quô aliqua plura concipiuntur ſub aliqua ratione, quæ tamen non eſt una ſimpliciter in illis, ſed ſecundum proportionē.

8 *Dicimus ergo in* præſenti reſolutione, quod enti in intellectu noſtro non correſpondeat unus conceptus formalis ſimpliciter unus, ſed ſolùm unus ſecundum quid *Ratio eſt.* Quia conceptus ſimpliciter unus & diſtinctus debet repræſentare rem ſimpliciter unam. in qua plura conveniunt, ſed ens non ſignificat immediatè rationem aliquam ſimpliciter unam, in qua ejus inferiora, ſubſtantia, & accidens conveniant, ſed ſignificat ipſa inferiora immediatè, & per conſequens ipſe conceptus in ratione imaginis nequit eſſe ſimpliciter unus, quia res repræſentata eſt tantum una ſecundùm quid & analogicè, ergo.

RESO-

RESOLVTIO V.

Neque etiam dicit ens conceptum aliquem obiectivum præciſum à ſuis inferioribus, ſed immediatè ſignificat ſua inferiora ſecundùm quod proportionabiliter ſunt eadem.

9 VOlumus dicere, quod ens non ſignificet immediatè aliquem gradum ſeu rationem communem à ſuis inferioribus, ſubſtantia ſcilicet & accidenti diſtinctam & abſtractam, ſicut. V. g. animal ſignificat aliquam rationem communem homini & bruto, ſed quod ſignificet immediatè ſua inferiora, ut proportionabiliter ad invicem ſeſe habentia. *Ratio eſt.* Quia omnis gradus verè communis & potentialis debet excludere illa, per quę determinabilis eſt, ſicut animal excludit ſuas differentias ſpecificas, nec eſt incluſum in ultimis differentijs hominis & brutorum, ſed ens non excludit modos differentiales ſubſtantię & accidentis per quos determinatur, ſed potius clauditur & imbibitur intrinſecè in illis, cũ nil poſſit concipi niſi ſub ratione entis, ergo.

10 Et

10 *Et hinc eſt*; ens eô modô abſtrahere ab inferioribus, quô modô ab illis contrahitur ad ſua inferiora, certum autem eſt, nihil enti ſuperaddi, dum contrahitur ad ſua inferiora, quod ſit extraneum naturæ entis, ſicut individua addunt ſpeciebus differentias individuales, quæ ſunt extra rationem ſpeciei, ſed ens ſemper claudit ipſa ſua inferiora, ut proinde etiam non dicatur proprie contrahi per ſua inferiora, ſed ſecundum quid tantùm, per hoc ſcilicet, quod ſubſtantia & accidens exprimant modos illius entis, qui ſunt, eſſe per ſe, & eſſe in alio, qui nomine proprio entis non exprimuntur, quia ſolum implicite & confuſè importat proprias rationes inferiorum.

11 *Nec putandum eſt*. conceptum objectivum entis diſtingui à conceptu objectivo ſubſtantiæ & accidentis ſimpliciter, ſed ſolum diſtinguitur diſtinctione ſecundum quid & imperfecta, hoc eſt, penes ſignificatum implicitum & explicitum, licet enim ens non dicat explicitè Eſſe per ſe, & eſſe in alio, dicit tamen & claudit iſta implicitè, non in potentia ſolùm, ſicut animal ſuas claudit differentias ſed in actu confuſo, à quibus modis eſſendi non poteſt præſcindi conceptus entis perfectus & adæquatus.

§. 3. De

§. 3.

De Proprietatibus Entis.

RESOLVTIO VI.

Ens quod eſt obiectum Metaphyſices, obtinet veras aliquas & legitimas proprietates, non quidem reales, ſed demonſtrabiles ſolùm de illo.

12 DVplices ſunt proprietates rerum, *Aliæ* ſunt & dicuntur ſolum demonſtrabiles de re, quarum ſubjectum eſt quidem prius conceptibile, ſed tamen re non differt à ſuis proprietatibus: *Aliæ* verò ſunt demonſtrabiles & reales ſimul, quarum videlicet ſubjectum non ſolum prius eſt conceptibile, ſed inſuper eſt principium earum, à quo proinde paſſiones realiter dimanant, ſicut riſibilitas ab homine: *Prioris* generis proprietates etiam competunt enti, quod enim conceditur objectis omnium aliarum ſcientiarum, id minimè denegandum eſt objecto ſcientiæ præſtantiſſimæ, qualis eſt Meta-

Digitized by Google

RESOLVTIO VII.

Vnum trãſcendẽtale, quod eſt proprietas entis, materialiter ſignificat naturam aliquam poſitivam, formaliter verò importat negationem diviſionis.

14 CVm *Vnum* ſit nomen concretum, ideò duo ſignificata importat, unum materiale, alterum formale; pro materiali ſignificat ipſam entitatem, quæ eſt quid poſitivum, ratione cujus *Vnum* convenit cum aliis proprietatibus entis; pro formali verò ſignificat negationem diviſionis, quemadmodum album pro materiali ſignificat ſubjectum, pro formali verò ipſam albedinem, unde S. T. [a] ait. *Dicendum quod unum non addit ſuper ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diviſionis, unum enim nihil aliud ſignificat quam ens indiviſum.* Accedit quoque ratio. Quia per diviſionem unum ens fit plura, ergo nulla alia ratione melius concipi poteſt ens eſſe unum, quam per negationem diviſionis. *Inde* ergo colligitur, quod ratiò unius non ſit ſola entitas, neque ſola

[a] 1. p. q. 11. a. 1.

la indiviſio ſine entitate, ſic enim eſſet nihil, quia quod non claudit entitatem, eſt nihil: quare adæquatè conſiderando *Vnum*, erit entitas indiviſa, ita ut ratione entitatis fiat extra nihil, & ratione indiviſionis diſtinguatur à vero, & bono.

RESOLVTIO VIII.

Veritas tranſcendentalis non conſiſtit preciſè in ipſa entitate rei, ſed ſuperaddit ei quandam habitudinem & relationem intrinſecam ad intellectum.

15 TRriplex datur genus Veritatis *Primum eſt* in ſignificando, quod potiſſimum reperitur in vocibus & ſcripturis. *Alterum* genus veritatis eſt in repræſentando, & dicitur Veritas formalis ſive cognitionis. *Tertium in* eſſendo, & dicitur Veritas in eſſendo, ſive etiam Veritas tranſcendentalis, quæ eſt paſſio & proprietas entis, cujus formalis ratio præter entitatem claudit etiam intrinſecum reſpectum ad intellectum, *ſicut enim bonum* ait S. Thom. a *habet rationem appetibilis, ita verum habet ordinem*

a 1. p. q. 16. a. 3.

Digitized by Google

dinem ad cognitionem. Et ratio eſt. Quia veritas tranſcendentalis definitur, quod ſit *adæquatio rei ad intellectum*, ſed in hâc definitione eſſentialiter clauditur habitudo quædam intrinſeca ad intellectum, ergo Veritas ſuperaddit entitati habitudinem quandam & relationem, intrinſecam ad intellectum, nil enim apparet quid aliud ſuperaddere poſſit, ut diſtinguatur ab alijs entis paſſionibus. *Vnde* colligitur, quemadmodum unum ex duplici ratione conſurgit, ex entitate videlicet & indiviſione, ita etiam Veritas adæquatè conſurgit ex entitate & habitudine ad intellectum, quatenus eidem conformatur & adæquatur.

16 *Si autem inquiras*, ſitne iſta conformitas rei ad intellectum petenda ex intellectu divino, an verò creato? Reſp quod ſit petenda ex adæquatione ad intellectum divinum; quare res tunc ſunt veræ (veritate intellige tranſcendentali) quando ſunt ſimiles & conformes exemplaribus & ideis divinis, quia videlicet tales ſunt in ſe, quales ſunt, ut repræſentantur in mente divina. Hinc S. Th.[a] ait. *Res naturales dicuntur eſſe vera, ſecundùm quod aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum, quæ ſunt in mente divina*

a 1. p. q. 16. a. 1.

dicitur enim verus lapis, quia aſſequitur propriam lapidis naturam ſecundùm præconceptionem intellectus divini. Ratio etiam id ſuadet. Quia Veritas rerum debet adæquari ſuæ propriæ menſuræ, ſed ſola exemplaria & ideæ mentis divinæ ſunt propria & prima menſura omnium rerum creatarum, ergo inde veritas earum depromenda eſt.

17 *Nec inde* ſequitur unam rem non eſſe veriorem altera, eò quod omnes ex æquo & pariter referantur ad intellectum divinum; *Imò vero* ſtat adhuc inæqualitas veritatis in rebus, ſi illæ inter ſe comparentur, ſic enim una verior eſt alterâ, quæ plus entitatis habet, magiſque ad naturam divinam accedit.

RESOLVTIO IX.

Bonum quod eſt paſſio entis, non addit ſuper ipſum ens aliquid poſitivum diſtinctum ab ente, ſed ſolummodo addit habitudinem aliquam in ratione perfecti ad appetitum.

18 BOnum definitur ab Ariſt. a eſſe id, *quod omnia appetunt.* Quæ definitio conve-

a *l. 1. Eth. c. 1.*

convenit ſolummodo bono quod eſt paſſio entis, aut à parte rei exiſtentis, aut dicentis intrinſecam habitudinem ad exiſtentiam, quod inſinuat S. Th. [a] inquiens. *Vnumquodque eſt appetibile ſecundùm quod eſt perfectum, in tantum autem eſt unumquodque perfectum, in quantum eſt actu.* Igitur nulla res ſine exiſtentia aut ſaltem habitudine ad illam eſt apperibilis, quia appetitus eſt tantùm rerum poſſibilium; cum quo tamen adhuc cohæret, quod bonum non addat aliquid poſitivum ſuper ens, *quia non poteſt eſſe, quod ſupra ens univerſale aliquid addat, quod ſit extra eſſentiam entis univerſalis.* S. Th. [b] addit tamen aliquid enti, in quantum exprimit aliquem modum aut habitudinem, quæ nomine entis non exprimitur, hęcque nihil aliud eſt, quam convenientia, quam dicit ad apppetitum: Vnde S. T. [c] inquit, quod *ratio boni in hoc conſiſtat, quod aliquid ſit perfectivum alterius per modum finis.*

Et quamvis bonum videatur latius patere, quam ens, uti conſtat in ijs qui appetunt non eſſe, hoc tamen ſolum verum habet de bono per accidens, quod in ſeipſo bonum non eſt, ſed ratione alterius, & hoc latius patere poteſt,

[a] *1. p. q. 5. a. 1.* [b] *de ve. q. 21. a. 1.* [c] *loc. cit. a. 2.*

Digitized by Google

quam ens, quod verò in ſeipſo bonum eſt, non latius patet ente, ſed convertitur cum ente.

§. 4.

De Eſſentia, Subſiſtentia & Exiſtentia.

RESOLVTIO X.

Eſſentia ſecundùm quod eſt conſiderationis Metaphyſicæ, definitur eſſe id quod per ſe & primò de re dicitur. Ariſt. a

29 EXplicatur definitio Eſſentiæ. Dicitur *per ſe*, quia eſſentia non debet accidentaliter prædicari, eſt enim id, per quod reſpondemus ad interrogationem factam de re aliqua, quid ſit, ad quam malè reſponderetur per attributa accidentaria. Dicitur, *primò*, ad excludendas proprietates ab eſſentia, licet enim hæ etiam prædicentur per ſe de eſſentijs, non tamen prædicantur per ſe primò, ſed per ſe ſecundò, unde ſpectant ad ſecundum modum dicendi per ſe. b Nec

a *7. Met. c. 4* b *1. p. q. 29. a. 2. ad 3.*

Digitized by Google

Nec obſtat D. Th. dum eſſentiam hoc modo videtur definire, Eſſe *illud quod ſignificatur per eſſentialem definitionem.* Hæc enim definitio non videtur differre à noſtra, quia id quod per ſe primò de re dicitur, non niſi per eſſentialem definitionem fieri ſolet: quamvis etiam magis ſpectet hæc ſecunda definitio ad Logicum, quam ad Metaphyſicum, illius namque eſt agere de rebus, ut vocibus ſignificantur.

RESOLVTIO XI.

Suppoſitum **eſt ſubſtantia completa, individua, ſubſiſtens incommunicabiliter.**

20 SVppoſitum nihil aliud ſignificat, quam ſingulare in genere ſubſtantiæ, quod dicitur hypoſtaſis, vel perſona, ſi fuerit in natura intellectuali, cujus definitionem ex Cajetano allatam nunc lubet explicare. Dicitur, *ſubſtantia*, ad excludendum accidentia, quæ non poſſunt ſupponi, eò quod ſuſtententur in ſubjecto, ſuppoſitum autem non indiget fulcimento ſed ſuſtentatur in ſemetipſo. Dicitur, *completa*, ad excludendum partes ſubſtantiæ, hinc S. D. [a] ait, *non qualibet ſubſtantia partialis*

[a] 1. *p. q.* 75. *a.* 4. *ad.* 2.

lis eſt, hypoſtaſis vel perſona, ſed qua habet completam naturam ſpeciei, unde manus vel pes non poteſt dici hypoſtaſis vel perſona, & ſimiliter nec anima, cum ſit pars ſpeciei humanæ. Dicitur, *individua*, ad excludendas naturas univerſales de prædicamento ſubſtantiæ. Dicitur, *ſubſiſtens*, ad excludendum à ratione ſuppoſiti naturam Chriſti, quæ ſe poſitâ ſubſiſtenti à Verbi, quâ ſubſiſtit, licet omnes priores conditiones ſuppoſiti obtineat, nondum tamen eſt ſuppoſitum. Denique dicitur, *incommunicabiliter*, non quidem naturis, ſed ſuppoſitis, nam ajente S. Thom. a *Perſona eſt communicabilis pluribus naturis. Perſona V. g. Verbi, divinæ & humanæ naturæ.* Non differt autem ſuppoſitum & perſona, niſi quod perſonalitas in determinata natura, videlicet, intellectuali inveniatur.

21 *Eſt porrò obſervandum*, ad rationem ſuppoſiti ſtrictè accepti, prout idem ſonat quod hypoſtaſis vel perſona, non ſufficere, quod ſit ſingulare quoddam in genere ſubſtantiæ, quomodo etiam humanitas Chriſti antecedenter ad aſſumptionem Verbi intelligitur ſingularis & individua; ſed inſuper requiritur, ut conſtituatur per ſuppoſitalitatem, perſonalitatem, aut ſub-

a *1. p. q. 3. A. 1. ad 2.*

ſubſiſtentiam, quæ omnia pro eodem ſumuntur, nihilque aliud ſunt, quam terminus quidam naturę, qui conſtituit individuam ſeu ſingularem naturam in eſſe ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentis formaliter, quod ut melius intelligatur, ſit.

RESOLVTIO XII.

Subſiſtentia ſeu modus conſtitutivus ſuppoſiti, eſt terminus purus, & ultimus naturæ ſubſtantialis.

22 Dicitur, *terminus*, quia naturam perſonari nihil aliud eſt, quàm eam terminari; natura enim ſubſtantialis, quantumvis conſideretur ut perfecta in ſpecie, & per principia individuantia ſingulatizetur, ſi tamen eam abſtrahamus à perſonatione, adhuc manet ultra perſonabilis per ſubſiſtentiam; quod in humanitate Chriſti eſt apertiſſimum, illa namque eſt hæc natura ſingularis, & tamen niſi per divinum ſuppoſitum eſſet ſufficientiſſimè terminata, adhuc foret perſonabilis reſpectu propriæ perſonalitatis. Dicitur, *terminus purus*, quia ſubſiſtentia vel perſonalitas terminando naturam nullam omnino exercet cauſalitatem, ſed

dicit ſolam habitudinem termini, cujus ut ſic eſt purè terminare, quemadmodum punctum reſpectu lineæ nullam cauſalitatem exercet, ſed ſolùm habet rationem terminantis. Dicitur, *ultimus*, *Tum* quia natura individua non eſt ultimò terminata, niſi perſonetur, *Tum* quia poſtquam ſemel perſonata eſt, non eſt amplius ſaltem viribus naturæ terminabilis, quandoquidem jam ſupremum ſumpſit complementum, quod natura ſingularis ante omnem exiſtentiæ conſiderationem ſibi intrinſecè vendicare poteſt, ratione cujus redditur capax exiſtentiæ, ut agat & patiatur.

RESOLVTIO XIII.

Exiſtentia eſt actus, quo formaliter res primò conſtituitur extra ſuas cauſas Ariſtot. a

23 DIcitur inprimis, *Actus*, quia exiſtentia eſt id, medio quo res quæ erant in potentia revocantur ad actum, ſicut V. g. roſa in hyeme non habet actum exiſtentiæ, ſed latet in virtute terræ, ſi autem eidem in æſtate adve-

a *9. Met. c. 7.*

veniat exiſtentia, tunc eſt actu, quia iam non amplius eſt intra ſuas cauſas, ſed in ſemetipſa, & hæc exiſtentia in ratione actus convenit cum forma, differt verò ab ea, quia forma non conſtituit rem extra ſuas cauſas, ſed præbet eſſentiam, illa verò ad eſſentiam conſtitutam ſubſequitur. Dicitur autem, *quô primò res conſtituitur*, non quod exiſtentia ſit actus abſolutè primus, hoc enim convenit formæ, ſed quod ſit primus in ſuo genere, quà ratione differt ab operatione, quę eſt actus ſecundus.

24 *Hinc colligitur*, quod quamvis ex eſſentia & exiſtentia non reſultet aliquod totum, cum eſſentia cui exiſtentia ſupervenit, non ſit pars, ſed totum, nihilominus tamen adhuc intelligitur ex iis fieri compoſitio, tanquam ex eſſentia & complemento ejus, quemadmodum datur compoſitio ex re & modo ejus, ex ſubſtantia & accidente, nondum tamen natura & eſſentia, etſi totum quoddam ſit, eſt illud totum quod ex ſuperadditione exiſtentiæ reſultat, ſicut eſto homo totum quoddam ſit, non tamen eſt illud totum quod ex acceſſu accidentis reſultat.

§. 5. De

§. 5.

De diſtinctione tum ſubſiſtentiæ, tum exiſtentię ab eſſentia.

RESOLVTIO XIV.

Suppoſitum ſeu perſona dicit in ſua formali ratione aliquid poſitivum, quod diſtinguitur ab eſſentia, non ſolùm formaliter, ſed ut res à re, vel ſaltem ut modus rei à re.

25 ARbitrantur nonnulli ſuppoſitum ſeu perſonam in rebus creatis præter naturam ſingularem ex ſua formali ratione non dicere aliquid poſitivum, ſed negationem ſolum ratione incommunicabilitatis. *Verum communior Tum* Theologorum *Tum* Metaphyſicorum ſententia eſt, formalem ſuppoſiti ſeu hypoſtaſis rationem conſiſtere in realitate aliqua poſitiva naturę ſuperaddita, quæ ſit terminus & ultimum complementum naturæ, ratione cujus ſuppoſitum dicitur ſubſiſtere. Et ita manifeſtè docet Angelicus noſter Præceptor [a] in-

a 1. p. q. 30. a. 4.

qui;

quiens. *Hoc nomen perſona, non eſt nomen negationis, neque intentionis, ſed eſt nomen rei*: atqui certum eſt quod hoc nomen perſona non ſignificet directè naturam, ſed id quod naturæ ſuperadditur, ut idem S. D. innuit [a] his verbis dices, *id quod eſt homo, habet in ſe aliquid, quod nõn habet humanitas*, igitur ex mente S. Th. ſuppoſitum ſeu perſona ex ſua formali ratione dicit aliquid poſitivum. *Idipſum* docet nos myſterium Incarnationis, quatenus credimus Verbum divinum univiſſe ſibi naturam humanam, non in aliquo negativo, ſed in aliquo poſitivo, videlicet in ſua divina perſonalitate, cum ergo ea loco ſubſiſtentiæ creatæ humanam Chriſti naturam poſitivè terminet, idipſum faciet ſubſiſtentia creata in qualibet natura individualiter ſubſiſtente.

26 *Quod verò hoc* poſitivum diſtinguatur ab eſſentia, vel natura, realiter, vel ſaltem modaliter, *inde probatur*. Nam inter finitum, & infinitum, creatum, & increatum datur diſtinctio rei à re, ſed entitas ſuppoſiti, aut perſonæ Verbi divini quâ per ſe & in ſe ſubſiſtit humana Chriſti natura, eſt infinita, à qua infinitate deindè actiones Chriſti dignificantur, ut ſing.

a *ibid. a. 3.*

ſint infiniti valoris, natura verò ſuppoſitata eſt entitas finita & creata, ergo inter ea intercedit diſtinctio realis, & per conſequens inter omne aliud ſuppoſitum creatum & naturam ſuppoſitatam.

27 *Quod ut melius percipiatur*, obſervandum eſt, diſtinctionem nil aliud eſſe, quam ſeparationem unius ab alio, quę ſi fiat per opus rationis unam eandemque rem diverſimodè conſiderantis, erit diſtinctio rationis; ſi verò à parte rei unum non ſit aliud, erit diſtinctio realis: Hoc tamen non eſt ita intelligendum, ut quidam volunt, quaſi tunc ſit tantùm realis diſtinctio, quando diſtinctio verſatur inter duas res, ſeu duo entia, non item inter ens & non ens, qualis diſtinctio eſt inter viſum & cæcitatem, inter tenebras & lucem, aut etiam duo non entia, ut inter cæcitatem & ſurditatem, non, inquam, ſic eſt intelligendum, dicitur namque realis diſtinctio per comparationem ad diſtinctionem rationis, quæ ſicut non petit ſemper verſari inter entia rationis, quia etiam attributa divina ratione diſtinguuntur, quæ tamen entia rationis non ſunt, ſed maximè realia; ita etiam diſtinctio realis non ſemper petit verſari inter entia poſitivè realia, ſed ſufficit quod unum

unum à parte rei non ſit aliud, ſive ſint entia realia entitativa, ſive modalia, ſive privativa, ſive negativa. Et hac ratione dicimus verſari diſtinctionem realem inter ſubſiſtentiam & eſſentiam, non curando ad ſalvandam hanc diſtinctionem, ſitnè ſubſiſtentia entitas realis, aut negativa.

RESOLVTIO XVI.

Ratio conſtitutiva ſuppoſiti in rebus creatis diſtinguitur etiam ab actu exiſtentiæ.

28 EXiſtimant aliqui ſubſiſtentiam, quæ eſt ratio conſtitutiva ſuppoſiti, non diſtingui ab exiſtentia, niſi ſolâ ratione. Quibus tamen obſiſtit S. Th. [a] quatenus docet, *Eſſe conſequi ad hypoſtaſim tanquam ad habentem eſſe*, id autem ad quod aliud conſequitur, ſemper eſt prius illo, ſicût omne ſubjectum intelligitur prius eô, quod in tali ſubjecto recipitur, ergo & ipſum eſſe exiſtentiæ non erit ipſa ratio hypoſtaſis aut ſuppoſiti, ſed aliud conſequens ad hypoſtaſin. Id ipſum probant ſequentes rationes. I. Ratio conſtitutiva ſuppoſiti reddit naturam

[a] *3. p. q. 17. a. 2. ad 1.*

tu am omninò incommunicabilem, uti conſtat ex ejus definitione ſupra [a] allata, hoc autem non præſtat exiſtentia, uti patet in exiſtentia Dei, quæ non impedit quo minus natura divina exiſtens communicetur tribus perſonis, ergo non ſunt idem exiſtentia & ſubſiſtentia. II. Inter realem potentiam & actum realem, inter perfectibile & ultimatè perfectivum intercedit realis diſtinctio, ſed non ſolùm eſſentia, verùm etiam ſubſiſtentia in creaturis habet ſe ad exiſtentiam tanquam potentia ad actum ſuum ultimum, quo non ſolùm eſſentia, ſed etiam ſubſiſtentia ultimè & completè conſtituitur extra ſuas cauſas, ut proinde eſſentia ſit id, quô aliquid eſt, ſuppoſitum verò ſit id, quod eſt, vel quod habet eſſe, ergo idem. III. Suppoſitum conſtituit principium quod operationum, juxtâ illud receptum axioma, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, in quo differt ſuppoſitum à natura vel forma totali, quæ ſolùm eſt principium radicale, ergo hoc ipſo differt ſuppoſitum ab exiſtentia. *Antecedens* conſtat ex myſterio Incarnationis, circa quod communiter docent Theologi, quod actiones humanitatis Chriſti fuerint infiniti valoris, eò quod procedebant à ſuppoſito &

a *reſol.* 11. *n.* 20.

& perſona infinita, quæ erat principium *Quod.* *Prob. verò conſeq.* quia exiſtentia non concurrit per ſe ad hoc principium conſtituendum, ſed ſolùm ut conditio ſine qua non, ergo.

RESOLVTIO XVII.

In creatis exiſtentia realiter & à parte rei diſtinguitur ab eſſentia, ſive hac conſideretur in potentia objectiva, ſeu in ſtatu poſſibilitatis, ſive ut eſt extra illum.

29 CElebris controverſia eſt inter Metaphyſicos, qualiter exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia, Quibusdam ponentibus ſolam dinſtinctionem rationis ratiocinatæ, aliis verò diſtinctionem realem formalem inter eas. Nos verò ut ad mentem S. Th. præſentem difficultatem reſolvamus, dupliciter conſideramus eſſentiam, Vel prout eſt in potentia objectiva, ſeu in ſtatu poſſibilitatis; Vel prout eſt extra ſuas cauſas per exiſtentiam jam completa: quocunque modo conſideretur, dicimus eam realiter diſtingui ab exiſtentia, & ſoli Deo hanc prærogativam tribuimus, quod ipſius eſſen-

eſſentia non ſit in potentia ad exiſtentiam.

Et ſi quidem ſermo ſit de eſſentia in potentia objectiva, probatur noſtrum aſſertum 1. *Nam inter rem & entitatem poſitivam*, & negationem ſeu nihilum rei eſt diſtinctio realis rei à re, ſaltem æquivalenter, ſed exiſtentia in actu exercito eſt res quædam & poſitivum ens, eſſentia verò ut eſt in potentia objectiva, eſt quaſi nihilum, quia juxta S. Th. [a] *Non ſolum eſſe quod quidditati attribuitur, ſed etiam ipſa quidditas creari dicitur, quia antequam eſſe habeat, nihil eſt* (quod intellige de nihileitate in genere exiſtentiæ, ſic enim eſt ęterna) ergo eſſentia in potentia objectiva, & exiſtentia in actu exercito realiter & à parte rei diſtinguuntur. 2. *Quandocunq;* una res poteſt concipi ſub oppoſito exiſtentiæ. non eſt idem realiter cum exiſtentia, ſed quęcunque eſſentia creata poteſt intelligi ſub oppoſito exiſtentię, poſſumus enim totam eſſentiam roſæ intelligere ſub non exiſtere, quod eſt oppoſitum exiſtentiæ, ergo ſecundum hanc conſiderationem datur diſtinctio realis inter eſſentiam & exiſtentiam.

30 *Quod verò* eadē diſtinctio reperiatur inter eſſentiam & exiſtentiam, ſi illa cōſideretur

a 3. *de pot. a. 5. ad. 2.*

tur prout eſt extra ſuas cauſas, & per exiſtentiam completa vel actuata, probatur inprimis apertiſſimis verbis S. Th. [a] ita aſſerentis *Impoſſibile eſt, quod aliquid quod non eſt actus purus ſed aliquid habet de potentia admixtum, ſit ſua actualitas, unde in ſolo Deo ſua ſubſtantia eſt ſuum eſſe & ſuum agere.* Idipſum docet plurimis aliis in locis, [b] in quibus tractat de eſſe Dei & creaturarum, oſtendens in Deo non differre eſſe ab eſſentia, bene tamen in quibuſlibet creaturis, etiam angelicis.

31 *Probatur* 2. eadem pars diverſis iiſque efficacibus rationibus, quarum prima hęc eſt. Eſſentia actualis nihil aliud dicit quam prędicata quidditativa poſita extra ſtatum poſſibilitatis, exiſtentia vero dicit aliquid aliud præter hæc prædicata, ergo exiſtentia realiter & à parte rei diſtinguitur ab eſſentia. Patet *conſeq. prob. verò antec.* Nam id quod contingenter advenit eſſentię, id non eſt ipſa eſſentia, ſed aliquid aliud ab ea, ſed exiſtentia contingenter advenit eſſentiæ, & etiam contingenter de ea prædicatur, ergo eſt aliud quid ab eſſentia.

32 *Dices.* Exiſtentiam non advenire contin-

 genter

a 1. *p.* 54. *a.* 1. *in* C. b 2. *con. c.* 52. & 53. 1. *p. q.* 3. *a.* 4. *et. q.* 50. *a.* 2. *ad* 5.

genter eſſentiæ actuali, ſed eſſe de ratione ejus, licet contingenter adveniat eſſentiæ potentiali. *Sed contra efficaciter ſic inſto.* Secundum te exiſtentia contingenter advenit eſſentiæ potentiali, ergo etiam actuali. *Prob conſeq.* quia id quod eſt extra naturam & eſſentiam rei, (ut hæc eſt in potentia objectiva) eſt etiam extra naturam ejus, ut eſt in ſtatu actualitatis, quemadmodum ſicut albedo eſt extra eſſentiam hominis, (ut hæc eſt in potentia objectiva,) ita etiam eſt extra ejus naturam, ut eſt in ſtatu actualitatis; ergo ſimiliter dicendum eſt de exiſtentia reſpectu eſſentiæ, ſi enim illa ſit aliud ab eſſentia, ut hæc eſt in ſtatu poſſibilitatis, non poteſt non eſſe aliud ab ea, ut eſt in ſtatu actualitatis, & è contra, nihil enim continet eſſentia actualis, tanquam ad rationem ejus ſpectans, quod non etiam contineat eſſentia in potentia objectiva.

33 *Præterea exiſtentia* in actu non poteſt accidentaliter verificari de eſſentia merè poſſibili, de re enim poſſibili non verificatur, quod ſit extra ſuas cauſas, imò hic ſtatus eſt oppoſitus exiſtentiæ, cum ergo exiſtere in actu ſit prædicatum accidentale in creaturis, non per reſpectum ad eſſentias earum poſſibiles, erit acciden-

tale

tale reſpectu eſſentiæ actualis. non enim aliunde provenit, quod eſſentia ſit actualis, niſi per aliquid ab ea diſtinctum, quod nos dicimus eſſe exiſtentiam.

34 *Secunda ratio.* Subſiſtentia ſeu modus conſtitutivus ſuppoſiti differt realiter ab eſſentia ſeu natura, ut paulo ante [a] dictum eſt, & conſtat de humanitate Chriſti, quæ propriam ſubſiſtentiam non habet, ergo multò magis exiſtentia realiter differt ab eſſentia. *Prob. conſeq.* Nam exiſtentia eſt poſterior ſubſiſtentia, & non convenit naturæ niſi mediante ſuppoſito & perſonalitate. Antecedens eſt S. T. [b] quatenus docet, *quod eſſe conſequatur naturam, non ſicut habentem eſſe, ſed ſicut qua aliquid eſt, perſonam autem ſive hypoſtaſim conſequitur ſicut habentem eſſe*: quaſi dicat, quod natura ſit id, quo aliquid habet eſſe, ſuppoſitum verò ſit id, quod habet eſſe. *Ex quo* evidenter ſequitur, quod inter naturam & exiſtentiam mediet ſuppoſitum tanquam proprium receptivum ipſius exiſtentię, cum hæc ſit terminus ultimus naturæ ſingularis. *Confirmatur.* Nam revera datur aliquid prius exiſtentia quod denominetur exiſtens, hoc autem non eſt ipſa natura ſecundùm ſe,

[a] *reſol.* 15. [b] 3. p. q. 17. *ad* 2. *ad* 2.

ſe, hæc enim potius habet rationem *Quo* & partis, quam *Quod* & totius, erit ergo ſuppoſitum quod denominatur exiſtens, ſicque ſuppoſitum eſt prius exiſtentiâ.

35 *Quod ſi obijcias.* Exiſtere per ſe idem eſt quod ſubſiſtere, ſed exiſtentia ſubſtantiæ eſt exiſtere per ſe, ergo exiſtere & ſubſiſtere in ſubſtantia eſt unum & idem. *Reſp. diſting. maj.* Exiſtere per ſe idem eſt quod ſubſiſtere, ut ly *per ſe* diſtinguitur contra exiſtere in alio, negatur, ut ly *per ſe* accipitur pro eo quod eſt per ſe exiſtere, ſeparatim & omnibus modis incommunicabiliter, conced. Major, & eodem modô diſting. Minor, & neg. conſeq.

36 *Tertia ratio.* Exiſtentia eſt prædicatum reale & poſitivum reſpectu eſſentię, nec tamen eſt ei eſſentiale, ſed provenit planè ab agente extrinſeco, ergo reverà inter eſſentiam & exiſtentiam debet intercedere diſtinctio aliqua realis. *Antec. prob.* inprimis, quod non ſit prædicatum eſſentiale, quia non dimanat neceſſariò ab eſſentia, ſed accidentaliter ei advenit, in quo differt exiſtentia creaturæ ab exiſtentia Dei. *Probatur.* 2. *pars antec.* quia ſoli Deo convenit principaliter producere exiſtentiam, licet hic effectus in genere cauſæ diſpoſitivæ vel for-

malis

malis dependeat ab eſſentia, quomodo etiam anima rationalis in generatione hominis in genere cauſę efficientis planè ab extrinſeco, nimirum Deo provenit, quantumvis in genere cauſę diſpoſitivę etiam creatura concurrat, ergo verum eſt antecedens quoad utramque partem.

37 *Quarta ratio.* Si ſemel in natura aliqua invenitur diſtinctio realis inter eſſentiam & exiſtentiam, oportet quod in omnibus reperiatur, ſed de facto in natura accidentali reperitur talis diſtinctio, uti ex fide conſtat in ſpeciebus ſacramentalibus, quarum exiſtentia & inhærentia in ſubjecto eſt ab ipſis ſeparata, manente eſſentia, ergo oportet quod in omnibus creaturis non ſolùm accidentalibus, ſed etiam ſubſtantialibus talis diſtinctio reperiatur, non enim eſt major ratio de una atque de altera.

38 *Quinta ratio* deſumitur ex multis abſurdis. Nam inprimis ſequeretur, quod creatura exiſteret actu per ſuam eſſentiam, adeoque exiſteret eſſentialiter & neceſſariò, quod enim per eſſentiam ſuam exiſtit, neceſſario exiſtit. 2 *quod* hæc propoſitio, *creatura exiſtit, eſſet in* primo modo dicendi per ſe. 3. *Creatura* nunquam eſſet in potentia ad exiſtendum, quia nihil eſt in potentia ad ſe ipſum; ſed hæc omnia

ſunt abſurda, ergo dicendum eſt, quod à parte rei inter ſe diſtinguantur.

39 *Obiicies contra* 1. Actualis eſſentia, & eſſentia exiſtens ſunt omnino idem, ſed eſſentia à ſeipſa habet quod ſit actu, & non per aliquam entitatem ſuperadditam; ergo etiam à ſeipſa eſt exiſtens, & non per aliquod ſuperadditum. 2. *Ea* quæ non videmus inter ſe ſeparari noſſe, non diſtinguntur niſi ſolâ ratione, ſed eſſe & eſſentia nullo modo inter ſe ſeparari poſſunt, quia unum ſine alio manere non poteſt, ergo non diſtinguuntur niſi ſolâ ratione. 3. *Eſſentia* nequit eſſe ſubjectum recipiens exiſtentiam, ut nos ſupponimus, ergo identificatur cum exiſtentia, *Prob. antec.* Nam id quod eſt nihil, nequit eſſe ſubjectum recipiens aliquam formam, ſed eſſentia præciſè conſiderata ſine exiſtentia eſt nihil, ergo. 4. *Diſtinctio* realis debet eſſe inter extrema realia, ſed eſſentia antequam exiſtat non eſt aliquid reale poſitivum, cum ſit primùm ens reale poſitivum per exiſtentiam, ergo. *Confirmatur.* Nam factâ ſeparatione exiſtentię ab eſſentia, nil reale manet ex parte eſſentiæ, niſi ſola & unica veritas objectiva, & connexio prędicatorum eſſentialium, ergo eſſentia nil reale eſt, antequam exiſtat.

exiſtat. 5. *Si eſſentia* exiſteret per diverſam à ſe exiſtentiam, tunc etiam ipſa exiſtentia deberet exiſtere per diverſam exiſtentiā, ſed conſequens eſt abſurdum, quia alias daretur proceſſus in infinitum, ergo *Sequela prob.* Nam etiam ipſa exiſtentia ſuam habet eſſentiam, ergo ſi omnis eſſentia debet exiſtere per diverſam à ſe exiſtentiam, etiam ipſa eſſentia exiſtentię debebit exiſtere per diverſam à ſe exiſtentiam.

40 Ad primam objectionem *diſtin. Major* Actualis eſſentia actualitate ſumptâ ab ente participialiter accepto eſt idem quod eſſentia exiſtens, *conceditur*, actualitate ſumpta ab ente nominaliter accepto, *negatur Major*, & eodem modo *diſting. minor* Eſſentia autem ſeipſa habet quod ſit ens actu nominaliter, *conc.* participialiter, *negatur minor*. cum conſequentia. Itaque eſſentia antequam intelligatur recipere exiſtentiam, eſt realis realitate eſſentiæ, id eſt, non conficta ab intellectu, quamvis ut deinde fiat ens participialiter & exiſtenter, deſideret exiſtentiam. Quid autem ſit ens nominaliter ſumptum, vide ſupra [a].

41 *Ad 2.* abſolutè negatur Major, quantumcis

[a] *reſol. 3.*

vis adverſarij eam tanquam certam & indubitatam ſupponant, & damus trinas inſtantias tam in relativis quam abſolutis. Nam relatio non poteſt eſſe ſine termino, etſi realiter ab eo diſtinguatur. Item materia prima non poteſt eſſe ſine forma, neque ab omni forma ſeparari, ut diximus in Philoſophia Naturali, a & tamen inter eas intercedit diſtinctio realis. *Denique* totum non poteſt eſſe ſine ſuis partibus, tametſi in plurimorum ſententia realiter ab ijs diſtinguatur: ſic etiam eſt in præſenti, licet enim eſſentia in ſtatu actualitatis & extra ſuas cauſas nequeat eſſe ſine exiſtentia, hæc enim eſt terminus ultimus ſub quo ab agente ponitur eſſentia, inde tamen non ſequitur, quod ab ea non diſtinguatur, ſicut non ſequitur ex eo, quod ſubſtantia creata nequeat eſſe ſine ſubſiſtentia, quod proinde hæc non diſtinguatur ab ea, nam contrarium nos edocet myſterium Incarnationis.

42 *Ad 3. neg. Antec.* ad probationem *diſting. Major*, quod eſt nihil tam nihileitate eſſentiæ, quam exiſtentię, non poteſt eſſe ſubjectum recipiens, *conceditur*, ſi ſit tantùm nihil nihileitate exiſtentię, non verò eſſentiæ, *negatur*

Major,

a *p. 1. reſol. 12. & 13.*

Major, & eodem modo diſtinguitur Minor, & negatur conſequentia. Sicut enim materia prima antequam recipiat formam, non debet eſſe ante eam, ſed ſufficit, quod ſit ens in potentia capax recipere formam, ita etiam eſſentia eſt ſubjectum recipiens exiſtentiam, & mediante eâ habet, quod exiſtat, & ad hujus receptionem nil facit actualitas, quia unumquodque recipit, in quantum eſt in potentia. Hinc diſtingui ſolet ſubjectum formarum ſubſtantialium à ſubjecto formarum accidentalium, quod illud, quia accipit eſſe à forma ſibi adveniente, non præſupponatur exiſtens ad formam, benè tamen illud, quia à formis accidentalibus non habet eſſe.

43 *Ad* 4. *patet* ſolutio ex dictis ſupra. [a] Major enim eſt falſa, ſi enim diſtinctio rationis non petat neceſſariò eſſe inter entia rationis, ſed poſſit eſſe inter entia realia, V. g. inter attributa divina, ita quoque diſtinctio realis non eſt neceſſariò inter entia realia poſitiva, ſed poteſt eſſe inter ens poſitivum, & non ens poſitivum: quare ſicut oppoſitio contradictoria eſt maxima oppoſitionum, quia verſatur inter ens & non ens, ita etiam diſtinctio, quæ nihil aliud

[a] *n.* 27.

aliud eſt, quam oppoſito duorum, erit maxima diſtinctionum, ſi ſit inter ens poſitivum, & non ens poſitivum, quia eſt major diſtantia inter ens & non ens, quam inter ens & ens.

44 *Ad confirmationẽ diſting. antec.* factâ ſeparatione nihil remanet tanquam per exiſtentiam actuatum, *conceditur*, tanquam ſubjectum exiſtentiæ ſuſceptivum, *neg. antece* cum conſequentia. Itaque eſſentia prout diſtinguitur ab exiſtentia, & ut ſubijcitur agenti ut terminus actionis in ordine ad exiſtendum, non eſt planè nihil, aut veritas merè objectiva, ſed eſt ens, non actu ex ſe, ſed ut ſuſceptivum actus. Nec propterea putes eam cum ſolis prædicatis quidditativis produci, ſed etiam producitur cum aliquo prædicato ſuperaddito, quod contingenter ei advenit, nimirum cum exiſtentia, quia eſt entitas & capacitas ſuſceptiva exiſtentiæ, non quod aliqua temporis prioritate præcedat exiſtentiam, ſed quatenus per præciſionem intellectus & ſecundum prioritatem cauſalitatis prius in ſuo genere intelligimus ſubjectum exiſtentiæ, ſub qua prioritate eſſentia non eſt purum nihil, quod enim eſt purum nihil, non eſt receptivum exiſtentiæ. Neque enim

opor-

oportet, ut inter aliqua fiat realis compoſitio, quod utrumque extremum ſit actu exiſtens, ſed ſufficit, quod utrique conveniat exiſtentia, uni ut ſuſcipienti, alteri ut danti eam, quod autem ſuſcipit exiſtentiam, non eſt nihil.

45 Ad 5. *neg. ſequela*. Illa enim ſibi ipſi eſt ratio exiſtendi, & ſimul eſt ratio cur aliud exiſtat per ipſam, quemadmodum lux eſt ratio videndi ſe & alia à ſe, nec indiget alia luce ut videatur. *Ad prob.* dicitur, quod eſſentia exiſtentiæ conſiſtat in eo, quod ſit ratio exiſtendi ut quo, hanc autem ut exerceat, exigit alterius rei eſſentiam actuando ipſam, cui deinde coexiſtat, hoc ipſo autem quod illa eſſentia neceſſariò non exiſtit, neque ipſa exiſtentia neceſſariò exiſtit, ſed exiſtit deinde accidentaliter ut *quod*, & ita neque exiſtit per eſſentiam ſuam neceſſariò, quia ſe ſolâ nunquam exiſtit, neque exiſtit per aliam diſtinctam exiſtentiam, ſed dum facit aliud exiſtere, etiam ipſamet exiſtit.

46 *Inſtabis*. Si exiſtentia per ſeipſam poſſit exiſtere, quare non etiam aliæ res & eſſentiæ per ſeipſas poterunt exiſtere? *Reſp. quod* in omni genere rerum veniendum eſt ad aliquod primum, quod per ſe ipſum tale ſit, & cujus participatione cetera talia fiant, quod inductivè patet,

ter, nam terminus & effectus, fit per actionem, & actio per ſeipſam; ſubſtantia eſt in loco per vbi, & vbi per ſeipſum, igitur etiam in creaturis exiſtentibus oportet ad aliquid per ſe exiſtens devenire, non tantùm eo ſenſu, quo ſubſtantia dicitur per ſeipſam exiſtere, id eſt, independenter à ſubjecto, aut ſuppoſito, ſed formaliter per ſe, non per ſuperadditam entitatem, atque hęc entitas eſt exiſtentia.

§. 6.

De principio Individuationis in ſubſtantia materiali.

RESOLVTIO XVIII.

Subſtantiæ materiales non ſunt ſeipſis individuæ, ita ut individuatio totam entitatem ſubſtantiæ inſtar propriæ paſſionis conſequatur.

47 EX mente S. Thom. [a] eſſentia cujuſcunque rei non habet per ſe quod ſit communicabilis vel incommunicabilis, ſed per accidens

[a] *de ente & eſſ. c.* 1.

cidens ratione diverſorum ſtatuum; nam quod ſit communicabilis, habet in ſtatu abſtractionis, per ordinem ſcilicet ad intellectum, ut in philoſ. Ratio. [a] dictum; & quod ſit incommunicabilis habet in ſtatu contractionis à parte rei. *Difficultas* ergo eſt, quodnam ſit primum & radicale principium hujus incommunicabilitatis, quam res habet à parte rei, vel quę ſit prima radix & origo, ad quam tota ratio indiviſionis & indiſtinctionis unius hominis V. g. ab altero reducitur.

48 *Putant aliqui* unumquodque individuari à ſe ipſo & ex propria entitate, quod nos merito in præſenti negamus. *Ratio eſt* quia ad individuationem rei materialis non ſolùm requiritur unitas indiviſa in ſe, ſed etiam diviſa à quolibet alio individuo intra eandem ſpeciem; ſed talis diviſio non poteſt oriri ex ſola entitate ſubſtantiæ materialis, ſecundùm quod præciſe includit prædicata quidditativa, ergo illa entitas ſolùm non eſt adæquatum principium individuationis. *Maior patet* Nam cum natura materialis ſit capax plurium individuorum in eadem ſpecie, neceſſe eſt quod principium indiuiduationis poſſit diſtinguere hoc indivi dum

a p. 2. §. 3.

dividum, non ſolùm ab individuo alterius ſpeciei, ſed etiam ab alio individuo propriæ ſpeciei. *Minor etiam conſtat.* Nam individua ejuſdem ſpeciei conveniunt in entitate ſecundum quod præciſe includit prædicata quididtativa, ergo per illam non diſtinguuntur ſubſtantialiter inter ſe.

49 *Dices* Vnitas tranſcendentalis qua ſubſtantia materialis redditur formaliter hæc & individua, eſt paſſio ſubſtantiæ materialis, ergo conſequitur entitatem ſubſtantiæ materialis, ſicque ſubſtantia ſeipſa erit individua. *Reſp. diſting. antec.* eſt paſſio ſubſtantiæ materialis abſolutè & ſecundùm ſe conſideratæ, *neg. antec.* ut eſt in ſtatu contractionis & incommunicabilitatis, *conced. antec.* & eodem modo diſting. conſequens. Vnitas ergo numerica eſt paſſio ſubſtantiæ materialis conſiderando eam ſecundùm ſtatum contractionis, non verò conſiderando eam ſecundum ſe, ſicut unitas univerſalis eſt paſſio ſubſtantiæ materialis, non abſolutè conſideratę, ſed prout eſt in ſtatu abſtractionis per intellectum. Vide quæ diximus in Phil. Rat. loco citato.

50 *Si ulterius inſtes dicendo*, ad minus unitatem numericam conſequi ſubſtantiam materialem

rialem in ſtatu contractionis, veluti ejus propriam paſſionem, ſicque ſaltem pro hoc ſtatu erit ſeipſa individua. *Reſp. diſting. conſeq.* eam, tanquam principium totale & ut quod, *conceditur*, tanquam quo radicale, *negatur*, hoc autem principium eſt ipſa materia ſignata quantitate, ut mox dicemus.

51 *Hinc colligitur*. I. Principium radicale individuationis etiam non eſſe ſubſiſtentiam, aut exiſtentiam, etſi hæc ad completam individui conſtitutionem concurrant: quia tam ſubſiſtentia quam exiſtentia ſupponunt naturam individuam & ſingularem, quandoquidem Verbum divinum aſſumpſit naturam humanam non in communi, ſed hanc individuam numero diſtinctam ab alia; conſtat autem naturam illam non fuiſſe hanc individuam per exiſtentiam aut ſubſiſtentiam, quorum neutrum habeat, ſed primùm accepit à Verbo divino.

52 II. *Colligitur*, neque etiam formam ſubſtantialem eſſe primum & radicale principium individuationis, hæc enim quatenus talis eſt principium ſpeciei, quæ poteſt communicari pluribus individuis, non autem eſt principium diſtinctionis numericæ, non enim alia diſtinctio à forma originari poteſt, quam formalis.

53 III.

53 III. *Colligitur*, neque etiam materiam primam nudè acceptam eſſe principium individuationis in ſubſtantia materiali, ſic enim illa eſt indifferens & una unitate negativa in omnibus individuis, de quo etiam in Phil. Rat.[a]

RESOLVTIO XIX.

Primum & radicale principium individuationis in ſubſtantia materialiter eſt materia ſignata quantitate.

54 Nomine materiæ ſignatę quantitate, non intelligimus materiam informatam quantitate; accidentia namque non inhærent materiæ, ſed toti compoſito: ſed intelligimus materiam dicentem radicaliter ordinem ad hanc potiùs quantitatem, quàm ad aliam, licet enim materia non informetur ab accidentibus, dicit tamen ordinem ad illa ut ad diſpoſitiones, quibus ipſa potentialitas materiæ determinetur; quantitas autem inter alias diſpoſitiones non ſolum habet effectum informandi, dando ei effectum formalem extenſionis quantitativę

[a] p. 1. §. 3.

tificativæ, ſed etiam habet officium dividendi unam portionem materiæ ab alia, quâ diviſione poſitâ tanquam conditione, reſultat non ex ipſa quantitate formaliter, ſed ex ipſa materia incommunicabilitas & diſtinctio numerica ſubſtantialis reſpectu materiæ ſic diviſæ, ut proinde materia dicens ordinem ad quantitatem habentem tale officium dividendi partes materiæ, dicatur ſignata quantitate, quam nos dicimus eſſe primum & radicale principium individuationis in ſubſtantijs materialibus.

55 Et ita docet Ariſt. [a] ajens. *ea eſſe unum numero quorum materia eſt una*. Itemque D. Thom. cum inquit. *Vnde materia eſt pars ſpeciei in rebus materialibus, non quidem materia ſignata, quæ eſt principium individuationis, ſed materia communis*. Ratio eſt. Nam poſita materia ſignata quantitate ad modum explicatum ponitur primò individuatio, & ablatâ auffertur individuatio, ergo. *Prob. antec.* Nam poſita forma non ponitur individuatio, cum forma de ſe ſit cõmunis & indifferens, poſita autem materia ſignata non manet amplius indifferens ad quodcunque individuum, ſed alicui certo appropriatur, ut jam

[a] *5. Met. t. 12.*

non ſit communicabilis alteri, ſed ſit indiviſa in ſe, & diviſa à quocunque alio, ergo hæc erit primum & radicale principium individuationis.

56 *Dices* Materia non continet quantitatem niſi mediante formâ ſubſtantantiali, ad quam prius terminatur ejus reſpectus quam ad formam accidentalem, ſicut eſt quantitas, ergo potius materia ſignatur per formam ſubſtantialem, quam per accidentalem, videlicet per quantitatem. *Reſp. diſting. antec.* non continet quantitatem niſi mediante forma ſubſtanti, ſi conſideretur quantitas, quatenus ſe habet ut informans & actuans, *conc.* ſi conſideretur ſub cauſalitate & prioritate diſpoſitionis, *neg. antec.* cum *conſeq.* prius enim materia reſpicit quantitatem ut diſpoſitionem, quam formam ſubſtantialem, nam prima diſpoſitio materiæ eſt in quantitate ut dividente & ſegregãte hanc materiam ab illa, licet in genere cauſæ formalis ſit è converſo, nam in illo genere cauſæ forma ſubſtantialis præcedit quantitatem.

RESO-

Digitized by Google

RESOLVTIO XX.

Omnes formæ accidentales individuantur à ſuis ſubjectis formaliter ſumptis, ſive per ordinem ad ea.

57 VOlumus dicere, duas albedines V.g. ex hoc diſtingui numero, quod diverſa ſubjecta reſpiciant, vel idem diverſo tempore, quod tamen debet intelligi de ſubjectis formaliter ſumptis, nam albedo & dulcedo ſunt in eodem ſubjecto ſingulari materialiter ſumpto, V.g. ſaccaro, & tamen diſtinguuntur numero, idem enim ſaccarum habet diverſam rationem formalem ſubjecti reſpectu illorum accidentium, nam quatenus participat de natura diaphani eſt album, quatenus verò participat de humido eſt dulce. Sic ergo explicata noſtra reſolutio docetur à D. Th, [a] cùm ait. *Accidentia autem ſicut habent eſſe in ſubjecto, ita ex ſubjecto ſuſcipiunt unitatem & multitudinem.* Ratio eſt. Nam ab eo individuatur aliqua forma, à quo habet incommunicabilitatem, ſed accidentia redduntur incommunicabilia ex

[a] *1. p. q 39. a. 3.*

ſubjectis, ergo ex ſubjectis, ſeu per ordinem ad illa individuantur. *Præterea*. Omnis diſtinctio accidentalis, Vel eſt penes materiam, Vel penes formam; ſi eſt penes formam, eſt ſpecifica, ſi penes materiam, eſt diſtinctio numeralis & individualis, ergo à ſubjecto ſumunt ſuam unitatem numeralem. *Inde* etiam habetur duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſe eſſe in eadem parte ſubjecti, quia carent principio diviſionis numeralis.

58. Quæres, qui fiat, quod duæ formæ accidentales ſpecie diſtinctæ poſſint eſſe in eodem ſubjecto, non verò duæ formæ accidentales ſolo numero diſtinctæ? *Reſp. quod* in receptione formarum accidentalium ſpecie diverſarum non fiat directè multiplicatio numerica, ſed ſpecifica, ad quam ſufficit in ſubjecto ponere capacitatem plurium formarum ſpecie diverſarum, quia juxta S. Th. [a] recipiuntur ſecundùm diverſas potentias ſubjecti, id eſt ſecundùm diverſos reſpectus participandi formas, ſicut dulcedo recipitur ex participatione humidi, & albedo ex participatione lucis: at verò cũ multiplicatio debet fieri inter formas ejuſdem ſpeciei, cùm hæc non oriatur ex parte for-

a. q. 8. de Ver. a. 12.

formæ, debet oriri ex diſtinctione materialis, ex qua reſultat multiplicatio numerica in forma.

Et tantum de difficultatibus Metaphyſicis libaſſe ſufficiat ad laudem Primi Entis per eſſentiam, Omnipotentis Dei, nec non filij ejus Vnigeniti, Naturam humanam divinâ Subſiſtentiâ & exiſtentia dignificantis, ejuſdemque Admirabilis & Virginis Mariæ, & Angelici Eccleſiæ Doctoris D. Th. Aquinatis honorem & gloriam.

FINI

Digitized by Google

INDEX RESOLVTIONVM

Quæ continentur in hoc libro, primus numerus, Reſolutionem, ſecundus paginam deſignat.

LIBER 1us. SVMMVLARVM.

De his quæ pertinent ad 1am. mentis operationem.

§. 1.

De Signo.

R Eſolutio 1. *Signum in communi.* pag. 3.
II. *Signum formale.* pag. 4.
III. *Signum inſtrumentale.* pag. 5.
IV. *Signum naturale.* pag. 6.
V. *Signum*

V. *Signum ad placitum* ibidem.
VI. *Signum ex conſuetudine.* pag. 8.

§. 2.

De termino & ejus ſpeciebus.

VII. *Termini natura & ejus diuiſio in enunciatiuum, & ſyllogiſticum.* ibidem.
VIII. *Terminus enunciatiuus, ſubdiuiditur in mentalem, vocalem, & ſcriptum.* pag. 9.
IX. *Terminus vocalis ſubdiuiditur 1. in vniuocum, æquivocum, & Analogum. 2. in cathegorematicum, & ſyncathegorematicum 3. in communem, & ſingularem.* pag. 10.
X. *Subdiuiſiones reliquæ termini.* pag. 11.

§. 3.

De nomine & verbo.

XI. *Nominis definitio.* pag. 12.
XII. *Verbi definitio.* pag. 13.
XIII. *Quid ſit verbum ſignificare cum tempore.*

pag. 14.
XIV. *Quid ſit verbum abſolui à tempore.* p. 15.

§. 4.

De Oratione.

XV. *Orationis deſinitio.* pag. 16.
XVI. *Oratio dividitur in perfectam, & in imperfectam.* pag. 17.
XVII. *Oratio dividitur in enunciatiuam, & non enunciatiuam.* pag. 18.

§. 5.

De modo ſciendi & ejus ſpeciebus.

XVIII. *Modus ſciendi deſinitur & diuiditur in definitionem, diuiſionem, & argumentationem.* pag. 19.
XIX. *Deſinitio quid ſit.* pag. 20.
XX. *Diviſio quid ſit & ejus regulæ.* ibidem.
XXI. *Argumentatio quid ſit?* pag. 22.

Digitized by Google

LIBER 2us. SVMMVLARVM

De his quæ pertinent ad ſecundam mentis operationem.

§. 6.

De propoſitione & ejus ſpeciebus.

XXII. *Propoſitionis definitio.* pag. 23.
XXIII. *Propoſitio dividitur in cathegoricam, & hypotheticam.* pag. 24.
XXIV. *Cathegorica dividitur in affirmativam, & negativam.* pag. 25.
XXV. *Propoſitionis materia, & forma.* ibidem.
XXVI. *Propoſitionis quantitas, & qualitas.* pag. 26.
XXVII. *Propoſitio hypothetica ſubdiuiditur in copulativam, diſiunctivam, & conditionalem.* pag. 27.

§. 7.

De proprietatibus terminorum in propoſitione.

XXVIII. *Suppoſitio in genere quid ſit.* pag. 29.

XXIX. *Suppoſitionis diviſio in materialem, & formalem, formalis, in propriam, & impropriam, propria in ſimplicem, & perſonalem.* pag. 30.

XXX. *Suppoſitio perſonalis ſubdividitur in naturalem, & accidentalem, communem, & ſingularem, communis in diſtributivam, completam, & incompletam.* pag. 31.

XXXI. *Ampliatio, & reſtrictio quid ſint?* p. 32.

XXXII. *Alienatio, & diminutio quid ſint?* p. 33.

XXXIII. *Apellatio quid ſit?* ibidem.

§. 8.

De proprietatibus propoſitionũ ſimpliciũ.

XXXIV. *Oppoſitio propoſitionũ quid ſit?* p. 34.

XXXV. *Æquipollentia propoſitionum quid ſit.* pag. 35.

XXXVI. *Converſio propoſitium quid ſit & quotuplex.* pag. 37.

XXXVII. *Propoſitio modalis quid, & quotuplex.* pag. 38.

LIBER

LIBER 3us. SVMMVLARVM

De his quę pertinent ad tertiam mentis operationem.

§. 9.

De ſpeciebus Argumentationis.

XXXVIII. *Argumentatio dividitur in ſyllogiſmum, Enthymema, inductionem, & exemplum.* pag. 42.

XXXIX. *An concluſio ſit pars eſſentialis ſyllogiſmi.* pag. 43.

XL. *Syllogiſmi materia quæ ſit?* pag. 44.

XLI. *Syllogiſmi forma quæ ſit?* pag. 45.

XLII. *Figuræ Syllogiſmorum.* pag. 46.

XLIII. *Modi ſyllogiſmorum.* pag. 47.

XLIV. *Regulæ generales figurarum ſyllogiſmorum.* pag. 50.

XLV. *Regulæ particulares cujuſlibet figuræ.* pag. 51.

XLVI. *Quid Enthymema, inductio, & exemplum.* pag. 52.

LOGI-

Digitized by Google

LOGICÆ PARS PRIMA

De logica ſecundum ſe & ejus annexis.

§. 1.

Quid & Quotuplex Logica.

Reſolutio I. *Logica alia naturalis, alia artificialis.* pag. 54.

II. *Homo naturaliter propendetur in logicam artificialem.* pag. 55.

III. *Logica artificialis eſt neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias etiam in ſtatu imperfecto.* pag. 57.

IV. *Logica artificialis diuiditur in docentem & vtentem.* pag. 59.

V. *Logica docens & vtens ſunt idem habitus.* pag. 62.

VI. *Logica artificialis eſt propriè dicta ſcientia.* pag. 63.

VII. *Eſt ſpeculatiua.* pag. 65.

VIII. *Contēplatur pro objecto ens rationis.* p. 67.

§. 2.

De ente rationis.

IX. *Quid ſit ens rationis?* pag. 71.

X. *Quæ-*

X. *Quænam potentia formet ens rationis?* p. 72.
XI. *Ens rationis diuiditur in negationem, priuationem, & relationem.* pag. 74.
XII. *Quid ſit prima & ſecunda intentio formalis, & objectiva.* pag. 75.

LOGICÆ PARS SECVNDA
De vniverſali & ejus ſpeciebus.

§. 3.
De vniverſali ſecundum ſe.

XIII. *Vniverſale datur in rerum natura fundamentaliter ſumptum.* pag. 77.
XIV. *Vniverſale formaliter ſumptum eſt vnum aptum ineſſe multis.* pag. 78.
XV. *Vniverſale formaliter fit per ſimplicem comparationem intellectus poſſibilis.* p. 79.

§. 4.
De numero prædicabilium & de genere.

XVI. *Sunt tantum 5. Prædicabilia.* pag. 82.
XVII. *Quid ſit genus?* pag. 83.
XVIII. *Genus prædicatur de ſuis inferioribus ut*

totum.

totum potentiale. pag. 84.

§. 5.

De ſpecie & individuo.

XIX. *Quid ſit ſpecies.* pag. 85.

XX. *Species Angelica in hypotheſi D. Thom. eſt univerſalis.* pag. 86.

XXI. *Quid individuum ?* pag. 89.

XXII. *Vtrum ſpecies in vnico individuo & genus in vnica ſpecie poſſit conſervari.* pag. 90.

§. 6.

De tribus vltimis prædicabilibus.

XXIII. *Quid ſit differentia ?* pag. 91.

XXIV. *Quid ſit proprium?* pag. 92.

XXV. *Quid ſit accidens & quotuplex.* p. 93.

LOGICÆ PARS TERTIA.

De Cathegorijs Ariſtotelis.

§. 7.

De Ante prædicamentis & prædicamentis.

XXVI. *Quid æquivoca, vnivoca, & denominativa ?* pag. 95.

XXVII. *Quid prædicamentum in genere?* p. 96.

Digitized by Google

XXVIII. *Quot conditiones requirantur ad hoc vt aliquid ponatur in prædicamento.* p. 97.

§. 8.

De prædicamentis in particulari & primò de Subſtantia.

XXIX. *Quid ſit ſubſtantia?* pag. 99.
XXX. *Subſtantia dividitur in primam & ſecundam.* pag. 100.
XXXI. *Sex ſunt proprietates ſubſtantiæ.* p. 101.

§. 9.

De Quantitate.

XXXII. *Quid ſit quantitas?* pag. 102.
XXXIII. *Quænam ſit ratio formalis quantitatis.* pag. 103.
XXXIV. *Quantitas dividitur in continuam & diſcretam, continua in lineam, ſuperficiem, & corpus, diſcreta in numerum, & orationem.* pag. 104.
XXXV. *Tres ſunt proprietates quantitatis.* pag. 107.

§. 10.

Digitized by Google

§. 10.

De Relatione.

XXXVI. *Vtrum detur, & quid ſit relatio?* pag. 108.

XXXVII. *Triæ ſunt fundamenta relationum,* pag. 109.

XXXVIII. *Relatio aliquando realiter aliquando modaliter tantùm diſtinguitur à fundamento.* pag. 110.

XXXIX. *Vnitas numerica relationum habetur à ſubiecto, ſpecifica à fundamento & termino.* pag. 112.

XL. *Quinq; ſunt proprietates relationis.* p. 113.

§. 11.

De Qualitate.

XLI. *Quid ſit qualitas?* pag. 114.

XLII. *Quatuor ſunt ſpecies qualitatis.* p. 115.

XLIII. *Explicantur ſpecies qualitatis.* p. 116.

XLIV. *Tres ſunt proprietates qualitatis.* p. 119.

§. 12.

De actione & paſſione.

XLV. *Quid ſit actio & quotuplex.* pag. 120.

XLVI. *Quid ſit paſſio?* pag. 121.

§. 13.

De 4. Vltimis prædicamentis.

XLVII, *Quid ſit vbi & quotuplex?* pag. 122.

XLVIII. *Quid ſit prædicamentum quando?* pag. 123.

XLIX. *Quid ſit prædicamentum ſitus?* p. 125.

L. *Quid ſit prædicamentum habitus?* pag. 126.

§. 14.

De poſt prædicamentis.

LI. *Quid poſt prædicamentum, & quotuplex?* pag. 128.

LII. *Quid oppoſitio, & quot ſint eius ſpecies*: pag. 129.

LIII. *Quid ſint reliqua 4. poſt prædicamenta?* pag. 130.

LOGICÆ PARS QVARTA,

De Libris poſteriorum.

§. 15.

De prærequiſitis ad demonſtrationem.

LIV. *Tria ſunt præcognita ad demonſtrationem, ſcilicet ſubjectum, paſſio & principium,*

pium. pag. 132.
LV. *Præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis.* p. 134.
§. 16. De natura demonſtrationis & ejus diviſione.
LVI. *Quid ſit demonſtratio?* pag. 136.
LVII. *Demonſtratio alia propter quid, alia quia.* pag. 138.
§. 17. De effectu demonſtrationis.
LVIII. *Quid ſit ſcientia & quotuplex.* p. 140.
LIX. *Vnde ſit deſumenda unitas & diſtinctio generica ſcientiarum?* pag. 141.
LX. *Unde deſumatur unitas ſpecifica ſcientiarum?* pag. 142.
LXI. *Quid ſcientia ſubalternans, & ſubalternata?* pag. 144.
§. 18. De habitu primorum principiorum, & alijs habitibus intellectualibus.
LXXII. *Quid ſit habitus primorum principiorum.* pag. 147.
LXIII. *Habitus ſcientiæ & opinionis non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu circa idem objectum.* pag. 149.

PHY-

PHYSICA PARS PRIMA.

De octo libris Phyſicorum.

§. 1.

Difficultates procemiales.

Reſ. I. *Phyſica eſt proprie dicta ſcientia, eaque ſpeculativa.* pag. 151.

II. *Phyſicæ objectũ eſt ens mobile tam mobilitate ſubſtantiali quam accidentali.* pag. 153.

III. *Phyſica quo ad omnes ſuas partes eſt una ſpecie ſcientia.* pag. 156.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

§. 2. De principijs entis mobilis in communi.

IV. *Quid ſint principia entis mobilis.* p. 160.

V. *Tria ſunt principia entis naturalis in fieri, in facto eſſe ſunt tantum duo.* pag 162.

VI. *Principia entis naturalis in fieri ſunt contraria, non autem in facto eſſe.* pag. 163.

§. 3. De principijs entis naturalis in particulari.

VII. *Materia prima datur in rerum natura.* pag. 164.

VIII. *Materia prima non includit actum entitatiuum.* pag. 166.
IX. *Potentia materiæ primæ ad formam eſt ejus eſſentia.* pag. 169.
X. *Materia prima appetit appetitu innato omnes formas quæ ipſi uniri poſſunt virtute agentis naturalis.* pag. 172.
XI. *Materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis.* pag. 175.
XII. *Materia prima non habet exiſtentiam partialem.* pag. 178.
XIII. *Materiam eſſe in actu ſine forma ſunt contradictoria.* pag. 184.

§. 4. De Forma.

XIV. *Forma ſubſtantialis eſt actus primus materiæ primæ.* pag. 191.
XV. *Formam ſubſtantialem educi de potentia materiæ eſt illam à materia dependere in fieri, eſſe, & conſervari.* pag. 192.
XVI. *Formæ cælorum & elementorum in prima ſui productione non eductæ fuerunt de potentia materiæ ſed ad creationem totius concreatæ.* pag. 195.
XVII.

XVII. *Formæ ſubſtantiales omnes quæ per generationē producuntur, exceptâ animâ rationali educuntur de potentia materiæ.* p. 197.

XVIII. *Formæ naturales accidentales quæ producuntur actione diſtincta ab ea qua producitur ſubiectum educuntur de potentia illius.* pag. 201.

XIX. *Formæ ſupernaturales accidentales vt gratia & alij habitus infuſi educuntur de potentia obedientiali animæ.* pag. 202.

§. 5. De privatione.

XX. *Quid ſit privatio.* pag. 205.

§. 6 De compoſito ſubſtantiali.

XXI. *Compoſitum Phyſicum componitur ex materia & forma tamquam ex duabus partibus eſſentialibus.* pag. 208.

XXII. *Compoſitum non includit vnionem qui ſit modus ſubſtantialis diſtinctus à materia & forma.* pag. 212.

XXIII. *Compoſitum Phyſicum non diſtinguitur realiter à partibus ſimul, ſumptis & vnitis.* pag. 217.

INDEX RESOLVTIONVM

Quæ continentur in hoc libro, primus numerus, Reſolutionem, ſecundus paginam deſignat.

LIBER 1us. SVMMVLARVM.

De his quæ pertinent ad 1am. mentis operationem.

§. I.

De Signo.

Reſolutio I. *Signum in communi.* pag. 3.
II. *Signum formale.* pag. 4.
III. *Signum inſtrumentale.* pag. 5.
IV. *Signum naturale.* pag. 6.

V. *Signum*

V. *Signum ad placitum* ibidem.
VI. *Signum ex conſuetudine.* pag. 8.

§. 2.

De termino & ejus ſpeciebus.

VII. *Termini natura & ejus diuiſio in enunciatiuum, & ſyllogiſticum.* ibidem.
VIII. *Terminus enunciatiuus, ſubdiuiditur in mentalem, vocalem, & ſcriptum.* pag. 9.
IX. *Terminus vocalis ſubdiuiditur 1. in vnivocum, æquivocum, & Analogum. 2. in cathegorematicum, & ſyncathegorematicum 3. in communem, & ſingularem.* pag. 10.
X. *Subdiuiſiones reliquæ termini.* pag. 11.

§. 3.

De nomine & verbo.

XI. *Nominis definitio.* pag. 12.
XII. *Verbi definitio.* pag. 13.
XIII. *Quid ſit verbum ſignificare cum tempore.* pag.

Digitized by Google

pag. 14.
XIV. *Quid ſit verbum abſolui à tempore.* p. 15.

§. 4.

De Oratione.

XV. *Orationis deſinitio.* pag. 16.
XVI. *Oratio dividitur in perfectam, & in imperfectam.* pag. 17.
XVII. *Oratio dividitur in enunciatiuam, & non enunciatiuam.* pag. 18.

§. 5.

De modo ſciendi & ejus ſpeciebus.

XVIII. *Modus ſciendi definitur & diuiditur in definitionem, diuiſionem, & argumentationem.* pag. 19.
XIX. *Deſinitio quid ſit.* pag. 20.
XX. *Diviſio quid ſit & ejus regulæ.* ibidem.
XXI. *Argumentatio quid ſit?* pag. 22.

LIBER

LIBER 2us. SVMMVLARVM

De his quæ pertinent ad ſecundam mentis operationem.

§. 6.

De propoſitione & ejus ſpeciebus.

XXII. *Propoſitionis definitio.* pag. 23.
XXIII. *Propoſitio dividitur in cathegoricam, & hypotheticam.* pag. 24.
XXIV. *Cathegorica dividitur in affirmativam, & negativam.* pag. 25.
XXV. *Propoſitionis materia, & forma.* ibidem.
XXVI. *Propoſitionis quantitas, & qualitas.* pag. 26.
XXVII. *Propoſitio hypothetica ſubdiuiditur in copulativam, diſiunctivam, & conditionalem.* pag. 27.

§. 7.

De proprietatibus terminorum in propoſitione.

XXVIII. *Suppoſitio in genere quid ſit.* pag. 29.

XXIX.

XXIX. *Suppoſitionis diviſio in materialem, & formalem, formalis, in propriam, & impropriam, propria in ſimplicem, & perſonalem.* pag. 30.
XXX. *Suppoſitio perſonalis ſubdividitur in naturalem, & accidentalem, communem, & ſingularem, communis in diſtributivam, completam, & incompletam.* pag. 31.
XXXI. *Ampliatio, & reſtrictio quid ſint?* p. 32.
XXXII. *Alienatio, & diminutio quid ſint?* p. 33.
XXXIII. *Apellatio quid ſit?* ibidem.

§. 8.

De proprietatibus propoſitionũ ſimpliciũ.

XXXIV. *Oppoſitio propoſitionũ quid ſit?* p. 34.
XXXV. *Æquipollentia propoſitionum quid ſit.* pag. 35.
XXXVI. *Converſio propoſitium quid ſit & quotuplex.* pag. 37.
XXXVII. *Propoſitio modalis quid, & quotuplex.* pag. 38.

LIBER

Digitized by Google

LIBER 3us. SVMMVLARVM
De his quę pertinent ad tertiam mentis operationem.

§. 9.
De ſpeciebus Argumentationis.

XXXVIII. *Argumentatio dividitur in ſyllogiſmum, Enthymema, inductionem, & exemplum.* pag. 42.
XXXIX. *An concluſio ſit pars eſſentialis ſyllogiſmi.* pag. 43.
XL. *Syllogiſmi materia quæ ſit?* pag. 44.
XLI. *Syllogiſmi forma quæ ſit?* pag. 45.
XLII. *Figuræ Syllogiſmorum.* pag. 46.
XLIII. *Modi ſyllogiſmorum.* pag. 47.
XLIV. *Regulæ generales figurarum ſyllogiſmorum.* pag. 50.
XLV. *Regulæ particulares cujuſlibet figuræ.* pag. 51.
XLVI. *Quid Enthymema, inductio, & exemplum.* pag. 52.

LOGI-

Digitized by Google

LOGICÆ PARS PRIMA

De logica ſecundum ſe & ejus annexis.

§. 1.

Quid & Quotuplex Logica.

Reſolutio I. *Logica alia naturalis, alia artificialis.* pag. 54.

II. *Homo naturaliter propendetur in logicam artificialem.* pag. 55.

III. *Logica artificialis eſt neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias etiam in ſtatu imperfecto.* pag. 57.

IV. *Logica artificialis diuiditur in docentem & vtentem.* pag. 59.

V. *Logica docens & vtens ſunt idem habitus.* pag. 62.

VI. *Logica artificialis eſt propriè dicta ſcientia.* pag. 63.

VII. *Eſt ſpeculatiua.* pag. 65.

VIII. *Contēplatur pro objecto ens rationis.* p. 67.

§. 2.

De ente rationis.

IX. *Quid ſit ens rationis?* pag. 71.

X. *Que-*

X. *Quænam potentia formet ens rationis?* p. 72.
XI. *Ens rationis diuiditur in negationem, priuationem, & relationem.* pag. 74.
XII. *Quid ſit prima & ſecunda intentio formalis, & objectiva.* pag. 75.

LOGICÆ PARS SECVNDA
De vniverſali & ejus ſpeciebus.

§. 3.
De vniverſali ſecundum ſe.

XIII. *Vniverſale datur in rerum natura fundamentaliter ſumptum.* pag. 77.
XIV. *Vniverſale formaliter ſumptum eſt vnum aptum ineſſe multis.* pag. 78.
XV. *Vniverſale formaliter fit per ſimplicem comparationem intellectus poſſibilis.* p. 79.

§. 4.
De numero prædicabilium & de genere.

XVI. *Sunt tantum 5. Prædicabilia.* pag. 82.
XVII. *Quid ſit genus?* pag. 83.
XVIII. *Genus prædicatur de ſuis inferioribus ut totum.*

XXVIII. *Quot conditiones requirantur ad hoc vt aliquid ponatur in prædicamento.* p. 97.

§. 8.
De prædicamentis in particulari & primò de Subſtantia.

XXIX. *Quid ſit ſubſtantia?* pag. 99.
XXX. *Subſtantia dividitur in primam & ſecundam.* pag. 100.
XXXI. *Sex ſunt proprietates ſubſtantiæ.* p. 101.

§. 9.
De Quantitate.

XXXII. *Quid ſit quantitas?* pag. 102.
XXXIII. *Quænam ſit ratio formalis quantitatis.* pag. 103.
XXXIV. *Quantitas dividitur in continuam & diſcretam, continua in lineam, ſuperficiem, & corpus, diſcreta in numerum, & orationem.* pag. 104.
XXXV. *Tres ſunt proprietates quantitatis.* pag. 107.

Digitized by Google

§. 10.

De Relatione.

XXXVI. *Vtrum detur, & quid ſit relatio?* pag. 108.

XXXVII. *Tria ſunt fundamenta relationum.* pag. 109.

XXXVIII. *Relatio aliquando realiter aliquando modaliter tantùm diſtinguitur à fundamento.* pag. 110.

XXXIX. *Vnitas numerica relationum habetur à ſubiecto, ſpecifica à fundamento & termino.* pag. 112.

XL. *Quinq; ſunt proprietates relationis.* p. 113.

§. 11.

De Qualitate.

XLI. *Quid ſit qualitas?* pag. 114.

XLII. *Quatuor ſunt ſpecies qualitatis.* p. 115.

XLIII. *Explicantur ſpecies qualitatis.* p. 116.

XLIV. *Tres ſunt proprietates qualitatis.* p. 119.

§. 12.

De actione & paſſione.

XLV. *Quid ſit actio & quotuplex.* pag. 120.

XLVI. *Quid ſit paſſio?* pag. 121.

§. 13.

De 4. Vltimis prædicamentis.

XLVII, *Quid ſit vbi & quotuplex?* pag. 122.

XLVIII. *Quid ſit prædicamentum quando?* pag. 123.

XLIX. *Quid ſit prædicamentum ſitus?* p. 125.

L. *Quid ſit prædicamentum habitus?* pag. 126.

§. 14.

De poſt prædicamentis.

LI. *Quid poſt prædicamentum, & quotuplex?* pag. 128.

LII. *Quid oppoſitio, & quot ſint eius ſpecies.* pag. 129.

LIII. *Quid ſint reliqua 4. poſt prædicamenta?* pag. 130.

LOGICÆ PARS QVARTA,

De Libris poſteriorum.

§. 15.

De prærequiſitis ad demonſtrationem.

LIV. *Tria ſunt præcognita ad demonſtrationem, ſcilicet ſubjectum, paſſio & princi-*

pium. pag. 132.
LV. *Præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis.* p. 134.
§. 16. De natura demonſtrationis & ejus diviſione.
LVI. *Quid ſit demonſtratio?* pag. 136.
LVII. *Demonſtratio alia propter quid, alia quia.* pag. 138.
§. 17. De effectu demonſtrationis.
LVIII. *Quid ſit ſcientia & quotuplex.* p. 140.
LIX. *Vnde ſit deſumenda unitas & diſtinctio generica ſcientiarum?* pag. 141.
LX. *Vnde deſumatur unitas ſpecifica ſcientiarum?* pag. 142.
LXI. *Quid ſcientia ſubalternans, & ſubalternata?* pag. 144.
§. 18. De habitu primorum principiorum, & alijs habitibus intellectualibus.
LXII. *Quid ſit habitus primorum principiorum.* pag. 147.
LXIII. *Habitus ſcientiæ & opinionis non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu circa idem objectum.* pag. 149.
PHY-

PHYSICA PARS PRIMA.

De octo libris Phyſicorum.

§. 1.

Difficultates prooemiales.

Reſ. I. *Phyſica eſt proprie dicta ſcientia, eaque ſpeculativa.* pag. 151.
II. *Phyſicæ objectū eſt ens mobile tam mobilitate ſubſtantiali quam accidentali.* pag. 153.
III. *Phyſica quo ad omnes ſuas partes eſt una ſpecie ſcientia.* pag. 156.

LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

§. 2. De principijs entis mobilis in communi.

IV. *Quid ſint principia entis mobilis.* p. 160.
V. *Tria ſunt principia entis naturalis in fieri, in facto eſſe ſunt tantum duo.* pag 162.
VI. *Principia entis naturalis in fieri ſunt contraria, non autem in facto eſſe.* pag. 163.

§. 3. De principijs entis naturalis in particulari.

VII. *Materia prima datur in rerum natura.* pag. 164.

VIII. *Materia prima non includit actum entitatiuum.* pag. 166.

IX. *Potentia materiæ primæ ad formam eſt ejus eſſentia.* pag. 169.

X. *Materia prima appetit appetitu innato omnes formas quæ ipſi vniri poſſunt virtute agentis naturalis.* pag. 172.

XI. *Materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis.* pag. 175.

XII. *Materia prima non habet exiſtentiam partialem.* pag. 178.

XIII. *Materiam eſſe in actu ſine forma ſunt contradictoria.* pag. 184.

§. 4. De Forma.

XIV. *Forma ſubſtantialis eſt actus primus materiæ primæ.* pag. 191.

XV. *Formam ſubſtantialem educi de potentia materiæ eſt illam à materia dependere in fieri, eſſe, & conſervari.* pag. 192.

XVI. *Formæ cælorum & elementorum in prima ſui productione non eductæ fuerunt de potentia materiæ ſed ad creationem totius concreatæ.* pag. 195.

XVII.

XVII. *Formæ ſubſtantiales omnes quæ per generationẽ producuntur, exceptâ animâ rationali educuntur de potentia materiæ.* p. 197.
XVIII. *Formæ naturales accidentales quæ producuntur actione diſtincta ab ea qua producitur ſubiectum educuntur de potentia illius.* pag. 201.
XIX. *Formæ ſupernaturales accidentales vt gratia & alij habitus infuſi educuntur de potentia obedientiali animæ.* pag. 202.

§. 5. De privatione.

XX. *Quid ſit privatio.* pag. 205.

§. 6. De compoſito ſubſtantiali.

XXI. *Compoſitum Phyſicum componitur ex materia & forma tamquam ex duabus partibus eſſentialibus.* pag. 208.
XXII. *Compoſitum non includit vnionem qui ſit modus ſubſtantialis diſtinctus à materia & forma.* pag. 212.
XXIII. *Compoſitum Phyſicum non diſtinguitur realiter à partibus ſimul, ſumptis & vnitis.* pag. 217.

LIBER 2us. PHYSICORVM.

§. 7. De Natura & arte.

XXIV. *Quid ſit natura?* pag. 221.

XXV. *Naturam eſſe competit materiæ primæ & formæ ſubſtantiali, etiam animæ rationali.* pag. 223.

XXVI. *Ars non poteſt ex vi ſuæ formæ produducere opera naturæ.* pag. 227.

§. 8. De Cauſis in communi.

XXVII. *Cauſa eſt id ad cujus eſſe aliud ſequitur.* pag. 229.

XXVIII. *Cauſa formaliter ſumpta in ratione cauſæ eſt prior aliqua prioritate, & nobilior ſuo effectu.* pag. 230.

XXIX. *Cauſa eſt quadruplex.* pag. 232.

§. 9. De cauſis in particulari.

XXX. *Materia prima conſtituitur in actu primo cauſans per ſuam puram entitatem ſubſtantialem.* pag. 233.

XXXI. *Quænam ſit cauſalitas materiæ.* p. 235.

XXXII. *Cauſalitas formæ in actu primo quænam ſit?* pag. 237.

XXXIII.

XXXIII. *Cauſalitas formæ in actu ſecundo quænam ſit?* pag. 238.

§. 10. De Cauſa efficiente.

XXXIV. *Quid ſit cauſa efficiens.* pag. 240.

XXXV. *Cauſæ ſecundæ aliquid propriè agunt.* pag. 242.

XXXVI. *Subſtantia creata non eſt immediatè operatiua.* pag. 243.

XXXVII. *Cauſalitas cauſæ efficientis eſt agere.* pag. 249.

§. 11. De Cauſa inſtrumentali.

XXXVIII. *Quænam ſit ratio propria cauſæ inſtrumentalis?* pag. 250.

XXXIX. *Cauſa inſtrumentalis debet habere actionem propriam præuiam ad actionem principalis agentis.* pag. 253.

§. 12. De cauſa finali.

XL. *Cauſa finalis eſt vera & realis cauſa.* 257.

XLI. *Bonitas eſt ratio formalis mediante qua finis conſtituitur in actu primo cauſans connotando appræhenſionem.* pag. 259.

XLII. *Cauſalitas finis eſt methaphorica motio.* p. 260.

XLIII. *Etiamſi omnia agentia agant propter finem, proprium tamen eſt creaturæ rationalis agere propter finem ſe mouendo in illū.* p. 261.
§. 13. De comparatione cauſarum inter ſe & cum effectibus.
XLIV. *Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ vel quantum ad eſſe vel quantum ad cauſalitatē.* 265.
XLV. *Implicat duas cauſas totales eiuſdem ordinis collective ſumptas adæquatè concurrere ad eundem numerò æffectum.* p. 268.
XLVI. *Repugnat etiam ſupernaturaliter quod idem numero effectus fiat diviſim à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis.* pag. 274.
LIBER TERTIVS PHYSICORVM.
§. 14. De quidditate & natura motus.
XLVII. *Motus eſt actus entis in potentia vt in potentia.* pag. 280.
XLVIII. *Definitio motus non ſolùm convenit mutationibus ſucceſſivis ſed etiam inſtantaneis.* p. 282.
XLIX. *Motus etiam ſi ſit idem realiter cum ſuo termino diſtinguitur tamen ab eo diſtinctione*

ne reali modali. pag. 284.
L. *Motus localis ſubiectatur in mobili.* p. 285.

§. 15. De Actione & paſſione.

LI. *Motus non eſt genus ad actionem & paßionem ſed eſt ſubiectum earum.* pag. 287.
LII. *Actio & paßio non diſtinguntur realiter inter ſe. &c.* pag. 288.
LIII. *Actio formaliter tranſiens non eſt in agente ſed in paßo tamquam in ſubiecto.* p. 290.

§. 16. De Infinito.

LIV. *Naturaliter infinitum actu repugnat, in omni genere.* pag. 292.
LV. *Implicat contradictionem quod detur aliqua creatura quæ ſit infinita actu in aliquo genere.* pag. 293.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

§. 17. De natura & quidditate loci.

LVI. *Locus eſt ſuperficies vltima & immobilis corporis ambientis.* pag. 295.
LVII. *Locus ſecundum ſuam formalem rationem eſt ſimpliciter immobilis.* pag. 298.
LVIII. *Duo corpora naturaliter non poſſunt*

eſſe

eſſe in eodē loco, poſſunt ſupernaturaliter. 299.
LIX. *Implicat idem numero corpus eſſe in duobus locis circumſcriptiuè.* pag. 301.

§. 18. De Vacuo.

LX. *Virtute naturali nō poteſt dari vacuū.* 307.
LXI. *Motus in vacuo non eſſet inſtātaneus.* 322.

§. 19. De tempore.

LXII. *Tempus ſecundùm ſuam eſſentiam eſt verum ens reale connotando tamen ordinem ad intellectum.* pag. 323.
LXIII. *Tempus eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius.* 325.
LXIV. *Tempus exiſtit ratione inſtantis.* p. 327.

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

§. 20. De termino vnitate & contrarietate motus.

LXV. *Motus datur tantùm per ſe ad tria prædicamenta.* pag. 330.
LXVI. *Vnitas ſpecifica motus ſumitur à termino ad quem formaliter ſumpto.* pag. 333.
LXVII. *Ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas numerica mobilis termini ad quem & temporis.* pag. 335.

LXVIII. *Omnis contrarietas motuum deſumitur per ſe primo & formaliter ex contrarietate terminorum.* 337.

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

§. 21. De compoſitione continui.

LXIX. *Continuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus ſed etiam ex partibus inter ſe diſtinctis.* pag. 338.

LXX. *Partes aliquotæ in continuo ſunt finitæ, proportionales ſunt infinitæ in potentia.* 339.

LXXI. *Subſtantia corporea ſine quantitate nullas habet partes integrales.* pag. 342.

§. 22. De modo inceptionis & deſitionis rerum.

LXXII. *Res ſucceſſivæ incipiunt extrinſecè & etiam deſinunt extrinſecè.* pag. 345.

LXXIII. *Res permanentes quæ per generationem fiunt & per corruptionem deſinunt, incipiunt intrinſecè & deſinunt extrinſecè.* 348.

LXXIV. *Formæ accidentales quæ per motum producuntur & fiunt cum expulſione contrarij ſi conſiderentur in fieri incipiunt & deſinũt extrin-*

trinſecè, ſi in facto eſſe intrinſecè. p. 350.

§. 23. De termino magnitudinis & parvitatis.

LXXV. *Omnia viventia, poſtulant intrinſecũ terminũ ſuæ magnitudinis & parvitatis.* 351.

LXXVI. *Etiam non viventia ex vi ſuæ generationis, & formæ, habent intrinſecum terminum, tũ magnitudinis, tum parvitatis.* 353.

Liber Septimus

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 24. De diſtinctione, & ſimultate moventis, & mobilis.

LXXVII. *Omne quod mouetur ab alio à ſe realiter diſtincto movetur, vndè impoſſibile eſt idem per ſe primò movere ſeipſum.* p. 355.

LXXVIII. *Gravia, & levia per ſe moventur à generante, per accidens verò à removente prohibens, nunquam autem à ſe ipſis.* 358.

LXXIX. *Nullum agens poteſt agere in diſtans, ſed debet coniungi paſſo, ſeu termino, non ſolùm contactu virtutis, ſed etiam contactu ſuppoſiti vel proprij, vel alieni.* pag. 360.

Liber

Liber Octavus

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

§. 25. De mundi æternitate.

lxxx. *Mundus non fuit ab æterno, ſed à Deo in initio temporis ex nihilo per creationem eſt productus.* pag. 362.

lxxxj. *Mundus quoad res permanentes. v. g. quoad cœlos, & Angelos potuit per Dei potentiam eſſe ab æterno.* pag. 365.

lxxxij. *Mundus quoad entia ſucceſſiva ſcilicet quoad motum, & tempus non potuit eſſe ab æterno.* pag. 368.

§. 26. De primo motore.

lxxxiij. *Ex motu evidenter à poſteriori demonſtratur dari vnum primum motorem omninò immobilem.* pag. 370.

lxxxjv. *Primus motor Deus eſt vbique in vniverſo, totus in toto, & totus in quâlibet parte, ſed non eſt extrà vniverſum in ſpatijs imaginarijs.* pag. 371.

lxxxv. *Omnes cauſæ ſecundæ ità ſubordinantur primo motori Deo vt ſine ipſius concurſu ſimultaneo*

bene definitur ab Ariſt. quod ſit mutatio totius in totum nullo ſubiecto ſenſibili remanente. pag. 396.

iij. *Omnis generatio creata, quæ habet cauſam materialem, ex quâ fiat, eſſentialiter, & intrinſecè eſt mutatio.* pag. 399.

iv. *Generatio ſubſtantialis eſt actio eſſentialiter diſtincta à tota alteratione præcedenti, per quam materia diſpoſita fuit ad nouam formam.* pag. 401.

v. *Terminus totalis, ſeu adæquatus, vel etiam terminus, qui producitur per generationem ordine intentionis ſimpliciter primarius, eſt ſuppoſitum exiſtens.* pag. 405.

vj. *Subiectum generationis ſubſtantialis, quatenus hæc mutatio quædam eſt, eſt ſola materia prima, quatenus verò actio eſt diſtincta à totâ alteratione precedenti, ſic ſubiectum inhæſionis ipſius eſt totum compoſitum.* p. 407.

§. 3. De corruptione ſubſtantiali.

vij. *Corruptio ſubſtantialis definitur, quod ſit tranſitus materiæ ab eſſe formæ ſubſtantialis* ad

ad non eſſe illius in ipſâ materiâ. pag. 410
viij. *Corruptio ſubſtantialis eſt mutatio natura-lis reſpectu materiæ ſublunaris, non tamen eſ naturalis reſpectu formæ, ſeu compoſiti.* 41[illegible]
ix. *Hæc propoſitio generatio vnius eſt corrupti alterius, verificatur ſolùm in ſenſu cauſal non verò in formali, neque in identico.* 41
x. *In corruptione ſubſtantiali fit reſolutio vſq ad materiam primam, ità quod nec quan tas, nec qualitas, nec vllum aliud accid maneat in genito, quod erat in corrupto.* 4[illegible]

§. De Alteratione.

xj. *Alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibi terminatus, habentem latitudinem cum trarietate, ſubiecto manente invariato cundum eſſentiam.* pag. [illegible]
xij. *Alteratio vt ſic ſumpta adæquatè divi in tres ſpecies, quarum vna commune n ſui generis retinet, vocaturque alterat cunda intenſio, altera remiſſio.* pag. [illegible]
xiij. *In ſolâ qualitate invenitur propriè in & remiſſio, non tamen in omni ſpecie tatis.* pag

xiv. *Intenſio qualitatum non ſit per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto.* pag. 442.

§. 5. De nutritione, augmentatione, & diminutione.

xv. *Nutritio eſt motus acquiſitiuus nouæ partis ſubſtantialis per introceptionẽ alimenti.* 446.

xvj. *Nutritio diſtinguitur realiter ab augmentatione.* pag. 448.

xvij. *Nutritio, & augmentatio ſunt mutationes ſucceſſiuæ, & continuæ.* pag. 450.

xviij. *Sola viventia propriè augentur.* p. 452.

xix. *Quælibet pars animalis augetur ſiue poroſa ſit, ſiue non poroſa, illa quidem per intus ſuſceptionem hæc verò per iuxtà poſitionem.* 454.

xx. *Quamvis mathematicè loquendo in rarefactione, & condenſatione non maneat eadem quantitas phyſicè tamen loquendo manet eadem quantitas, quandò ſubſtantia condenſatur, aut rarefit.* pag. 455.

LIBER SECVNDVS.

De generatione, & corruptione.

Pp §. 6.

§. 6. De elementis, qualitatibus, & mixtione earum.

xxj. *Elementum eſt corpus, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus ineſt actu, vel potentiâ, ipſum autem eſt indiviſibile in diverſa ſecundum ſpeciem.* pag. 457.
xxij. *Quatuor tantummodo ſunt elementa, ſcilicet ignis, aer, aqua, & terra.* pag. 458.
xxiij. *Ignis eſt ſummè calidus, & propè ſummum ſiccus.* pag. 460.
xxiv. *Aer eſt ſummè humidus, & propè ſummum calidus.* pag. 463.
xxv. *Aqua eſt ſummè frigida. & propè ſummum humida.* pag. 464.
xxvj. *Terra eſt ſummè ſicca, & propè ſummum frigida.* pag. 465.

§. 7. De mixtione, & temperamento quatuor primarum qualitatum.

xxvij. *Elementa manent virtualiter in mixto, quatenus manent in eo formaliter quatuo primæ qualitates ad mediocritatem redact.* pag. 467.

xxv

xxviij. *Naturaliter impoſſibile eſt dari in mixto temperamentum, æquale ad pondus.* p. 468.

§. 8. De reproductione rei corruptæ.

xxix. *Nulla res permanens ſemel corrupta poteſt naturaliter eadem numero reproduci, benè tamen ſupernaturaliter.* pag. 470.

xxx. *Implicat contradictionem, eandem numero rem ſucceſſiuā ſemel extinctam reproduci.* 471.

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS

PARS TERTIA.

Complectitur difficultatum ex tribus libris Ariſt. de anima reſolutiones.

§. 1.

De obiecto librorum de animâ.

j. *Obiectum formale quod librorum de animâ eſt ens mobile animatum, obiectum verò formale quo in eſſe rei, eſt anima.* pag. 473.

§. 2. De naturâ, & eſſentiâ animæ.

ij. *Prima definitio animæ, quod ſit actus primus corporis phyſici potentiâ vitam habentis, benè traditur ab Ariſt.* pag. 474.

iij. *Altera definitio animæ, quâ eam Ariſt. deſ-*

cribit, eſſe id, quo vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus primo; etiam optima eſt. pag. 476.
§. De diviſione animæ & modis vivendi.
iv. *Anima adæquatè dividitur in vegetativam, ſenſitivam, & rationalem.* p. 477.
v. *Quatuor ſunt modi, ſeu gradus vivendi, ſcilicet vegetativum, ſenſitivum, loco motivum, & intellectivum.* p. 479.
vj. *Anima rationalis non ſolùm continet eminenter animam ſenſitivam, & vegetativam, ſed eminenter, & formaliter ſimul, quemadmodum anima ſenſitiva continet vegetativam.* pag. 481.
§. 4. De diviſibilitate, & informatione animæ.
vij. *Animæ rationales, ſicut etiam omnes animæ animalium perfectorum ſunt omninò indiviſibiles.* pag. 483.
viij. *Sanguis verus, & purus, ſicut & reliqui tres humores in animali vivunt, & informantur animâ totius, ſaltem quoad gradum vege-*

vegetativum. pag. 484.
ix. *Dentes, capilli, & vngues viuunt animâ totius.* pag. 485.

§. 5. De potentijs animæ in communi.

x. *Potentiæ non organicæ immediatè ſubiectantur in animâ, potentiæ verò organicæ in toto compoſito.* pag. 486.
xi. *Quinque ſunt genera potentiarum animæ, ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, appetitiuum & intellectiuum.* 488.
xij. *Potentiæ diſtinguntur per actus, & actus per obiecta.* pag. 490.

§. 6. De animâ vegetativâ, eiuſque potentijs.

xiij. *Anima vegetativa, quæ eſt principium generandi tale, quale ipſa eſt, tres in genere habet potentias, ſcilicet nutritivam, augmentativam, & generativam.* pag. 491.
xiv. *Potentia nutritiva, augmentativa, & generativa ſunt tres potentiæ, realiter inter ſe diſtinctæ.* pag. 492.

§. 7. De animâ ſenſitivâ, & eius potentijs.

xv. *Senſus eſt potentia activa, quatenus actum ſenſationis elicit, paſſiva verò, quatenus ſpeciem ab obiecto recipit, & actu ſentiendi informatur.* pag. 494.

xvj. *Neceſſariò ſunt ponendæ ſpecies ſenſibiles, vt potentiæ ſenſitivæ, tum externæ tum internæ illis informatæ producant ſenſationem.* 495.

xvij. *Species ſenſibiles etiam in genere cauſæ efficientis concurrunt cum ſenſu ad eliciendam ſenſationem.* pag. 496.

xviij. *Senſus nunquam decipitur circà ſenſibile proprium adæquatum, etſi nonnunquam per accidens eiuſmodi deceptio accidat circà proprium ſenſibile inadæquatum.* pag. 498.

§. 8. De ſenſibus externis.

xix. *Obiectum adæquatum potentiæ viſivæ eſt lucidum, ſub quo comprehenditur coloratum, tanquam eius principale obiectum.* p. 499.

xx. *Auditus ſecundus ſenſus exterior habet pro obiecto adæquato ſonum.* pag. 501.

xxj. *Odor, qui eſt obiectum olfactus, vel poten-*

tiæ

tiæ odoratiuæ, eſt qualitas ſecunda ex certa temperie primarum qualitatum originem trahens. pag. 502.

xxij. *Sapor, qui eſt obiectum guſtus, eſt qualitas ſecunda orta ex commixtione primarum qualitatum, ita vt humor prædominetur.* 503.

xxiij. *Obiectum primarium tactus, ſunt quatuor primæ qualitates, ſecundarium verò ſunt aliæ qualitates ſecundæ ex primis ortæ.* 504.

§. 9. De ſenſibus internis.

xxiv. *Quatuor dantur ſenſus interni, ſcilicet, ſenſus communis, phantaſia, æſtimativa, & memoria. S.* Thom. *a* pag. 505.

§. 10. De animâ rationali ſecundum ſe.

xxv. *Anima rationalis eſt vera humani corporis forma, ſubſtantia ſpiritualis, incorruptibilis, & immortalis.* pag. 508.

xxvj. *Anima rationalis duplici decoratur intellectu, quorum vnus vocatur agens, alter verò patiens, ſeu poſſibilis.* pag. 509.

xxvij. *Obiectum adæquatum intellectus humani eſt ens in totâ ſuâ latitudine, obiectum verò*

connaturale. & proportionatum eiuſdem pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis. 510.

xxviij. *Intellectio, quæ eſt propria actio intellectus poſſibilis, diſtinguitur realiter tanquam res à re à ſpecie expreſſâ, ſeu verbo mentis.* pag. 511.

xxix. *Datur etiam in homine memoria quædam intellectiva, ſola ratione diſtincta ab intellectu poſſibili.* pag 512.

xxx. *Tertia animæ rationalis potentia eſt voluntas, quæ ſic deſcribitur, eſt appetitus liberè tendens in bonum, & fugiens malum à ratione appræhenſum.* pag. 513.

PHILOSOPHIÆ
TRANSNATVRALIS
Hoc eſt
METAPHYSICÆ
COMPENDIOSA TRACTATIO.

Complectitur earum difficultatum, quæ hoc tempore in Metaphyſicâ tractari ſolent, reſolutiones.

§. I.

§. 1. In quo proœmialia expediuntur.

j. *Ens vt ens eſt obiectum Metaphiſicæ.* 515.
ij. *Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa.* p. 517.

§. 2. De naturâ entis.

iij. *Ens non eſt vnivocum. neque æquivocum, ſed eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.* pag. 519.
iv. *Enti non correſpondet in intellectu vnus conceptus, & diſtinctus, ſed tantùm imperfectus, & confuſus.* pag. 521.
v. *Neque etiam dicit ens conceptum aliquem obiectivum præciſum à ſuis inferioribus, ſed immediatè ſignificat ſua inferiora, ſecundum quod proportionabiliter ſunt eadem.* p. 523.

§. 3. De proprietatibus entis.

vi. *Ens, quod eſt obiectum Metaphyſices obtinet veras aliquas, & legitimas proprietates, non quidem reales, ſed demonſtrabiles ſolùm de illo.* pag. 525.
vij. *Vnum tranſcendentale, quod eſt proprietas entis, materialiter ſignificat naturam aliquam poſitivam, formaliter verò importat* nega-

Digitized by Google

negationem diviſionis. pag. 527.

xiij. *Veritas tranſcendentalis non conſiſtit præciſè in ipsâ entitate rei, ſed ſuperaddit ei quandam habitudinem, & relationem intrinſecam ad intellectum.* pag. 528.

ix. *Bonum quod eſt paſſio entis, non addit ſuper ipſum ens aliquid poſitivum diſtinctum ab ente, ſed ſolummodò addit habitudinem aliquã in ratione perfectivi ad appetitũ.* 530.

§. 4.

De eſſentiâ, ſubſiſtentiâ, & exiſtentia.

x. *Eſſentia ſecundum quod eſt conſiderationis Metaphyſicæ definitur eſſe id, quod per ſe, & primò de re dicitur. Ariſt. a* p. 532

xj. *Suppoſitum eſt ſubſtantia completa, individua ſubſiſtens incommunicabiliter.* 533.

xii. *Subſiſtentia, ſeu modus conſtitutivus ſuppoſiti eſt terminus purus, & vltimus naturæ ſubſtantialis.* pag. 535.

xiii. *Exiſtentia eſt actus, quo formaliter res primò conſtituitur extrà ſuas cauſas. Ariſt. a* pag. 536.

§. 5.

§. 5. De diſtinctione tum ſubſiſtentiæ, tum exiſtentiæ ab eſſentiâ.

xiv. *Suppoſitum, ſeu perſona dicit in ſuâ formali ratione aliquid poſitivum, quod diſtinguitur ab eſſentiâ, non ſolum formaliter ſed vt res à re, vel ſaltem vt modus rei à re.* p. 538.

xv. *Ratio conſtitutiva ſuppoſiti in rebus creatis diſtinguitur etiam ab actu exiſtentiæ.* pag. 541.

xvi. *In creatis exiſtentia realiter, & à parte rei diſtinguitur ab eſſentiâ, ſive hæc conſideretur in potentiâ obiectivâ, ſeu in ſtatu poſſibilitatis, ſive vt eſt extrà illum.* p. 543.

§. 6. De principio individuationis in ſubſtantiâ materiali.

xvii. *Subſtantiæ materiales non ſunt ſeipſis individuæ, ità vt individuatio totam entitatem ſubſtantiæ inſtar propriæ paſſionis conſequatur.* pag. 556.

xviii. *Primum, & radicale principium individuationis in ſubſtantiâ materiali eſt mate-*

materia ſignata quantitate. p. 560.

xix. *Omnes formæ accidentales individuantur à ſuis ſubiectis formaliter ſumptis, ſive per ordinem ad ea.* pag. 563.

FINIS.

FACVLTAS

FACVLTAS

REVERENDISSIMI PATRIS *MAGISTRI GENERALIS ORDINIS.*

FR. IOANNES BAPTISTA DE MARINIS

Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis ac Servus.

VIsis PP. Theologorum ad cenſuram ſpecialiter deputatorum judicij harum ſerie noſtrique officij autoritate. Tibi R. P. F. *Dominico Aurnhammer* S. Th. Magiſt. facultatem damus typis evulgandi opus Philoſophicum, cui titulus: Apparatus Philoſophicus &c. ſic tamen ut ſervent de jure ſervanda. In fidem &c. Romæ VIII. Idus Februarij CIↃ. IↃC. LV.

Fr. Ioannes Baptista de Marinis.

Regiſt. pag. 132.

Fr. Leonardus Hanſen Magiſter Provincialis Angliæ.

FACVL.

Digitized by Google

FACVLTAS
ORDINARII.

R*Eſolutiones Philoſophicæ hoc tripartito Tractatu* Authore R. P. DOMINICO AVRNHAMMER Ordinis Prædicatorum SS. Theologiæ Magiſtro, *operosè ac eruditè* collectæ, & à Theologis approbatæ, cum laude & fructu vulgantur typis: prout eaſdem imprimendi noſtro ordinario Typographo facultatem per præſentes concedimus.

Conſtantiæ die 14. Octob. Anno 1654.

Ratholdus Morſtein SS. Theologiæ Doctor, Vicarius Generalis & Officialis, Lib. Cenſor.

Digitized by Google

APPROBATIO
ORDINARII.

CVm libellus hic, ſuccinctè & accuratè proponens & explicans præcipuas in totam Philoſophiam diſputationes, nihil ſanæ & Catholicæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium contineat, ſed plurima quę ad Philoſophiæ intelligentiam iuxta Angelici Doctoris mentem magnoperè conducant, poterit ſummâ cum vtilitate in lucem prodire, & iuventuti in Scholis prælegi. Datum Duaci ſecunda Iunij. 1660.

MARTINVS DENYS S. Theol. Doctor, ejuſdemque Regius & Ordinarius Profeſſor, Librorum Viſitator & Cenſor.

Hic

Digitized by Google

HIc apparatus Philoſophicus, à R
P. F. DOMINICO AVRNHAMMEI
Ordinis FF. Præd. S. Theol. D
ctore, facili methodo, & grata brevita
Concinnatus, conformis eſt doctrinæ
Thomæ Doctoris Angelici, nec aliqu
bonis moribus aut fidei adverſum co
tinet; vnde in gratiam & profectum d
cipulorum ejuſdem S. Doctoris vtilit
recudetur. Datum Duaci 30. Iunij 166

F. ANSELMVS DE LANNOY O
FF. Præd. S. Theol. in Collegio S. Th
mæ Regens Primarius.

A01 1454323

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B 47a

Digitized by Google

Digitized by Google